




PROV

PROV.^E DE CHAMPAGNE

IOANNIS BAPT. FRANZELIN

E SOCIETATE IESU

IN COLLEGIO ROMANO S. THEOLOGIAE PROFESSORIS

TRACTATUS

DE SS. EUCHARISTIAE

SACRAMENTO ET SACRIFICIO



ROMAE
TYPIS S. C. DE PROPAG. FIDE
SOC. EQ. P. MARIETTI ADM.

TAURINI
APUD PETRUM H. F. MARIETTI
TYPOGRAPHUM PONTIFICIUM

MDCCCLXVIII.

TRACTATUS
DE SS. EUCHARISTIAE MYSTERIO

THESIS I.

Tractationis partitio ex doctrina Concilii Tridentini repetenda.

« Doctrina catholica de sacrosancto mysterio Eucharistiae in Concilio Tridentino declarata quatuor praecipua capita comprehendit, de reali Christi praesentia in sacramento, de transsubstantiatione, de sacramenti fine et fructu, ac denique de speciali ratione sacrificii, quae pertinentia partim ad sacramentum ut est permanens partim ad modum quo conficitur, reliqua omnia velut consectaria subiecta habent, et ideo totius tractationis partitionem constituunt. »

Si « vetus, absoluta atque omni ex parte perfecta de magno Eucharistiae mysterio fides ac doctrina » (sess. XXII. prooem.) in Tridentino Concilio sess. XIII. XXI. XXII. exposita ac definita inspiciatur, apparet, primum considerari sacramentum in se ut est permanens et, quod dici solet, *in facto esse*, deinde spectari modum actionemque ipsam, qua sacramentum conficitur, seu, ut aiunt, sacramentum *in fieri*. Quoad priorem considerationem 1°. tamquam fundamentum mysterii et principium totius doctrinae definitur iuxta verba Christi et perpetuum catholicum intellectum ac constantem traditionem praesentia *vera, realis* et *substantialis* corporis et sanguinis Domini cum indicatione supernaturalis et sacramentalis modi existentiae, ad excludendam doctrinam haereticam, qua asserebatur praesentia tantum in *signo per apprehensionem mentis ac fidei*, et per spiritualem *virtutem;* simul vero declaratur praesentis corporis et sanguinis Christi perfectio inseparabilis, quae in propria conditione corporis glorificati ac immortalis et in unione hypostatica cum Verbo includitur. Sess. XIII. cap. 1. 3. can. 1. 3. Tum 2°. explicatur finis et propria virtus sacramenti ib. cap. 2. can. 5. Quoad consideratio-

nem alteram 3°. docetur modus, quo corpus et sanguis Christi praesens constituitur, id scilicet esse per mirabilem et singularem conversionem totius substantiae panis in corpus et totius substantiae vini in sanguinem Christi manentibus dumtaxat speciebus ib. cap. 4. can. 2. Denique 4°. docetur, Christum ipsum oblatione corporis eius et sanguinis sub signis visibilibus facta quotidie per sacerdotes vero et proprio sacrificio propitiatorio licet incruento ad applicandum meritum sacrificii cruenti Deo Patri offerri. Sess. XXII. cap. 1. 2. can. 1-4. Catholica igitur doctrina haec integra potest una complexa propositione ita comprehendi: In Eucharistiae sacramento corpus et sanguis Iesu Christi Dei hominis sub speciebus panis et vini tamquam cibus animarum vere realiter et substantialiter continetur, per mirabilem et singularem totius substantiae panis et vini in corpus et sanguinem Domini conversionem, quae ita instituta est, ut dum sacramentum conficitur, Iesus Christus ipse simul in verum ac proprium licet incruentum sacrificium offeratur.

Reliqua quae a Concilio docentur de cultu et de asservatione Sanctissimi Sacramenti permanentis, de praeparatione ad dignam susceptionem, et de usu eius sess. XIII; de communione deinde sub una tantum specie et de communione infantium sess. XXI; de sacrificii celebratione in honorem Sanctorum, de Missis in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, de ritu et caerimoniis celebrationis Sess. XXII, a quatuor commemoratis doctrinae capitibus pendent iisque subordinantur. Spectata igitur plenitudine doctrinae « omni ex parte perfecta », quam declarare sibi propositum fuisse Concilium ipsum profitetur, nulla sane potest esse aptior totius huius tractatus gravissimi partitio praeter hanc ipsam, quam s. Synodi contextus nobis suppeditat.

PARS I.

DE SS. EUCHARISTIAE SACRAMENTO



CAPUT I.

DE REALI PRAESENTIA CORPORIS ET SANGUINIS IESU CHRISTI

THESIS II.

Quomodo philosophia se habeat ad interpretationem verbi Dei et nominatim verborum promissionis ac institutionis SS. Eucharistiae.

« Licet veritates sive lumine rationis evidentes sive lumine fidei » certae canonis instar negativi demonstrent aliquem sensum, qui ver» bis Dei, de quorum significatione quaeratur, subesse non possit; falsum » tamen est, examen huiusmodi analogiae cum veritatibus rationalibus » sive universim, sive nominatim in interpretatione verborum Christi » Matth. XXVI. 26. sq. (cum parallelis) per se prudenter praerequiri ad » genuinum verbi Dei sensum assequendum. Ceterum si ex rationibus » polemicis huiusmodi examen instituatur, nullae suppetunt veritates » evidentes, quae canonis instar negativi haberi possint ad sensum » proprium et immediatum verborum Christi excludendum. »

Quatuor sunt in thesi nostra assertiones, 1°. veritates evidenter cognitas posse demonstrare aliquem sensum, qui verbis Dei certo non subsit; 2°. huiusmodi examen et comparationem veritatum praesertim rationalium plerumque non requiri ad genuinum verbi Dei sensum determinandum; 3°. nominatim prudenter non requiri hoc examen in interpretandis verbis Christi, quibus Eucharistiam promisit ac instituit et eam suum corpus et sanguinem, suam carnem et suum sanguinem esse dixit; 4°. si examen tamen instituatur, nullas esse veritates evidentes, quae demonstrent, sensum proprium et immediatum verborum non esse verum.

I. Cum verum vero repugnare non possit, eo ipso neque inter veritates fidei neque inter fidem et rationem, h. e. inter veritates a Deo manifestatas per revelationem et veritates alias sive per revelationem sive per lumen rationis

item a Deo manifestatas ulla potest esse **repugnantia** (1). Sicut ergo ubi de veritate revelata certo constat, eo ipso repugnat, ut sit aliqua veritas sive revelata sive rationalis ei contraria, et proinde potest quidem ratio infirma errando putare verum, non tamen potest *evidenter cognoscere* ut verum, quod revelatae veritati contradicit; ita sensus qui subiiciatur verbo Dei evidenter repugnans veritati evidenter cognitae, numquam potest esse genuinus. Ad hoc principium reducuntur regulae pleraeque, quas S. Augustinus l. III. de doctr. christ. proponit ad discernendum sensum proprium et sensum metaphoricum in Scripturis. Est autem haec interpretandi lex ita obvia et per se evidens, ut qui eam negare vellet, simul cum ratione etiam fidem omnem subverteret; ea enim sublata sermo humanus redderetur inintelligibilis, neque quis sensus subsit, quis non subsit etiam locutionibus Dei et Ecclesiae constare amplius posset: « etiam credere non possemus, nisi rationales animas haberemus » Aug. ep. 120 al. 122. n. 3. ad Consent.

Cavendum autem summopere est in hac re, ne quae sunt vel supra actualem nostram cognitionem vel simpliciter supra rationem, confundamus cum eo quod est contra rationem, et ne quod lumine rationis non cognoscimus ut verum vel saltem ut possibile, perinde habeamus ac si cognosceremus illud non esse verum vel esse impossibile.

II. Non minus constat de altera assertione proposita. Nam praecisione facta a canone negativo, de quo diximus, sunt canones positivi interni et externi (inter quos longe praecipuus et per se solus sufficiens consensus Ecclesiae), quibus adhibitis genuinum sensum verbi Dei saltem plerum-

(1) « Cum verum vero minime contradicat, omnem assertionem veritati illuminatae fidei contrariam, omnino falsam esse definimus» Leo X. in Conc. Lateran. Bulla «Apostolici Regiminis.» « Etsi fides sit supra rationem, nulla tamen vera dissensio nullumque dissidium inter ipsas inveniri umquam potest, cum ambae ab uno eodemque immutabilis aeternaeque veritatis fonte Deo O. M. oriantur, atque ita sibi mutuam opem ferant, ut recta ratio fidei veritatem demonstret, tueatur, defendat; fides vero rationem ab omnibus erroribus liberet eamque divinarum rerum cognitione mirifice illustret, confirmet atque perficiat » Pius IX litt. encycl. 9 Nov. 1846.

que certo intelligere possimus. Hoc autem posito iam etiam quaestio de rei possibilitate et non repugnantia abunde soluta est, quamvis indirecte et per aliud; constat enim illud quod in verbo Dei iuxta genuinum sensum intellecto affirmatur, utpote infallibiliter verum, non esse impossibile nec ulli veritati seu rationali seu superrationali repugnans. Ex adverso autem si humana ratio nondum intellecto genuino sensu verbi Dei velit primum examen suscipere de rei in sensu obvio expressae possibilitate vel impossibilitate, gravissimo obnoxia est periculo, ne quod solum est supra rationem, errando habeat velut contra rationem, et ignorantiam de rei propositae possibilitate accipiat pro evidentia de rei impossibilitate (1) ». Quae cum ita sint, examen illud de rei possibilitate vel impossibilitate plerumque non requiritur, quoties scilicet aliunde ex positivis regulis interpretationis et praesertim ex consensu Ecclesiae de genuino sensu verbi Dei certo constare potest; imo propter periculum errandi christianae prudentiae est, ut quaestio de rei possibilitate potius solvatur ex intellecto iam genuino sensu verbi Dei, quam vicissim ut a praevia solutione illius quaestionis pendere velimus, licet sensu solum negativo, verbi Dei interpretationem. Si quando vero rationes polemicae necessarium reddere videntur illud examen, constat, non requiri demonstrationem evidentis possibiliatis, quae in proprie dictis superrationalibus mysteriis institui non potest; sed sufficit demonstrasse, impossibilitatem et repugnantiam cum veritatibus certis non esse evidentem.

III. Quod dictum est de thesi generali, applicamus ad praesentem hypothesim specialem, affirmamusque, examen illud directum de rei possibilitate nullatenus praerequiri ad genuinum sensum verborum Christi in institutione Eucharistiae certo assequendum. Si verba Christi Domini Matth. XXVI. 26. seqq. (cum parallelis) inde ab apostolicis temporibus ab universo nomine christiano intellecta sunt

(1) Hunc S. Bernardus indicat fontem errorum Abaelardi: « dum paratus est de omnibus reddere rationem, etiam *quae sunt supra rationem*, et *contra rationem praesumit et contra fidem* » ep. ad Innoc. II. Opp. T. I. p. 644.

sensu proprio, atque ideo vere et realiter corpus et sanguinem Christi in Eucharistia contineri creditum est ab omnibus Christianis; si insuper ex omnibus regulis intrinsecis interpretationis sensus proprius illorum verborum demonstrari potest genuinus et sensus metaphoricus absurdus: profecto de genuino sensu illorum verborum Christi constare potest, quin antecedenter et directe ex placitis philosophiae definiatur rei tali sensu enuntiatae possibilitas vel saltem non evidens repugnantia. Atqui illa constantia et universalitas catholici intellectus et illae normae intrinsecae demonstrantes veritatem sensus proprii omnino certae sunt, ut in progressu tractationis ostendemus; ergo de vero sensu verborum Christi citra praecedens illud examen philosophicum constare potest. Intellecto autem vero sensu verborum Christi aeternae veritatis iam etiam constat, rem enuntiatam esse veram atque ideo nulli alii veritati repugnantem, quamvis non ideo iam etiam intelligatur, *quomodo* concilietur veritas ibi enuntiata cum veritatibus aliis. Unde ita concludo: in christianae fidei mysterio methodus difficilior, graviori periculo exposita ac minus tuta imprudenter praehabetur methodo, quae suppetit facilior ac tutissima et quae praestat totum illud, propter quod illa altera difficilior inquisitio potissimum instituenda esset. Atqui methodus examinis philosophici praemittendi de possibilitate rei sensu obvio verborum enuntiatae difficilior est et multis periculis obnoxia, nisi habeatur illa quaestio iam praesupposito vero sensu verborum et cum perpetuo respectu ad illum sensum; methodus altera antecedentis examinis doctrinae fidei facilior est, et per compendium tutissime ac etiam certius demonstrat possibilitatem rei, ad quam inquirendam illud examen philosophicum postularetur. Ergo universim loquendo imprudenter postulatur, ut huiusmodi examen praecedat inquisitionem positivam in verum sensum verborum Christi.

Hoc sane modo in Ecclesia Dei semper actum est de ss. hoc mysterio. SS. Patres ad praecavendas dubitationes sive catechumenorum sive fidelium in suis institutionibus *a*) appellant ad claritatem et ad absolutam veritatem verborum Christi Dei: « ipse dixit: hoc est corpus meum;

quis igitur audeat dubitare et dicere: non est corpus eius?»
b) Ad declarationem aliquam describunt Dei omnipotentiam et absolutum dominium in substantias omnes creatas, illudque comparationibus illustrant ex miraculis a Deo omnipotente patratis. *c*) Consequenter rem illis verbis enuntiatam et contrarias leges physicas cognitionesque nostras, quatenus in experientia et in perceptione sensuum fundantur, componunt atque conciliant non iam examine philosophico de rerum naturis, sed supposita omnipotentia et veracitate Dei ac proposita claritate verborum postulant fidem in rem enuntiatam, quae utpote infallibiliter vera non potest esse contra rationem, quamvis sit supra rationem. S. Ephrem De non perscrutanda natura Filii Dei T. III. graec. lat. p. 424; Cyrillus Hieros. catech. mystagog. IV. n. 1. 6. 9; Gregor. Nyss. or. catech. c. 37; Epiphan. Ancor. n. 57; Ambros. de myster. c. 9; auctor ll. de Sacram. l. IV. c. 5; Gaudent. Brixian. in Exod. tract. II. p. 240. 241. (ed. Brix. 1738); Chrysost. in Matth. hom. 82 al. 83. n. 4; Cyrillus Alex. in Io. l. 4. c. 3. T. IV. p. 374 etc. Sic e. g. post allata Christi verba et assertam ex eis in Eucharistia realem praesentiam prosequitur Gaudentius l. c. orationem ad egressos e fonte baptismatis: « Ipse naturarum creator et Dominus, qui producit de terra panem, de pane rursus, quia et potest et promisit, efficit proprium corpus; et qui de aqua vinum fecit, facit et de vino sanguinem suum... Si qua mysteriorum superaverint in mane illius futurae resurrectionis manifestanda, quae capere modo non possumus; modo enim scio ex parte, inquit Apostolus... haec igni cremanda sunt, idest divino tradenda Spiritui ut ea, quorum rationem modo non capimus, ardentis fidei spiritu consumantur ».

IV. Haec quae diximus non tamen impediunt, quominus rationes polemicae possint aliquando necessariam reddere praeviam demonstrationem, nihil esse in re verbis Christi obvio sensu enuntiata sive in eius consectariis, quod veritati alicui necessariae evidenter cognitae repugnet. Quoniam vero non requiritur, ut evidenter intelligamus modum, quo veritas superrationalis cum aliis veritatibus concilietur,

quod postulasse esset negasse ipsam hypothesin veritatis superrationalis, sed sufficit ostendisse nullas esse veritates necessarias evidenter cognitas, quibus res enuntiata evidenter repugnet; haec demonstratio, si polemice veritas fidei nondum supponatur, principiis quibusdam generalibus confici potest.

Consectaria quae cum verbis Christi proprio sensu intellectis proxime nexa videri possent repugnare veritatibus evidentibus, ad haec revocantur: 1°. adesse in Eucharistia corpus Christi, quin ulla eius propria appareant phaenomena; 2°. adesse ad analogiam existentiae spirituum et citra actualem coextensionem ad spatium; 3°. adesse idem multis simul in locis; 4°. non amplius adesse substantiam panis et vini et tamen omnia eius remanere phaenomena sensibus obvia. Iudicia rationalia opposita his quatuor consectariis sunt: ubi praesens est corpus, sese manifestat et sensibile est suis phaenomenis; corporis partes diversae in se respondent diversis partibus spatii; corpus quod praesens est in uno loco, non est simul in locis aliis; si desinit corporis substantia, desinunt phaenomena quae sunt substantiae effectus (1).

Ut intelligamus, quatenus haec iudicia sint evidentia et evidenter repugnantia quatuor enuntiatis consectariis, generatim distingui debent vera et evidentia nostra iudicia de corporibus in iudicia relata ad ordinem physicum, quae sunt *a posteriori* et pendent a constanti experientia, tum in iudicia ordinis metaphysici quae sunt *a priori* ac pendent a cognitione essentiae corporum. Priora sunt certa sub hypothesi,

(1) Posset forte addi consectarium quintum, quod tota substantia panis conversa est in substantiam corporis Christi; cui videatur opponi iudicium rationis, quod una substantia non potest tota converti in aliam et eo minus in aliam praeexistentem. At quamvis haec conversio, ut suo loco explicabimus, praeter desitionem substantiae panis et praesentiam corporis Christi sub phaenomenis panis includat aliquid aliud; ratio tamen in dogmate transsubstantiationis, dummodo rite explicetur, non reperit apparentem repugnantiam distinctam ab illis quatuor capitibus recensitis. Si enim desinit substantia panis manentibus omnibus eius phaenomenis, et sub iisdem phaenomenis fit praesens corpus Christi; nulla apparet difficultas in eo, quod transsubstantiatio praeterea includit, quod scilicet eadem actione divina corpus fit praesens ad exclusionem substantiae panis, et substantia panis desinit in ordine ad positionem corporis Christi sub ipsis speciebus panis.

quod leges physicae servatae sunt, posteriora sunt vera absolute. Unde qui supposita demonstratione suspensionis vel mutationis factae in legibus physicis adhuc iudicat de corporibus eodem modo, ac si omnes leges physicae servatae essent, non minus agit contra rationem, quam qui admitteret in corporibus mutationem repugnantem eorum essentiae. Iam vero iudicia illa quatuor quae videntur repugnare verbis Christi in sensu proprio acceptis, oriuntur omnia ex constanti experientia et fundantur in constantia legum physicarum. Proinde sunt quidem iudicia evidenter vera *sub hypothesi,* quod leges physicae sunt servatae; at nullatenus est evidens, essentiam corporum talem esse, ut quatuor consectaria opposita his iudiciis empiricis sint negatio ipsius essentiae corporum, adeoque nullatenus est evidens, eadem consectaria absolute repugnare. De his ergo non secus ac quando quaeritur, utrum una natura divina realiter communis esse possit tribus distinctis personis, utrum in una divina persona duae possint esse naturae divina et humana etc. *a priori* ad summum fatendum erit, non evidenter constare de possibilitate vel impossibilitate, quia rerum essentiae, de quibus quaeritur, non satis nobis sunt perspectae; *a posteriori* autem facta mysteriorum revelatione, ignorantia illa possibilitatis tollitur; in veritate enim rei sane intelligitur eiusdem non repugnantia. Rationem existentiae Christi in Eucharistia, ait Tridentinum sess. XIII. cap. 1, esse huiusmodi, « quam possibilem esse Deo, *cogitatione per fidem illustrata* assequi possumus, et *constantissime credere debemus* ».

Unde concludendum est, 1°. cognitiones etiam rationales et philosophicas per revelationem mysteriorum saltem indirecte amplificari, vel certe coerceri humanam temeritatem, ne quod ex inadaequatis et imperfectis nostris cognitionibus consequi videtur, habeamus velut consectarium evidens cognitionis adaequatae. Praeterea 2°. sequitur ex dictis, methodum ipsam scientificam postulare, ut consectaria quodammodo philosophica doctrinae de praesentia reali non prius distincte examinentur, quam doctrina ipsa ex verbo Dei demonstrata sit, cum ipsa veritas revelata instar stellae rec-

tricis in illo examine prae oculis habenda sit, ut ratio humana ab errorum scopulis sibi caveat. (Cf. litt. S. P. Pii IX ad Archiepisc. Monach. 21. Dec. 1863).

THESIS III.

Demonstratio realis praesentiae corporis et sanguinis Christi in Eucharistia ex verbis promissionis Io. VI.

« Sermone Christi Io. VI. 48-59 promissam esse ac praeparatam » institutionem Eucharistiae, in qua Christi caro et sanguis vere, realiter » et substantialiter contineatur, manducetur et bibatur, ex verbis ipsis » et contextu demonstratur. »

Post multiplicationem panum factam a Domino in deserto, ubi « illi homines, cum vidissent quod Iesus fecerat signum, dicebant: quia hic est vere propheta qui venturus est in mundum» (ὁ προφητης ὁ ἐρχομενος), iidem saturati panibus quaerebant Iesum trans mare (lacum) Tiberiadis in Capharnaum, quo per duplex miraculum noctu venerat Iesus cum discipulis. Ad homines mirantes, quomodo illuc pervenisset, Dominus habuit sermonem prolixum Io. VI. 26-60, desumpta occasione ex ipsa multiplicatione panum pridie facta. Totius orationis explicationes praeclaras habes tum apud alios interpretes et theologos tum maxime apud Card. Wiseman (De reali praesentia etc. lectiones octo. Lect. I-IV.) et apud cl. P. Patrizi (Commentatio de Pane vitae; et Comment. in Ioan. in h. l.).

Constat totus sermo *praeparatione* v. 26-31; argumenti *propositione* v. 32. 33; *duplici parte* ipsius orationis seu explicationis, *prima* v. 35-47, *altera* v. 48-59. Ad hanc partem postremam totum quod praecedit, refertur velut praeparatio et introductio, atque in hac postrema parte dicimus promitti a Christo suam realem et substantialem carnem vere et proprie manducandam et suum sanguinem bibendum; adeoque promitti Eucharistiam, in qua, ut fides catholica docet, vere, realiter et substantialiter praesens sit corpus et sanguis Domini in cibum et potum ad nutriendam vitam gratiae, qui propterea ratione effectus quidem possit dici cibus et potus spiritualis, ratione autem substantiae in se ipso et ratione manducationis sit ipsum verum corpus et

verus sanguis Christi cibus et potus, qui vere a nobis ore corporis manducetur et bibatur.

Veritas huius affirmationis pendet unice a quaestione, utrum verba Christi: « panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita; nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis; caro enim mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus; qui manducat me, et ipse vivet propter me etc. », intelligi debeant sensu proprio et immediato an sensu translato, quo significent « credere in Christum, credere et sperare in mortem Christi, fide, spe et charitate spiritualiter suscipere et amplecti Christum pro nobis passum et mortuum ». Si enim Christus verba illa pronuntiavit et intelligi voluit sensu proprio, nemo negat aut negare potest, iis enuntiari distincte et clarissime doctrinam, quam tenet Ecclesia catholica de reali praesentia et reali sumptione corporis et sanguinis Christi in Eucharistia; si vero sensus est alter translatus, *ex his verbis* veritas doctrinae catholicae de Eucharistia demonstrari non potest. Iam vero prorsus evidens est, Christum in hac sermonis parte non esse locutum sensu verborum translato de fide in ipsum aut in eius mortem, sed conclusa et absoluta v. 47 oratione de necessitate fidei, hic iam sensu proprio promittere suam carnem manducandam et suum sanguinem bibendum. Id constabit ex comparatione secundae partis cum parte prima, ex indole et diversitate locutionum quae sunt in prima et in secunda parte, ex modo quo pars utraque a Iudaeis intellecta et a Christo confirmata est, ex iis quae consecuta sunt, simul spectatâ Christi Domini effusissimâ charitate et consuetâ docendi ratione. His autem argumentis tamquam certa supponitur distinctio duplicis partis, quae ipsa suppositio utpote ab adversariis negata nobis probanda est. Consideremus ergo per compendium totam orationem.

In totius sermonis exordio v. 26-31 Christus eo, quod Iudaei non fide sincera propter finem supernaturalem sed ob beneficia tantum temporalia eum quaerebant (1), horta-

(1) « Quaeritis me, non quia vidistis signa sed quia manducastis et saturati estis ».

tur: « Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam, quem Filius hominis dabit vobis ». Sensus verbi *operamini* non potest esse, ut ipsi efficiant hunc cibum, nam ipse Filius hominis eum daturus est; sed sensus est, ut *comparent* hunc cibum et aliquid agant ex sua parte ad eum habendum (1). Qualis sit hic cibus manens in vitam aeternam, Dominus explicaturus est in tota oratione; est nimirum panis vitae, isque sub duplici ratione, ut cibus sensu translato iam datus a Patre, ut cibus sensu proprio dandus in futuro a Filio hominis; unde sicut infra v. 52. ita et hic futuro tempore utitur: *dabit vobis*. Iudaei non interrogant, qualis sit ille cibus dandus a Filio hominis, quem comparare iubentur, sed interrogant de opere quod ipsi operari iubentur, et quod intelligunt non posse esse nisi opus divinum: « quid faciemus, ut operemur opera Dei? » ac si dicerent: quomodo nos operabimur opera ad habendum talem cibum, quem dare solius Dei esse potest. Respondet Christus, esse illud, quod ab eis postulatur, utique opus Dei et tamen debere fieri etiam ab ipsis: « hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille ». Iam Iudaei, ut credant in ipsum, postulant signum non quodcumque, sed quale Moyses fecit in deserto dans patribus eorum panem de coelo. Haec postulatio nectitur tam cum miraculo pridie facto a Christo, quod ipsi in comparatione cum signo Moysis dantis manna in deserto pensi habent, quam cum verbis Christi promittentis cibum permanentem in vitam aeternam; sive iam habuerint illi Iudaei sive non habuerint prae oculis traditionem, cuius apud Rabbinos mentio est, Messiam sicut Moysen daturum manna de coelo (Cf. Card. Wiseman lect. I).

(1) Ita hebraicum, עָשָׂה *facere* significat etiam *comparare, acquirere,* ut Gen. XXXI. 1. Iacob « comparavit עָשָׂה omnes has opes », LXX. *πεποιηκε πασαν την δοξαν ταυτην.* Nominatim significat *parare, apparáre* cibum, convivium: Abraham tulit vitulum deditque puero, qui festinavit ad apparandum illum (לַעֲשׂוֹת אֹתוֹ gr. *του ποιησαι ἀυτο*), et vitulum, quem apparaverat (אֲשֶׁר עָשָׂה gr. *ὁ ἐποιησε*), posuit coram eis » Gen. XVIII. 7. 8. (Vid. Gesenii Thesaur. sub v· עָשָׂה)

Ad hanc Iudaeorum postulationem Dominus declarat, se ipsum esse *panem de coelo verum,* qui dat vitam mundo v. 32. 33: « Amen, amen dico vobis: non Moyses dedit vobis panem de coelo, sed Pater meus dat vobis panem de coelo verum. Panis enim Dei est, qui de coelo descendit et dat vitam mundo ». Quibus verbis continetur *propositio* toto sequenti sermone explicanda. In propositione hac non diserte dixerat Christus, *se ipsum* esse panem de coelo, neque id Iudaei intellexerunt; aiunt ergo: « Domine semper da nobis panem hunc ».

Ad hanc petitionem Christus nunc ingreditur orationem, qua explicat diserte, *quis* sit et *qualis* sit *panis vitae,* esse scilicet se ipsum panem vitae idque sub duplici diversa ratione, cuius utriusque explicatio constituit duas orationis partes. Pars tam prima quam secunda est interrupta obiectione a Iudaeis facta, et eatenus utraque potest iterum distingui in binas ita, ut primum simpliciter declaretur doctrina, deinde eadem confirmetur in responsione ad propositam difficultatem.

1ª. Pars incipit ab ipsa explicita propositione: « *Ego sum panis vitae,* » sive hebraismo communissimo *cibus* vitae. Sub qua ratione Christus dicat, se esse panem vel cibum vitae, ipse declarat. Declaratio continetur in praedicatis, quae omnia nihil aliud enuntiant quam fidem in ipsum, et fructum vitae derivatum ab ipso in credentes: « qui *venit ad me*, non esuriet, et *qui credit in me* non sitiet umquam; vidistis me (cum omnibus motivis credibilitatis, ut supra v. 27 dixit de se: « hunc Pater signavit »), et non *creditis;* omne *quod dat mihi Pater, ad me veniet,* et eum qui *venit ad me*, non eiiciam foras; descendi de coelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me, haec est autem voluntas eius, qui misit me, Patris, ut omne *quod dedit mihi,* non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die; ut omnis, qui videt Filium et *credit in eum*, habeat vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die. » Est manifestum ex his, Christum hucusque se proponere ut obiectum fidei atque ita ut *panem seu cibum vitae* sensu translato, qua-

tenus fides in ipsum est principium vitae supernaturalis. Iudaei facile intellexerunt hunc sensum sub nomine *panis,* neque inde nova eis oritur difficultas, quod Christus *panem* se ipsum dixerit, sed quod se dixit *descendisse de coelo:* « Nonne hic est Iesus filius Ioseph, cuius nos novimus patrem, et matrem, quomodo ergo dicit hic : quia de coelo descendi? » Ad hanc obiectionem respondet Christus persistendo in praecepto fidei iam inculcato, et declarans esse necessarium ad fidem in ipsum, sicut oportet, concipiendam, ut quis trahatur a Patre, ut audiat et discat a Patre, ac tandem concludit totam orationem de necessitate fidei in ipsum epilogo clarissimo : « Amen, amen dico vobis: qui credit in me, habet vitam aeternam » v. 35-47. Post hanc conclusionem nulla amplius fit mentio de fide, sed incipit plane nova series praedicatorum.

2ª. Pars orationis est v. 48-59, quam Dominus exorditur eadem propositione sicut priorem: « *Ego sum panis vitae,* » seu cibus vitae. At dum declarat rationem, sub qua sit *panis vitae,* iam, ut dixi, non de fide loquitur ne semel quidem sed agit unice de *huius panis manducatione* et de manducationis fructu: « Patres vestri manducaverunt manna in deserto... Hic est panis de coelo descendens, ut si quis ex ipso *manducaverit,* non moriatur. Ego sum panis vivus. Si quis *manducaverit* ex hoc pane, vivet in aeternum. » Et continuo diserte explicat, hunc panem manducandum se ipsum esse non in eo statu, in quo tunc erat, sed suam carnem, quam in futuro ut cibum daturus erat: « *et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* » In priori parte non nisi semel in ipsa prima propositione se exhibuit ut *panem* vitae propter nexum orationis, verbum autem *manducare* adhibuit numquam sed, ut vidimus, constanter verba *venire ad ipsum, credere in ipsum* etc.: in hac altera parte orationis subiectum in quovis commate est *panis de coelo descendens, panis vivus, hic panis;* verbum seu praedicatum non additur aliud, quam ut panis hic dicatur *manducandus.*

Potest quidem per se *panis* seu *cibus* sumi metaphorice, sicut revera accipitur in propositione 1ªᵉ partis; absolute loquendo adhuc *manducatio panis* posset esse metaphora si-

gnificans susceptionem Christi per fidem in Christum, id tamen in hoc contextu, ubi metaphora manducationis ad exprimendam ideam fidei in priori parte tam sollicite vitatur, iam esset improbabile; etiamsi nihil aliud adderetur. At vero quando Christus declarat, panem quem dabit manducandum, esse carnem suam, sensus ille metaphoricus omnino excluditur. Nam in propositione: « si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum, et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita », incisum secundum: « panis quem ego dabo, caro mea est, ea ipsa scilicet quae est pro mundi vita » (vel ut vulgatus textus graecus explicite habet, quam ego dabo seu offeram pro mundi vita), hoc inquam incisum est explicatio nominis *hic panis* in priori inciso; unde evidenter sensus est: « si quis manducaverit ex hoc cibo, in quem cibum ego dabo seu ponam ipsam meam carnem, vivet in aeternum ». At profecto manducare ex cibo, qui est ipsa caro Christi data a Christo, ut manducetur, non potest significare credere in Christum vel in mortem Christi.

Hoc totum adhuc luculentius demonstratur ex sequentibus. Iudaei qui optime intellexerant panem vitae in prima parte orationis sensu metaphorico (esse scilicet panem vitae ipsum Christum ut obiectum fidei; unde ibi eos vidimus non murmurasse, quod se panem dixisset, sed quod dixerat se de coelo descendisse); nunc intelligunt verba Christi in secunda parte sensu proprio, qui scilicet solus menti audientium occurrere poterat. Litigabant ergo Iudaei non iam, quod se dixerat panem qui de coelo descendit; sed « litigabant ad invicem, dicentes: quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? » Sicut in prima parte intellexerant sensum de fide in Christum ut qui descenderit de coelo, et simul cogitabant de modo quo potuerit descendisse de coelo, cuius ipsi noverant patrem (ut putabant) et matrem; ita hic intelligunt sensum, promitti ac praecipi carnem Christi manducandam, et simul cogitant de modo, quo id fieri possit; ac porro tum illum descensum de coelo tum hanc manducationem carnis nolunt credere. Christus igitur non postulans myste-

riorum comprehensionem sed fidem, sicut pro ingenio et dura cervice illorum hominum in responsione prioris partis pergit insistere in asserenda necessitate fidei in ipsum et docet necessitatem gratiae ad hanc fidem, quia scilicet rite intellexerant sensum verborum eius postulantis fidem in ipsum eiusque descensum de coelo, non tamen explicat modum huius descensus: ita in parte hac altera non declarat saltem non distincte modum (1), quo carnem suam dabit in cibum, sed insistit in asserenda veritate sensus quem intellexerant in eius verbis, idque per sex integra commata et iis locutionibus, quae veritatem sensus proprii ab eis intellecti omnibus dicendi modis confirmant, et plane excludunt suspicionem sensus translati forte subiiciendi verbis, quibus dixit cibum dandum ipsam suam carnem esse. Nam immediate ad repugnantiam Iudaeorum: « quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum », Christus excipit affirmando, hoc ipsum fieri debere, quod ipsi fieri posse negabant; atque forma attestationis solemni: « amen, amen dico vobis », inculcat, carnem suam esse manducandam, idque distinctim nominando carnem manducandam et sanguinem bibendum, atque iterum utrumque coniungendo declarans manducationem carnis et potionem sanguinis fore talem, ut ipsemet manducetur: « qui manducat me ».

Ulterius est gradatio in ratione ac fine et sanctione mandati, quo Dominus praecipit manducationem carnis suae: 1° sub comminatione mortis spiritualis: « nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis »; 2° sub promissione conservationis vitae aeternae: « qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam » etc.; 3° sub intensiva affirmatione proprietatis cibi ac potus: « caro enim mea *vere* est cibus et sanguis meus *vere* est potus »; 4° sub declaratione effectus, qui est mansio nostri

(1) In confuso modus supernaturalis, quo Christus daturus erat carnem et sanguinem in cibum et potum, ad excludendum statum naturalem manducandae carnis et bibendi sanguinis continetur v. 58, ubi post distinctionem: « qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, » subdit coniunctionem velut synonymam: « qui manducat me. »

in Christo et Christi in nobis; ex qua mansione; 5° consequitur secundum similitudinem cum divino archetypo unitatis Patris et Filii, communicatio et derivatio vitae a Christo in manducantem: « qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo. Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem (δια τον πατερα), et qui manducat me (ὁ τρωγών με), et ipse vivet propter me ». Hunc in modum affirmato eo, quod Iudaei fieri posse negaverant: « quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? » tandem concludit totam orationem repetitis fere iisdem verbis, quae dixerat ante obiectionem Iudaeorum: « hic (ita nunc declaratus) est panis, qui de coelo descendit... qui manducat hunc panem, vivet in aeternum ».

Iam proposito orationis totius contextu facile perspicitur evidentia argumentorum, quae initio indicavimus.

1°. Duae sunt partes orationis v. 35-59, quarum subiectum non est quidem adaequate diversum, sed est unum subiectum Christus et sub una appellatione *panis vitae;* at sub alia ratione exhibetur in priori parte et sub alia in posteriori, ut constat tum ex forma velut rhetorica orationis tum ex omnimoda diversitate praedicatorum. Nam pars prior v. 35-47 incipiens a propositione: « ego sum panis vitae », propriis et clarissimis verbis explicat hunc panem vitae ut obiectum fidei, atque manifestissima conclusione v. 47 absolvitur. Tum v. 48 eadem praefigitur propositio: « ego sum panis vitae », et hic panis vitae explicatur iam praedicatis omnino diversis; nulla enim amplius facta mentione de fide promittitur in futurum Christus ut panis vitae manducandus, et hic panis manducandus declaratur esse caro Christi. Iudaeis hanc partem orationis intelligentibus sensu omnino diverso a priore, nimirum non amplius de necessitate credendi in Christum sed sensu proprio verborum de necessitate manducandi carnem Christi, ipse Dominus multipliciter repetit et inculcat ut verissimum hunc sensum proprium, quatenus Iudaei verba intellexerant de vera et reali manducatione carnis eius. Atqui haec omnia demonstrant, admitti nullo modo posse, ut oratio inde a v. 48 sumatur tamquam continuatio praecedentium et ulterior explicatio

fidei in Christum. Nam non solum declaratio necessitatis fidei clarissima in superioribus et absoluta v. 47 nunc resumeretur eodem exordio: « ego sum panis vitae », unice ad dicendum obscurissime, quod prius dictum fuerat clarissime; sed praedicata omnia huius partis ea sunt, quae de fide et necessitate credendi nec a Iudaeis intellecta sunt nec secundum usum loquendi et significationem verborum hoc sensu intelligi potuerunt, qua de re paulo post adhuc sermo recurret. Habet ergo oratio inde a v. 48 evidenter pro subiecto panem vitae sub alia diversa ratione, quam pars prior a v. 35-47: atque adeo duae sunt totius orationis partes sensu diversae.

2°. Sensus diversus in eo est, quod in priori parte *panis vitae* declaratur in sensum metaphoricum, quatenus Christus est obiectum fidei et per fidem nutrit vitam supernaturalem animae, quae declaratio fit, ut explicationem decet, locutionibus propriis vel certe clarissimis. In parte altera *panis vitae,* explicatur in sensum proprium, proprium inquam non significatione specifica *panis* sed significatione generica *cibi;* quamvis, ut ex huius promissionis complemento in institutione Eucharistiae elucet, sit ratio, cur Christus se potius *panem vitae* dixerit quam solum generice *cibum vitae,* quia sub visibilibus speciebus *panis* se cibum fecit. Explicatio autem, ut in priori parte, et ut declarationis natura ac finis postulat, fit praedicatis in significatione propria et clarissima. Panem enim hunc, quem daturum se Christus promittit, declarat esse carnem suam, et suam carnem esse manducandam, et suum sanguinem bibendum; atque ita carnem suam esse *vere* cibum, sanguinem suum *vere* potum ad retinendam, fovendam ac nutriendam vitam supernaturalem. Haec omnia praedicata *carnem suam, sanguinem suum,* oportere *manducare carnem Filii hominis, bibere sanguinem eius, carnem esse vere cibum,* sanguinem *vere potum,* a Christo Domino dicta esse et intelligi debere sensu proprio, est evidens ex hisce capitibus:

a) Ex necessitate sensus proprii. Locutiones manducare carnem et bibere sanguinem alicuius sensum *translatum* nullum habent nisi in malam partem, et nominatim in

lingua ac usu loquendi notissimo illius gentis, cui Christus loquebatur, habebant sensum *translatum* determinatae significationis de insignibus iniuriis, calumniis, persecutionibus ec. contra aliquem exercitis (1). In locutionibus igitur repetitis Christi Domini: « nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis » etc., cum ille sensus metaphoricus ex vi et usu vocum solus possibilis evidenter repugnet ex contextu, non poterat vel a loquente subiici vel audientibus in mentem venire alius ullus sensus quam proprius. Hunc ergo sensum proprium Christus voluit expressum et ab auditoribus intellectum.

(1) De hac significatione inter philologos nulla amplius est dubitatio cf. Ps. XXVI. (heb. 27.). 2; Iob. XIX. 22; Mich. III, 3. Ubi Vulg. Dan. III. 8; VI. 24. habet verbum *accusare,* in textu chaldaico est: « comedebant frusta (carnem) Iudaeorum; comederant frusta Danielis ». In novo Testamento Luc. XVI. 1: *diffamatus est,* vertit Syrus: « comedebantur ei frusta (carnes) eius; » Math. XXVII. 12: « cum accusaretur a principibus sacerdotum », Syrus: « cum frusta (carnem) eius comederent principes sacerdotum »; nomen διαβολος redditur velut nomen iam proprium « comestor frustorum ». Vide Card. Wiseman Lect. II. Bene autem advertatur, hanc constantem significationem *metaphorae* in malam partem esse locutionis complexae *manducare carnem alicuius.* Nam aliud est, quod aliquando doctrina vel sapientia exhibetur sub metaphora panis comedendi vel vini bibendi, ut Prov. IX. 2-5; Ecclesi. XV. 3; XXIV. 29. etc. Commemorationem tamen meretur difficultas, quae adversus hucusque dicta opponi posset ex Iob XXXI. 31: « dixerunt viri tabernaculi mei: quis det de carnibus eius ut saturemur? » Sed huius loci multiplex est etiam apud SS. Patres interpretatio; alii enim intelligunt, verba esse odii domesticorum adversus Iob (vide S. Gregor. Moral. l. XXII. c. 13. n. 26.); alii item de odio interpretantes, pronomen *eius* referunt non ad Iob sed ad eius hostes; alii recentiores intelligunt non carnes Iob vel inimicorum eius sed liberalem victum hospitibus et pauperibus ab ipso suppeditatum; hebraice enim est: quis dabit (reperiet aliquem), qui de carne (victu) eius non sit saturatus. Postremo alii etiam ex Patribus interpretantur de amore flagrantissimo domesticorum erga Iob, quo sensu in sacra liturgia quoque verba accomodantur vel explicantur de Eucharistia. Primae duae interpretationes confirmant quod diximus; in tertia locus huc non pertinet, quarta denique derivata est ex ipsis Christi Salvatoris verbis. Tum vero verba, si accipiuntur sensu literali vel typico ut prophetica, non metaphoricâ sed propriâ significatione explicari debere, demonstrat mysterium ipsum, ad quod referuntur. Cf. Pinedam in h. l.

b) Ex auditorum intelligendi modo et Christi responsione. Auditores verba illa, « si quis manducaverit ex hoc pane... et panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita », revera intellexerunt sensu proprio, quo solo dicimus intelligi potuisse: « quomodo potest hic nobis *carnem suam dare ad manducandum?* » Iam hanc ipsam eorum locutionem « dare carnem suam ad manducandum » sensu proprio ab eis dictam et rem obiectam ut impossibilem, Christus suscipit et verbis multo adhuc efficacioribus sexies repetit, revera ita, ut ipsi velut impossibile credere recusabant, futurum esse et fieri debere: « amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem etc. » Confirmat ergo Christus genuinum esse sensum, quem ipsi intellexerunt, intellexerunt autem de vera et propria manducatione verae et substantialis carnis Filii hominis. Neque contextus orationis sensum metaphoricum, quem adversarii intrudunt, ulla ratione admittit. Quid enim? auditores nulla certe sua culpa intellexerant verba Christi « caro mea est etc. » sensu obvio, nec cogitare poterant de metaphora a nullo umquam hominum usurpata vel audita; et quia res verbis expressa videbatur eis impossibilis, proponunt difficultatem secundum hunc sensum a se intellectum: « quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? » Nunc vero divinus magister veritatis his ipsis auditorum verbis, quae illi dixerant sensu proprio, et etiam efficacioribus inculcat, ita ut dixerant, omnino fieri debere: « amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis etc., » subiiciens interim ex hypothesi adversariorum suis verbis sensum plane diversum, quam quo auditores ea dixerant et de quo solo cogitare poterant, nihil scilicet aliud volens quam per metaphoram nemini intelligibilem significare id, quod superius dixerat clarissime, in ipsum esse credendum! Atqui haec cum sapientia et bonitate divini magistri omnino pugnant. Resumpsit ergo Dominus verba auditorum sensu, quo ipsi intellexerant, h. e. sensu de substantiali sua carne vere manducanda et suo sanguine vere bibendo.

c) Ex iis quae secuta sunt. Sicut verba superiora auditores intellexerant de carne Filii hominis proprio sensu

manducanda, ita et repetitas et intensiores declarationes, quibus eum sensum confirmavit, non alio sensu intelligere poterant. Hinc cum viderent, sensum esse clarum, nec tamen suum intellectum Christi auctoritati in obsequium fidei subiicere vellent, « multi ex discipulis eius audientes dixerunt: durus est hic sermo et quis potest eum audire? » unde « ex hoc multi discipulorum eius abierunt retro, et iam non cum illo ambulabant » v. 62. 67. In priori parte sermonis quando Dominus fidem postulabat in se ipsum, ut qui de coelo descenderit; murmurabant *Iudaei*. In hac ipsa altera parte initio, ubi dixerat, panem manducandum esse carnem suam, adhuc dicuntur inter se litigasse *Iudaei*. At post declarationem ineluctabilem: «nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem etc.,» iam *multi ex ipsis discipulis* conqueruntur, durum esse hunc sermonem, et a sequendo Christo deficiunt. Si adversariorum hypothesis vera esset, causa erroris et consequentis defectionis ac summae calamitatis tandem eo revocaretur, quod verba Christi intelligebant sensu proprio, quem ex usu loquendi solum habere poterant, et non intelligebant sensu metaphorico, quem omnia adiuncta excludebant. Christus Dominus errorem ortum ex ipsa obvia significatione orationis suae eos dedocere potuisset simplicissima explicatione, nihil aliud illas sententias numquam antea auditas sibi velle, quam quod millies et nunc in prima parte sermonis iterum clarissime dixerat, sibi ut misso a Patre fidem habendam esse. Attamen non solum hanc necessariam in hypothesi explicationem non profert, sed perstat in suis verbis, ut ipse ea dixerat et discipuli intellexerant, et ad ea confirmanda appellat ad suam originem coelestem a Patre et ad suam futuram glorificationem: « Hoc vos scandalizat? (scilicet *hoc*, quod ipsi appellaverant durum sermonem, quod nihil aliud est quam intellecta ab eis realis manducatio carnis et potio sanguinis Iesu Christi); si ergo videritis Filium hominis ascendentem, ubi erat prius? » (Quoad huiusmodi Domini provocationes ad suam coelestem originem et ad glorificationem humanitatis confer Io. I. 51; III. 13; VIII. 14; XIV. 28, 29; Matth. XXVI. 64. etc.; et in

prima parte huius ipsius sermonis similia occurrunt, ut v. 46).

Ex hac ad suam divinitatem et glorificationem suae humanitatis appellatione deinde docet, rem propositam esse ordinis supernaturalis non autem naturalis. Ad hunc enim sensum videntur revocari verba: « spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam (1), » si generice spectentur; si vero modus quo res sit supernaturalis, definiatur, *spiritus* est ipsa divinitas Christi qua eius caro est vivifica, cui opponitur *caro* seu natura inferior ex se et seiunctim a divinitate spectata. Cf. 1. Pet. III. 18; Rom. I. 3. 4; 2 Cor. XIII. 4. Unde et verba, quae dixerat de manducatione carnis suae, sunt supernaturalia et vivificantia tum ratione eius, a quo dicuntur, tum ratione rei quam significant: « verba quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt. » Ideo eis respondere debet fides supernaturalis per gratiam: « sunt quidam ex vobis qui non credunt... Propterea dixi vobis, nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo. » Postulat ergo fidem sed fidem in verba sua, ut ea dixerat et ab auditoribus intellecta fuerant de manducatione suae carnis. Tum vero absque ulla sensus verborum emollitione sinens discedere discipulos, qui haec credere recusabant, ipsos etiam Apostolos interrogat, num ob doctrinae, ita ut erat intellecta, difficultatem vellent etiam ipsi abire v. 62-68. Atqui haec est nova et luculentissima confirmatio, revera eum esse sensum, quem verba praeseferunt et quem auditores intellexerant de reali et substantiali Christi carne manducanda et sanguine bibendo, spectata praesertim infinita di-

(1) Possent etiam haec verba accipi de sublimiori et supernaturali intelligentia contra intelligentiam carnalem; ex qua oriebatur Iudaeorum incredulitas. Quoad hanc significationem confer Rom. VIII. 5. sqq.: « prudentia carnis mors est, prudentia autem spiritus vita et pax, » et alia loca passim in novo Testamento. « Caro mea est pro mundi vita. Hoc quando caperet caro, quod dixit panem carnem? Vocatur caro, quod non capit caro... Hoc enim exhorruerunt, hoc non posse fieri putaverunt. Norunt fideles corpus Christi, si corpus Christi esse non negligunt; fiant corpus Christi, si volunt vivere de spiritu Christi » S. August. in Io. tract. 27. n. 13.

vini magistri bonitate et misericordia, «qui venit salvum facere, quod perierat»; et missus est in mundum, «non ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.»

Illustrari hoc argumentum potest ex consueta Christi Domini docendi ratione. Quando enim locutiones metaphoricae ab auditoribus praepostere intelligebantur in sensum proprium, saltem quoties id accidit non ex mera calumniandi lubidine sed ex ignorantia, Christus errorem dedocere solebat addita explicatione. Habes hanc rem declaratam apud Card. Wiseman lect. III. Exempla sunt Io. III. 3-5; IV. 32; XI. 11; VIII. 32; Matth. XVI. 6 etc. Iam vero in hac, de qua agimus, oratione error in adversariorum hypothesi ortus esset gravissimus, inducens in defectionem a sequendo Christo multos discipulorum, eo quod verba intelligenda metaphorice accepissent sensu proprio, idque ex ipsa verborum obscuritate seu potius ex claritate sensus proprii. Nihilominus Christus nullo verbo explicuisset sensum metaphoricum, sed perstitisset in iisdem sententiis male intellectis repetendis, seu potius tota loquendi et agendi ratione praeposteram intelligentiam confirmasset. Atqui haec absona plane sunt a Christi Domini bonitate et consueta docendi ratione. Ergo illa adversariorum hypothesis sensus metaphorici etiam ex hoc capite repugnat.

3.io Superest ut consideremus descriptionem effectus, ad quem manducatio carnis Christi promittitur et necessaria declaratur, quia ex hoc capite Protestantes non pauci communem Catholicorum interpretationem huius sermonis impugnare consueverunt. Hic tria sunt animadvertenda. Imprimis caro et sanguis Christi vere *cibus* est ac *potus,* adeoque ad vitam supernaturalem ut signum efficax et causa refertur per modum cibi ac potus, proindeque vitam supernaturalem gratiae et per gratiam unionem fidelium cum Christo ut vivorum membrorum cum capite non primum efficit sed supponit praeexistentem, atque ad eam nutriendam, augendam, et conservandam speciali modo pertinet. Hinc Christus supposita vita promittit fore, «ut si quis ex ipso (hoc pane) manducaverit, *non moriatur*» v. 50; hinc etiam evidentius post factam iam institutionem Apostolus intentat terribilem illam sen-

tentiam: « qui manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit non diiudicans corpus Domini; » et ideo praecipit: « probet autem (δοκιμαζέτω probatum se exhibeat cf. Conc. Trid. sess. XIII. c. 7) se ipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat » 1 Cor. XI. 27-29. Ergo locutiones affirmantes: « si quis manducaverit ex hoc pane, *vivet in aeternum, habet vitam aeternam, in me manet et ego in illo, vivet propter me* », significant incrementum, conservationem, retentionem vitae supernaturalis et consequenter promissionem vitae aeternae, quantum est ex parte virtutis ipsius sacramenti, ut mox explicabimus. Non autem significant haec promissa primam vitae inchoationem, sicut in 1ª parte, ubi de fide agitur, significant verba *venire ad Christum, dari Christo, trahi ad Christum.* His positis intelligitur etiam locutio negativa v. 54: « nisi manducaveritis carnem Filii hominis... *non habebitis vitam in vobis* »; videlicet *non retinebitis* vitam in vobis.

Quia igitur actualis participatio corporis Christi in Eucharistia supponit vitam gratiae, et quia habens vitam gratiae, quamdiu eam habet, est heres regni, illa participatio non est quidem absolute necessaria ad salutem. Attamen quia instituta est et ex sese pertinet ad conservandam vitam gratiae, ea *a*) est necessaria ad salutem vi praecepti divini omnibus, qui praecepti sunt capaces; transgrediendo enim libere praeceptum amittunt vitam gratiae; *b*) est necessaria ut medium ad conservandam vitam gratiae iis, qui hanc vitam possunt peccando amittere; ita tamen ut, si absque sua culpa hoc medio priventur, illud possit suppleri aliis mediis ad impetranda adiutoria divina; unde *c*) iis, qui usu rationis destituti sunt, nec vi praecepti nec ut medium conservationis vitae est necessaria ad salutem (Concilium Tridentinum sess. XXI. cap. 4. can. 4). Inter verba ergo Christi, quae aliquando ad movendam difficultatem comparari solent: « nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei » Io. III. 5, et: « nisi manducaveritis carnem Filii hominis... non habebitis vitam in vobis » Io. VI. 54, discrimen est maximum, non tam in eo quod formâ etiam grammaticâ prior sententia universalior est quam secunda,

sed quod in priori agitur de prima ad vitam generatione, sine qua nemo vivere potest, in altera sermo est de medio ad conservandam et augendam vitam, quae iam haberi supponitur et quacum, quamdiu habetur, salutis consecutio connectitur.

Quod si Pelagiani distinguebant inter regnum coelorum et vitam aeternam ita, ut illud concederent ex Io. III. 5 non obtineri ab infantibus nisi per baptismum, hanc autem eis assererent sine baptismo; Patres quidam et Augustinus prae ceteris ex Io. VI. 54 hanc confutabant distinctionem docebantque, « parvulos nisi manducaverint carnem Filii hominis, vitam prorsus habere non posse » August. l. I. contr. Iulian. c. 4. n. 13 ex Innocen. I. At huiusmodi Patrum loca polemica interpretanda sunt dupliciter; primum enim docent, parvulis spiritualiter mortuis per peccatum infundendam esse vitam per sacramentum. Cum iam pro disciplina eius temporis simul cum baptismo eis conferretur Eucharistia, et adversus sophistas Pelagianos quaerendum esset testimonium, quo non solum ius ad regnum coelorum sed etiam totidem verbis vita parvulis deesse et per sacramentum demum donari ostenderetur, Patres utebantur his Christi verbis Io. VI. 54 dictis de vita gratiae, quae parvulis conferebatur per Eucharistiam non quidem prima sed tamen eodem moraliter tempore, quo ipsa prima gratia eis infundebatur per baptismum. Hinc secundo agunt Patres de necessitate pro parvulis, ut Christo coniungantur, quae coniunctio licet iam fiat sufficienter ad salutem per baptismum, fit tamen *specialiter* in Eucharistia, atque ideo propter simultaneam susceptionem utriusque sacramenti his Christi verbis uti poterant ad ipsam necessariam coniunctionem cum Christo demonstrandam.

Alterum est, quod in verbis Christi observari debet. Promissiones Christi habent quidem formam absolutam et universalem: « si quis manducaverit ex hoc pane, *vivet in aeternum, habet vitam aeternam, in me manet, vivet propter me.* » At sicut universim in institutionibus divinis, sacramentis et mediis salutis, ac gratiae collatione, ita et hic locutionibus huiusmodi absolutis describitur efficacia et finis sacramenti, quantum in se est et ex parte voluntatis

Dei salvificae; verumtamen ut effectus actu obtineatur, iuxta universalem oeconomiam salutis semper in adultis supponitur respondens rectus usus et cooperatio ex parte hominum. Unde non locutiones ipsae indigent restrictione et emollitione, sed praeter id quod illae enuntiant de fine praesidiorum salutis secundum se et ex parte voluntatis divinae, considerari etiam debet id quod conferendum est ex parte hominum. Est enim caro Christi vere cibus et sanguis Christi vere potus v. 56; nihilominus nobis praecipitur: «operamini cibum, qui permanet in vitam aeternam, quem Filius hominis dabit vobis» v. 27. Cf. dicta de fide iustificante in th. VIII de Sacram. in Gen.

Tertium est animadvertendum, quod respicit aliquos theologos catholicos. Fuerunt enim, licet paucissimi, qui ne ex hoc capite Io. VI, si ad Eucharistiam referretur, praeceptum communionis sub utraque specie consequi videretur, maluerunt negare, in eo de Eucharistia sermonem esse; ut Nicolaus Cusanus ep. 7 ad Bohemos, Caietanus in 3. q. 80. a. 12 et alii (vide Bellarmin. de Euch. l. I. c. 5). Contra hanc eorum sive cautionem sive opinionem observanda sunt, quae subiicio. *a*) Distinguit quidem Christus Dominus *manducare carnem suam* et *bibere sanguinem suum,* et caro Christi vi verborum praesens sub speciebus panis sumitur ratione specierum proprie manducando non autem bibendo, pariter sanguis Christi vi verborum praesens sub speciebus vini sumitur ratione specierum proprie bibendo et non manducando; non ergo potest negari, duplicem *modum* diversum sumptionis carnis et sanguinis pro duplici diversa specie visibili indicari illis verbis: «nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis eius sanguinem» etc. At *b*) pro praesenti statu carnis et sanguinis Domini, qui iam non moritur, caro est ita inseparabiliter unita sanguini et tota humanitas divinae personae, ut, ubi vi verborum praesens fit sive caro sive sanguis, praesens sit totus Christus. Unde ipsemet manducationem carnis et potionem sanguinis explicat per manducationem ipsius Christi: «qui manducat me.» Ergo repugnat, ut quoad *rem ipsam,* quae sub alterutra specie est totus Christus, plus sumatur sub utraque quam sub una tantum specie. *c*) Ra-

tione *sacramenti* seu signi nutritionis ad vitam gratiae distinguit quidem Christus *cibum* et *potum:* « caro mea vere est *cibus,* et sanguis meus vere est *potus.* » Sed indigentia h. e. *fames et sitis,* cui cibus et potus medetur, in hoc ordine spirituali non sunt duae res sed una ac eadem, ut Dominus ipse indicat v. 35: « qui venit ad me non esuriet, et qui credit in me non sitiet umquam. » Unde refectio seu huius indigentiae sublevatio eadem significatur et efficitur per Christum in statu cibi sub specie panis ac in statu potus sub specie vini; quamvis igitur *modus* significandi refectionem per convivium expressior sit in utraque specie quam in una tantum, significatio tamen refectionis et proinde ratio sacramenti eadem est in una etiam specie. Ergo neque ratione rei quae sumitur, neque ratione sacramenti sub qua sumitur, potest ex Io. VI. ostendi necessitas communionis sub utraque specie; imo secundum utramque rationem ostenditur, nullam esse huiusmodi necessitatem saltem ex rei natura. Si ergo talis necessitas esset, ea probari solum posset ac deberet ex positivo Christi praecepto. Atqui *d*) neque hoc mandatum ex Io. VI. demonstrari potest. Mandatum contineretur illis verbis: « nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. » At mandatum his verbis expressum nititur in necessitate ad habendam i. e. retinendam ac conservandam vitam gratiae, et sumptio praecipitur Eucharistiae, quatenus haec est praesidium ad habendam vitam. Atqui ex dictis huiusmodi praesidium est etiam sub una specie per modum cibi (vel per modum potus) non secus ac sub specie utraque per modum cibi et potus. Ergo praecipitur solum sumptio corporis et sanguinis Christi, quod aeque fit sub una specie; non tamen praeceptum extenditur ad ipsum *modum,* ut sumatur manducando simul et bibendo. Hinc Dominus ipse eundem promittit effectum vitae aeternae indiscriminatim, sive ubi memorat solam manducationem sive ubi distinguit modum utrumque manducandi et bibendi. « Namque qui dixit: nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis, dixit quoque: si quis manducaverit ex hoc pane, vivet

in aeternum. Et qui dixit: qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam, dixit etiam: panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita » etc. Conc. Trid. sess. XXI. cap. 1.

4°. Expediendae essent difficultates, quae ex textu ipso evangelico et speciatim ex v. 64 opponi solent; sed eas iam in explicatione textus ac contextus hactenus data praeoccupavimus. Si de Patribus fiat quaestio, illi interpretantur quidem locum de quo agimus, de corpore et sanguine Domini in Eucharistia (vide Bellarmin. l. I. c. 5.); nihilominus apud unum vel alterum reperiuntur commentaria, quae indigent explicatione. Aliquando obiiciuntur Patrum declarationes, quasi Christus solum fide, spe et charitate suscipiendus diceretur, ex iis locis, in quibus non de secunda sed de prima parte sermonis Io. VI. agunt, ut Augustinus toto tract. 25°. et priori parte tractatus 26'. in Ioann. Aliquando Patres omissa explicatione Eucharistiae agunt de necessariis dispositionibus et conditionibus ad fructuosam susceptionem, vel de unione cum Christo, quae est sacramenti fructus. Atque ita aiunt, manducare carnem Christi et bibere sanguinem eius esse Christo uniri per charitatem; ut Augustinus tract. 26°. n. 15: « hunc cibum et potum, inquit, Christus societatem vult intelligi corporis et membrorum suorum.» Continuo vero subdit: « *huius rei sacramentum* alicubi quotidie, alicubi certis intervallis dierum in Dominica mensa praeparatur.» Mox prosequitur ibid. n. 18°: « hoc est manducare illam escam et illum bibere potum, in Christo manere et illum manentem in se habere. Ac per hoc, qui non manet in Christo et in quo non manet Christus, procul dubio nec manducat (spiritualiter) carnem eius nec bibit eius sanguinem, etiamsi *tantae rei sacramentum ad iudicium sibi manducet et bibat.* » Aliquando loquuntur Patres de manducatione « spirituali » in oppositione ad corporalem, ubi intelligunt manducationem *sacramentalem* (et spiritualem in effectu) comparate ad manducationem et manducationis modum ciborum communium. Imo Augustinus talem communem ciborum manducationem ponens ut *propriam,* hoc sensu susceptionem corporis Christi in memoriam passionis et mortis eius non

vult appellare *propriam* manducationem, et ideo locutiones Christi: « nisi manducaveritis carnem Filii hominis » etc., ait esse *figuratas:* « facinus vel flagitium videtur iubere; figura est ergo, praecipiens passioni dominicae communicandum, et suaviter atque utiliter recondendum in memoria, quod pro nobis caro eius crucifixa et vulnerata est. » De doctr. christ. l. III. c. 16. n. 24. Sed de Patrum doctrina distincte dicendi alibi locus erit.

Postremo ad Concilium Tridentinum quod spectat, tum ex ipsis verbis sess. XXI. cap. 1: « utcumque (sermo Christi Io. VI.) iuxta varias SS. Patrum et Doctorum interpretationes intelligatur, » quae postulante Guerrerio Archiep. Granatensi addita fuerunt, tum ex historia sessionis XXI. (Pallavicin. l. XVII. c. 11. cf. c. 7. n. 16.) certum est, noluisse Concilium *definire,* verba Io. VI. intelligi debere de sacramentali susceptione carnis ac sanguinis Christi et non solum de spirituali unione cum Christo, quemadmodum propriam significationem verborum institutionis sess. XIII. c. 1. definiverat. Hoc tamen non impedit, quominus sensus proprius verborum in illo Christi sermone theologice demonstrari possit, et ipsum Concilium hunc sensum verum esse satis indicaverit tam sess. XIII. cap. 2 quam XXI. cap. 1.

THESIS IV.

Demonstratio realis praesentiae corporis et sanguinis Christi in Eucharistia ex verbis institutionis.

« Verba institutionis Eucharistiae Matth. XXVI. 28; Marc. XIV. 22. » 24; Luc. XXII. 19. 20; 1. Cor. IX. 24. 25. intelligi non posse sensu » improprio de instituto signo et de figura corporis et sanguinis Christi, » sed intelligenda necessario esse sensu proprio affirmante ipsum corpus » et ipsum sanguinem Christi sub symbolis visibilibus constitui, de- » monstratur tum ex verbis in se consideratis, ut sunt apud quatuor scri- » ptores inspiratos, tum ex omnibus personarum et rerum adiunctis. »

Christus Dominus et Deus in ultima coena « accepit panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait: accipite et comedite: *hoc est corpus meum.* Et accipiens calicem gratias egit, et dedit illis dicens: bibite ex hoc omnes: *hic est enim sanguis meus* novi Testamenti, qui pro multis

effundetur in remissionem peccatorum » Matth. l. c. Verba haec Dei hominis: hoc est corpus meum: hic est sanguis meus, tam sunt simplicia, sensum habent tam clarum, ut Christiani omnes, qui Eucharistiam esse realiter corpus et sanguinem Christi constanti et fatentibus Protestantibus per multa saltem saecula universali fide crediderunt, profecto interrogati rationem suae fidei non alia indigeant quam his ipsis Christi verbis. Quia dixisti, Domine: hoc est corpus meum; credimus et profitemur: hoc est corpus tuum. Qui positis his verbis adhuc de sacramento Eucharistiae affirmant: hoc non est corpus Christi; ii potius videntur negare veritatem verborum et proinde veracitatem ac divinitatem loquentis; ad tentamen autem probandi alium esse verborum sensum, neminem ne admittere quidem oporteret. Neque enim finis talis probationis alius esse potest, quam sophistica detorsio verborum a suo sensu evidenti. Nihilominus quia Sacramentarii negant, verba haec institutionis Eucharistiae intelligenda esse sensu proprio et immediato, ac etiam conantur persuadere rationibus, ea posse et debere intelligi sensu translato, ut Christus Dominus nihil aliud voluerit quam panem et vinum instituere in signum ac symbolum corporis et sanguinis sui pro nobis in cruce oblati; verborum vim illustrabimus aliquot argumentis, quae et veritatem sensus proprii et fallaciam in probationibus adversariorum demonstrent.

I. Probatio prima *ex verbis ipsis*. In hoc argumento primum considerabimus Christi verba secundum leges quasdam generales linguae humanae, deinde secundum vim specialem quae eis inest.

1.° Sunt res, quae communiter ab omnibus vel certe ab iis, quibus loquimur, spectantur in se absolute, non autem spectantur ut signa aliarum rerum. Hinc quando de huiusmodi rebus aliquo nomine in praedicato enuntiatur, quid sint; in omni prudenti sermone semper intelligitur enuntiari, quid sint in se ipsis, non autem ad quid significandum illae res a loquente tum primum assumantur, nisi forte expresse declaretur a loquente, se rem illam usurpare vel instituere in signum rei alterius. Ideo propositio., in qua

res huiusmodi in mente loquentis assumerentur ut signa, atque ita de iis simpliciter praedicaretur res significata, semper censenda esset inepta aut fallax. Sic quia panis spectatur absolute quod in se est, non vero ut signum, nisi forte solemnis institutio in signum rei alterius aut diserta admonitio de assumptione in signum praecessisset, nugaciter sane loqueretur, qui mente sua concipiens panem ut signum e. g. Iosephi Aegyptii vel Moysis absque praeparatione et monitione audientium buccellam panis ostendens diceret: hic est Ioseph vel Moyses.

Vicissim sunt res, quae vel ex natura sua (ut imagines sculptae aut pictae, res materiales ostensae in visione prophetica aut in somniis etc.) vel ex praecedenti et nota institutione (ut typi veteris Testamenti etc.) vel ex manifesta indole orationis (ut res inductae in parabolis etc.) intelliguntur et ab omnibus concipiuntur sub ratione signi. De huiusmodi rebus non quaeritur, quid sint in se sed quid sit res significata; atque ideo non expectatur, ut per addita praedicata designetur earum proprietas absoluta sed significatio relativa. Hinc rectissime et sine ulla obscuritate dicitur e. g. ostendendo statuam: hic est M. Aurelius; de mappa geographica: haec est Italia. Si ex Scripturis exempla petuntur: septem boves pulchrae, septem ubertatis anni sunt (Gen. XLI. 26); hae quatuor bestiae quatuor sunt regna (Dan. VII. 17); candelabra septem, septem Ecclesiae sunt (Apoc. I. 20) etc.; item in explicatione parabolarum: ager est mundus, bonum semen sunt filii regni, zizania autem filii sunt nequam etc. (Matth. XIII. 38. 39); in explicatione typorum: Sara et Agar sunt duo testamenta (Gal. IV. 24); petra autem erat Christus (1. Cor. X. 4, si tamen petra ibi inducitur materialis). Pariter in symbolis: Moyses eliciens aquam ex petra est caput Ecclesiae novi Testamenti Petrus ministrans baptismum et sacramenta defluentia a Christo (ut saepissime in imaginibus veterum Christianorum, in quibus aliae huiusmodi typologiae plurimae).

Iam vero panis et vinum nec ex sese nec ex usu recepto nec ex antecedente institutione spectabantur vel spectari poterant ut signa, de quibus ad mentem Apostolorum in-

struendam solum dicendum fuisset, quid sit res significata; nec Christus ullo modo monuit, se instituere eas res in signum et nunc docere velle significationis terminum; sed res spectabantur sicut a ceteris omnibus ita ab Apostolis, ut absolutae sunt et in se ipsis. Ergo ne oratio inepta sit et fallax, verba Christi Domini: « hoc est corpus meum, » necessario habent sensum ontologicum, quid in se sit illud quod Dominus porrigebat, non autem sensum figurae et signi, quid panis et vinum significent.

Ex dictis manifestum est, quam sit absurda argumentatio, quando Sacramentarii exempla coacervant, in quibus de rebus vel ex natura sua vel ex evidenti contextu orationis spectatis tamquam signis praedicantur nomina rerum significatarum, ut inde persuadeant, etiam verbis institutionis Eucharistiae posse subesse hunc sensum: panis et vinum significant corpus meum et sanguinem meum; hocque suum argumentum dicunt esse ductum, si superis placet, ex parallelismo biblico. Parallelismus realis non est, nisi inter loca, quae de eadem re et sub eadem ratione agunt; parallelismus verbalis, ut hoc nomen mereatur, saltem exigit, ut et verba et verborum constructio sibi respondeant ita, ut ex uno loco significatio alicuius vocabuli in loco altero legitime eruatur. Atqui omnia illa loca quae proferuntur, nihil prorsus habere simile parallelismo reali, per se evidens est. Sed neque ullus est parallelismus verbalis, nisi forte loca omnia, in quibus occurrit verbum *est,* dicantur parallela. Nam primo in omnibus locis illis biblicis in subiecto ponitur id, quod habet apertam et manifestam rationem signi, ut diximus; deinde ipsa illa res, quae est signum, enuntiatur substantivo: septem boves, quatuor bestiae, septem candelabra, ager, bonum semen, petra; vel si est pronomen, ut in illo exemplo: haec (αὗται) sunt duo testamenta, pronomen manifesto refertur ad signum in contextu paulo ante expresse declaratum: « scriptum est, quoniam Abraham duos filios habuit, unum de ancilla et unum de libera... *quae sunt per allegoriam dicta.* Haec enim sunt duo testamenta. » Gal. IV. 22. 24. At in verbis Christi subiectum non est substantivum; neque enim dicitur: hic panis est corpus

meum, sed pro subiecto est pronomen *hoc* significans in confuso rem praesentem, quae quid sit, enuntiatur in praedicato : hoc est corpus, hic est sanguis. De hac pronominis significatione inferius distincte dicendi locus erit. Interim constat, propositiones quae pro subiecto et praedicato habent substantiva designantia res, quae si in seipsis et absolute spectarentur, omnino disparatae essent (ut boves et anni, ager et mundus etc.), et ubi insuper subiectum ex sua natura vel ex manifestis adiunctis habet rationem signi, ne in forma quidem grammatica et in modo significandi parallelas censeri posse cum propositione, ubi subiectum neque est substantivum et adhuc minus res ex sua natura vel ex manifestis adiunctis determinata ad rationem signi, sed est pronomen identificatum cum praedicato.

Praeter has propositiones quas indicavimus, comparant Protestantes cum verbis institutionis Eucharistiae alias magis adhuc dissitas, ut quando Christus dixit: ego sum vitis, vos estis palmites, Pater meus agricola est; ego sum ostium Io. X. 7; XV. 1. 5. cf. Dan. II. 38; 2. Pet. II. 17; Iud. v. 12. et 13. In his comparationibus nihil omnino esse simile cum verbis institutionis evidentius est, quam ut indigeat declaratione. Num verba institutionis forte habent : ego sum panis, ego sum vinum? In locutionibus superius indicatis saltem signum erat pro subiecto et de eo enuntiabatur res significata in praedicato, secundum quod Protestantes volunt de pane ut signo praedicari corpus Christi ut significatum; ex his vero posterioribus ne talis quidem extundi potest ratio parallelismi quantumvis falso asserta in prioribus. Nam hic de Christo, de Patre, de Apostolis praedicantur aliquae proprietates , quarum similitudo reperitur in obiectis sensibilibus, in vite, agricola, palmite etc.

Est scilicet haec altera lex humani sermonis, et usus loquendi communissimus , quod rei vel personae proprietates exprimimus eam appellando nomine rei vel personae alterius, in qua illae proprietates vel proprietatum similitudines sunt maxime sensibiles aut saltem notissimae. Sic hominem fortem appellamus leonem, astutum dicimus vulpem etc., ubi omnes continuo intelligunt, non aliud his nominibus de ho-

mine praedicari quam proprietates, quarum similes in leone, vulpe etc. sunt vel communi opinione putantur esse maxime conspicuae. In hac lege fundantur omnes metaphorae, quae si rite adhibentur, sermonem non modo non obscurum sed multo illustriorem reddunt et rem dicendam velut oculis subiiciunt. Sic ergo Christus sine ulla obscuritate dixit: ego sum vitis, vos palmites etc.; et insuper rationem comparationis disertius explicuit Io. XV. Velle igitur has locutiones adtrahere ad declaranda verba institutionis idem est ac dicere, in corpore Christi esse aliquas omnibus notas proprietates, quibus voluit Christus per comparationem exprimere et oculis subiicere proprietates panis. Ita cupide conquirentes loca parallela ad negandum sensum verborum evidentem, non solum in falsa sed etiam in manifesto absurda incidunt commenta. Cf. Op. Perpetuitas Fidei T. II. l. I. c. 12. seqq.

De tertia classe locutionum, quae a Protestantibus dicuntur sacramentales et cum verbis institutionis Eucharistiae conferuntur, inferius dicemus.

2°. Nunc ad complendum argumentum superest consideranda *propria vis verborum in se ipsis*. *a*) Pronomen *hoc* vel supponit pro re praesenti nondum determinata sed per praedicatum determinanda, quid sit; vel quod eodem redit, pronomen congruit cum praedicato, ut manifesto construitur in Vulgata: *hic* est sanguis meus. Non autem potest pronomen determinate panem significare; est enim sicut latine ita et graece *panis* *ἀρτος* masculini, pronomen *hoc* *τουτο* neutrius generis. Significant ergo verba Christi, illud quod porrigit, illam rem, quam dat manducandam, bibendam (accipite, manducate, bibite), esse corpus suum, sanguinem suum. Corpus autem et sanguis Christi non est signum tantum corporis et sanguinis.

b) Hoc confirmari potest ex modo, quo exprimitur praedicatum. Expressum est enim emphatice cum articulo repetito *το σωμα μου το ὑπερ ὑμων διδομενον· το αἱμα μου το της καινης διαθηκης, το περι πολλων ἐκχυνομενον* Matth. Marc. Luc. adeo ut sensus sit: hoc quod trado manducandum, est *ipsum* corpus meum, *ipsum* quod pro vobis datur; quod porrigo bi-

bendum, est *ipse* sanguis meus, *ipse* novi Testamenti, *ipse* qui pro multis effundetur (effunditur). Secundum hanc emphasim frequentissime Patres omnium aetatum dixerunt, Eucharistiam esse *ipsum* corpus, *proprium* corpus, *vere et proprie* corpus Christi, de quibus alio in loco dicemus. Huiusmodi autem sive particulae sive adverbia emphatica non quidem aliud significant quam simplex nomen *corpus meum,* sed adhibentur ad declarandam expresse proprietatem significationis et excludendum sensum improprium; proinde etiam sensum signi ac figurae excludunt.

Implet ergo nunc Dominus in quarto paschate suae praedicationis, quod ante annum in tertio paschate promiserat Io. VI. 52: « si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum; et panis *quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita,* » ubi auditores sensu proprio intellexerant manducationem carnis eius, et Christus hunc sensum ab eis intellectum confirmaverat. Nunc vero etiam modus clarescit, quo dat suam carnem manducandam, quem tum nec Iudaei nec ipsi Apostoli adhuc poterant intelligere (supra p. 18).

c) Pronomen ex dictis est δεικτικον significans praesentiam rei, quae quid sit, in praedicato enuntiatur, esse scilicet ipsum corpus et ipsum sanguinem Christi, quo novum Testamentum initiatur ac sancitur. Possumus hunc sensum illustrare ulterius comparatione cum loco realiter analogo et verbaliter parallelo, ubi in sanguine typico sancitur vetus Testamentum. Exod. XXIV. 8. Moyses « sumptum sanguinem respersit in populum, et ait: *hic est sanguis foederis,* quod pepigit Dominus vobiscum. » Ita recitat hunc locum etiam S. Paulus Heb. IX. 20: « *Hic sanguis testamenti* (τουτο το αἱμα της διαθηκης), quod mandavit ad vos Dominus. » In textu vero hebraico et in versione LXX legitur: « *ecce sanguis Testamenti* etc. » הִנֵּה דַם־הַבְּרִית ἰδου το αἱμα της διαθηκης. Est ergo etiam in verbis Christi pronomen « *hic* est sanguis meus » synonymum cum particula demonstrante praesentiam rei quae in praedicato exprimitur, acsi diceretur: « ecce sanguis meus novi Testamenti. »

d) Argumento valde perspicuo significatio praesentiae realis demonstratur ex iis, quibus praedicatum *corpus meum* apud

Luc. et 1. Cor; praedicatum *sanguis meus* apud Matth. Marc. et Luc. pressius definitur. Quoniam verbis iisdem et realis praesentia corporis ac sanguinis declaratur et ratio veri sacrificii exprimitur, non possumus totam verborum vim ob oculos ponere, quin aliqua praeoccupemus, quae simul etiam ad tractatum pertinent de sacrificio; non tamen plura hic dicemus, quam quae ad praesentem scopum sint necessaria.

Quod apud S. Lucâm dicitur: «hoc est corpus meum, *quod pro vobis datur τουτο ἐστι το σωμα μου, το ὑπερ ὑμων διδομενον,* » hoc idem S. Paulus 1. Cor. XI. 24. ita refert: « hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur; » in textu graeco: « *quod pro vobis frangitur τουτο μου ἐστι το σωμα το ὑπερ ὑμων κλωμενον.* » Iam imprimis haec addita declaratio « *quod pro vobis datur, pro vobis frangitur,* » evidenter pertinet ad praedicatum *corpus meum* non ad subiectum *hoc* (*το σωμα μου το ὑπερ ὑμων διδομενον, κλωμενον*); hoc igitur quod porrigitur, dicitur corpus *datum et fractum pro vobis.* Inde duplex conficitur argumentum, unum ex textu, ut est apud S. Paulum, per se spectato, alterum ex collatione loci utriusque Lucae et Pauli.

Primum ita: verbum *frangere* quando refertur ad manducationem, ad id quod manducandum est, ut hoc loco (« accipite et *manducate:* hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur »), semper significat in usu biblico et iuxta indolem linguae sanctae in locis innumeris veteris ac novi Testamenti *parare, dare, ministrare in cibum.* Dicit ergo Christus in relatione S. Pauli, hoc quod porrigit, esse suum corpus *paratum, datum, ministratum in cibum;* ergo *ipsum corpus Christi positum est in statu cibi,* et id quod manducatur, est ipsum corpus Christi.

Non minus evidens est argumentum alterum. Verba apud Lucam: *quod pro vobis datur,* et apud Paulum : *quod pro vobis frangitur* (1), idem omnino significant. Porro non dicitur *vobis* datur et frangitur sed *pro vobis;* hoc vero ex-

(1) In liturgiis orientalibus plurimis verba consecrationis proferuntur coniungendo utrumque: *τουτο ἐστι το σωμα μου το ὑπερ ὑμων κλωμενον και διδομενον εἰς ἀφεσιν ἁμαρτιων.* Vide Card. Orsi Dissert. theolog. de Invocat. Spiritus Sancti in Liturg. orient. p. 29.

tensum intelligi debet non ad solos manducantes Apostolos sed ad omnes redemptos, idque « in remissionem peccatorum, » quod utrumque colligitur ex collatione cum Matthaeo et Marco. Nam apud Marcum in consecratione sanguinis dicitur: « qui *pro multis* effundetur (effunditur), » et apud Matthaeum: « qui *pro multis* effundetur (effunditur) *in remissionem peccatorum.* » Eodem modo apud Io. VI. 52. (gr. 51) Christus promittit de pane, qui est caro eius: « panis quem ego dabo, caro mea est *pro mundi vita* », quod in vulgato textu graeco distinctius dicitur: « ipsa caro mea est, *quam ego dabo pro mundi vita.* ἡ σαρξ μου ἐστιν, ἣν ἐγω δωσω ὑπερ της του κοσμου ζωης. » Sunt ergo realiter parallela et aequipollentia haec tria: dabo *pro vobis*, *pro multis in remissionem peccatorum*, *pro mundi vita.* Iam vero illa locutio: corpus meum, quod *pro vobis datur*, *pro multis datur in remissionem peccatorum*, *pro mundi vita datur*, ex constanti usu loquendi novi Testamenti est expressio sacrificii (1). Ergo cum locutiones *quod pro vobis frangitur* et *quod pro vobis datur,* sint synonymae, etiam illa prior exprimit sacrificium, simul vero significat positionem in statu cibi, ut demonstravimus; ergo hisce verbis: » hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur, » declaratur corpus Christi, *dum ponitur in statu cibi,* offerri in sacrificium pro multis in remissionem peccatorum et pro mundi vita. Atqui quod in sacrificium et in tale sacrificium offertur, non est panis, qui quocumque demum modo sit si-

(1) Quando sermo est de sacrificio Christi in cruce, plus semel ad exprimendum formalem statum victimae appellatur *corpus* Christi: « sanctificati sumus *per oblationem corporis Christi* semel » Heb. X. 10; » reconciliavit *in corpore* carnis eius per mortem » Coloss. I. 22; « mortificati estis legi *per corpus Christi* » Rom. VIII. 4. cf. 1. Pet. II. 24. Adhuc frequentius actus oblationis Christi pro nobis in sacrificium exprimitur illa locutione, quod *datus est pro nobis, dedit, tradidit se pro nobis:* « dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret » Tit. II. 14; et plenius: « dedit redemptionem (ἀντιλυτρον) semetipsum pro omnibus » 1. Tim. II.6; « dedit semetipsum pro peccatis nostris » Gal. I. 4; « tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo » Eph. V. 2; « traditus est propter delicta nostra » Rom. IV. 23. cf. Rom. VIII. 32; Gal. II. 20; Eph. V. 25; Matth. XX. 28; Marc. X. 45; Io. X. 11.

gnum corporis Christi; sed sacrificium pro peccatis nostris non potest esse nisi ipsum corpus et ipse sanguis Iesu Christi Mediatoris. Ergo illud quod Christus Dominus asseverat esse suum corpus, quod pro nobis datur et pro nobis frangitur, est ipsum reale et substantiale corpus Christi.

Idem etiam breviori compendio demonstratur ex verbis consecrationis calicis apud Matthaeum, Marcum, Lucam. Declaratio: « qui pro multis effundetur (effunditur) in remissionem peccatorum » addita ad praedicatum *sanguis meus*, absque demonstratione intelligitur esse expressio sacrificii. Iam vero apud Lucam calix, h. e. metonymiâ notissimâ contentum in calice dicitur effundi pro nobis ac proinde sacrificari. In hac enim constructione *τουτο το ποτηριον ἡ καινη διαθηκη ἐν τῳ αἱματι μου το ὑπερ ὑμων ἐκχυνομενον*, participium refertur ad *ποτηριον*: calix, qui effunditur. Atqui quod *pro nobis*, et (ut ex parallelis Matthaei et Marci patet) pro multis in remissionem peccatorum effunditur et offertur in sacrificium, non est vinum ut signum sanguinis Christi, sed ipse realis Christi sanguis. Ergo id, quod in calice vi verborum Christi continetur, est ipse realis sanguis Christi.

Protestantes qui in verbis Christi tam simplicibus: « hoc est corpus meum, hic est sanguis meus », non propter verborum obscuritatem sed propter rei enuntiatae difficultatem quaerunt sensum aliquem improprium et translatum, conqueri solent de eorum inextricabili obscuritate (vide Protestantium querelas de verborum Christi obscuritate apud Card. Wiseman in Horis Syriacis p. 64–67). At non propter aliam causam eis obscura sunt, quam quia sensus, quem ipsi acceptare nolunt, ita clarus est, ut in alium sine absurditate detorqueri non possit; unde tam multiplices et varias alius alias excogitarunt interpretandi rationes, neque tamen artificia omnia hermeneutica propter ipsam verborum simplicitatem quidquam proficiunt. Quare si verba essent hominis, quem constaret posse loqui fallaciter, et non posse efficere id quod verbis significat, censeri deberent non iam sensu tropico sed inepte et fallaciter dicta. At quia verba sunt Dei infinite sapientis, veracis, et omnipotentis,

credi debent aptissima et verissima; quia vero apta non sunt nisi in sensu proprio, in hoc sensu debent credi vera; et quia in hoc sensu vera esse nequeunt, nisi id quod significant, etiam efficiatur, intelliguntur esse verba *non mere theoretica* (significantia id, quod iam praeexistit) sed *practica* (efficientia id, quod significant).

II. Cum demonstratio sensus proprii ac immediati et confutatio sensus translati, quatenus ea ducitur ex ipsis verbis, tota in eo sit, ut ostendatur, illa verba apte et congruenter Christi Domini sapientiae, veracitati ac bonitati adhiberi non potuisse nisi sensu proprio; hoc ipsum, quamvis iam constet ex verbis per se inspectis, adhuc confirmatur *ex adiunctis Apostolorum,* quibus Christus Dominus tradidit Eucharistiam, et ut eam in sui memoriam perpetuo celebrarent, praecepit; simulque ex adiunctis *tum ipsius personae instituentis tum institutionis.*

a) Apostoli per triennium visis miraculis stupendis et fere continuis (1) testes fuerant omnipotentiae Christi Domini. Porro relate ad verba et doctrinam divini magistri imprimis alienissimi erant a venandis tropis et interpretationibus in sensus improprios, adeo ut etiam locutiones manifesto metaphoricas non raro accipere consueverint in sensum proprium (Matth. XVI. 11; Io. XI. 12; cf. IV. 32; et in ipsa ultima coena Luc. XXII. 36. 38; Io. XIV. 7-9). Assueti vero erant verbis divini magistri simplicem adhibere fidem propter auctoritatem dicentis, quin ratio ac comprehensio modi, quo res enuntiata verbis Domini sit aut fieri possit,

(1) Adeo Apostoli erant Christi miraculis assueti, ut videantur mirari, quando velut praeter ordinem ab eis patrandis cessabat. Adnotat S. Matthaeus XIII. 58, quod Nazarethi « non fecit *virtutes multas* propter incredulitatem eorum » Cf. Marc. VI, 5. Miracula vero patrata exceptis paucis, quae velut exempli causa distinctius describunt Evangelistae cf. Io. XX. 30, solum compendio et summatim referunt: « virtus de illo exibat et sanabat omnes » Luc. VI. 19; « circuibat sanans omnem languorem et omnem infirmitatem in populo » Matth. IX. 21 etc. etc. Hinc illa certitudo et firmissima fides in discipulis: « Domine si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus; sed et nunc scio, quia quaecumque poposceris a Deo, dabit tibi Deus » Io. XI. 21. 22; « tantum dic verbo et sanabitur puer meus; nam et ego dico... servo meo, fac hoc, et facit » Matth. VIII. 8. 9. etc.

umquam pro norma intelligentiae verborum ac fidei eis fuerit. Hanc fidei simplicitatem Christus Dominus in tota sua docendi ratione imprimis et tamquam necessariam conditionem exigebat; sine hac in tam multorum et sublimium mysteriorum propositione a Christo facta nemo in Christi disciplina perseverare poterat; hanc Apostoli in ipsa ultima coena generatim professi sunt Io. XVI. 30; secundum hanc ante annum intellexerunt proprio sensu verba Christi promittentis suam carnem manducandam et suum sanguinem bibendum, idque ita se credere interrogante Domino protestati sunt: « Domine ad quem ibimus? verba vitae aeternae habes » Io. VI. 69. Quomodo ergo nunc in ipso promissionis complemento et ipsius rei exhibitione verba fere eadem et etiam ex parte clariora aliter intelligere potuissent? Ex hac consideratione intelligimus, etiam abstractione facta ab interna gratia illustrationis, quid valeat Rationalistarum obiectio, quando aiunt, verba Christi ab Apostolis de reali praesentia intelligi non potuisse; metientes scilicet fidem Apostolorum ex suo cerebro multiplici abusu disputationum adversus omnia fidei mysteria praeoccupato et a rebus factisque supernaturalibus averso.

b) Hac posita Apostolorum dispositione iam apparet, vidisse Christum Dominum, non modo Apostolos verba accepturos esse sensu quem praeseferunt, et ad quem mentibus ingerendum per se nata sunt; sed etiam vidisse, verba esse talia, ut ab Apostolis sensu alio figurato, qui nullum nec ex usu loquendi nec ex praecedenti doctrina Christi haberet exemplum sed e longinquo petendus et artificiose ingerendus esset, intelligi nullo modo potuerint, quin a simplicitate fidei toties eis commendata et ab eis postulata desciscerent. At repugnat Christi Domini bonitati, sapientiae, veracitati, ut usus fuerit verbis, quae ab Apostolis sequendo humilitatem et simplicitatem fidei necessario intelligenda fuissent in falsum sensum, et nonnisi deficiendo ab hac regula fundamentali fidei christianae intelligi potuissent sensu vero.

c) Repugnantia huiusmodi sensus obscurissimi et, ut ait Rationalista Eichhorn (apud Wiseman Hor. Syr. p.66), aenig-

matici, adhuc manifestior est ex eo, quod illa erant simul verba legislatoris, quibus fiebat institutio Sacramenti, ut fatentur Protestantes, perpetuo duraturi in Ecclesia Christi, institutio qua Salvator divinus foedus aeternum iniit cum populo suo suumque consignavit testamentum, dum ultimo ante suam mortem in cruce subeundam valedicebat Apostolis suis, quos dixit non servos sed amicos nota eis faciens omnia quae audivit a Patre Io. XV. 15, qui ipsi in hac ultima coena professi sunt: « ecce nunc palam loqueris et proverbium מָשָׁל aenigma, dictum obscurum) nullum dicis» Io. XVI. 29. Repugnat inquam, talem magistrum, talibus discipulis, in talibus adiunctis, de tali re ita obscure locutum esse, ut ipsis illis verbis, quibus supremum voluit pignus amoris relinquere, velut laqueum erroris iniiceret Apostolis, quem vitare non possent nisi a fidei simplicitate deflectendo ad iudaicam ab ipso damnatam dubitationem illam: « quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? » Io. VI. 53. Eoque magis id repugnat, quod error fuisset gravissimus et, ut Protestantes exprobrant Ecclesiae universae occidentis et orientis, idolatria intolerabilis, eaque secuta non per accidens sed ex ipsa nativa indole verborum Christi, non ob pertinaciam et cordis duritiem sed ob fidei simplicitatem et absolutam subiectionem humani intellectus sub auctoritate Dei hominis affirmantis: « hoc est corpus meum; hic est sanguis meus.» Sicut ergo adiuncta omnia sensui illi improprio et obscurissimo, qui verbis artificio intrudendus est, plane repugnant; ita eadem adiuncta omnia, dispositio Apostolorum, foederis ac testamenti institutio, institutionis tempus, et super haec omnia infinitus amor Cordis Iesu Christi sensui claro, obvio, vere digno divina bonitate, quo verba semper ab Ecclesia intellecta esse paulo post demonstrabimus, perfectissime congruunt huncque verborum sensum omnino exigunt.

III. Demonstratio ex *modo relationis* apud quatuor scriptores inspiratos. *a*) Narratio institutionis Eucharistiae tradita est a quatuor sacris scriptoribus diversis temporibus, diversis in regionibus, pro diversis lectoribus (immediatis). Iam si verba Christi accipienda essent in sensu translato fi-

gurâ tam insolitâ et inauditâ, ut usque ad nostram aetatem assertores figurae de summa obscuritate conquerantur, exemplum aliquatenus simile ac locum parallelum nullum reperire queant, et de via ac ratione defendendi talem sensum translatum inter se ipsos pugnent; si inquam verba Christi in re tanti momenti et tanto discrimini erroris obnoxia ita haberent, fieri non potuisset, ut nullus quatuor scriptorum obscuritatem locutionis, cuius nullum simile exemplum nec in Christi sermonibus nec in tota Scriptura nec in ullo prudenti sermone humano reperire est, sustulisset vel addendo aliquam explicationem vel substituendo locutioni impropriae enuntiationem propriam: « panis est signum ac memoriale corporis mei pro vobis in mortem tradendi ». Eo magis id est incredibile, quod frequenter occurrunt apud sacros scriptores huiusmodi explicationes in rebus et verbis minus gravibus et certe minus obscuris. Io. II. 19. 21; III. 3-5; IV. 32. 34; VII. 38. 39; VIII. 32-34; XXI. 19. 23; Matth. XVI. 6. 12; XVII. 12. 13; Io. XII. 4 coll. Matth. XXVI. 8. et Marc. XIV. 4; Luc. XXIII. 39. coll. Matth. XXVII. 44. et Marc. XV. 32; Iac. II. 20. seqq. coll. Rom. III. et IV. etc. (1) Cf. supra pag. 25. Atqui verba eucharistica tres Evangelistae et praeter morem Evangelistam agens gentium Apostolus referunt alius paulo quidem aliter et non omnes eodem prorsus modo, ut manifestum sit, non voluisse singulos ipsas syllabas et verba eadem materialia Christi Domini perscribere sed solum sensum exprimere; nihilominus tamen apud omnes eadem est verborum simplicitas absque ulla circumlocutione aut explicatione sensus verborum. Quod indicium est evidens, sacros scriptores verba habuisse ut plana et in suo sensu clara. At clara non sunt, nisi in sensu obvio ac proprio intelligantur, in sensu autem improprio essent obscurissima. Ergo ipsi sacri scriptores sensum obvium habuerunt ut genuinum, et in eo sensu verba retulerunt ac intelligi voluerunt.

(1) « Et tamen nullam parabolam non aut ab ipso invenies edisseratam aut a commentatore Evangelii praeluminatam aut ultro coniectandam. Quod si nec parabolae obumbrant Evangelii lucem, tanto abest ut sententiae et definitiones, quarum aperta natura est, aliter quam sonant, sapiant » Tertullianus de resurr. carn. c. 33.

b) Imo Paulus recitatis verbis Domini non explicat quidem, quid illis significetur; sed quia hoc supponit ut clarum et notum, infert gravitatem peccati in indigna *corporis et sanguinis Domini* susceptione. Gravitas desumitur *obiective* ex re ipsa quae indigne suscipitur, et ita iniuriose tractatur; haec res, ait Apostolus, cum ex recitatis Christi verbis sit corpus et sanguis Domini, est ergo indigne suscipiens reus laesi et iniuria affecti *corporis et sanguinis Domini: « Itaque* (quia Dominus accipiens panem dixit: hoc est corpus meum; et accipiens calicem: hic calix novum Testamentum est in meo sanguine) quicumque manducaverit panem hunc vel biberit calicem Domini indigne, *reus erit corporis et sanguinis Domini.* » *Subiective* gravitas peccati est in eo, quod homo non diiudicat, practice et actione ipsa non aestimat, esse id quod est, scilicet *corpus Domini:* « Iudicium sibi manducat et bibit *non diiudicans* (μη·διακρινων) *corpus Domini* » 1. Cor. XI. 27. 29. Atqui haec illatio, quod homo *spectata re suscepta* reus est corporis et sanguinis Domini, et spectato eius modo agendi non aestimat rem *qualis est, quia non aestimat ut corpus Domini,* evidenter ostendit, Paulum supponere ut clarum et notum, quod verbis eucharisticis constituitur corpus et sanguis Domini tamquam res quae manducatur et bibitur.

c) Eadem suppositio obvii et clari sensus verborum eucharisticorum penes Apostolum demonstratur ex eo, quod ubi rem significatam exprimit suis verbis, eadem constanter simplicitate celebrationem et participationem Eucharistiae dicit « esse communicationem sanguinis Christi et participationem corporis Domini » 1. Cor. X. 16.

Verba igitur eucharistica sacris scriptoribus non explicatione sed simplici relatione indigere visa sunt, id quod etiam apud SS. Patres observatur, qui referentes verba Domini simplicem fidem exigunt, vere corpore et sanguine Christi refici fideles, et loco declarationis ad confirmandam fidem appellare solent ad omnipotentiam Dei, qui contra testimonium sensuum et contra leges physicas potest unam rem in aliam mutare. Haec autem docendi ratio, si praescindamus interim a positiva traditione apostolica in Eccle-

siae doctrina ac praxi quotidiana de genuino sensu institutionis eucharisticae, manifesto ostendit, ab Apostolis et Apostolorum successoribus sensum verborum habitum fuisse obvium et facilem, quamvis res enuntiata sit maxima et supra humanae rationis captum, cum contra in Protestantium hypothesi res facillima, verba autem essent difficillima.

IV. Idem demonstratur *ex dispositionibus necessariis ad fidem in verba Christi sensu proprio accepta, et ex modo quo sensus improprius inductus est.*

Generatim fides christiana in superrationalia mysteria locum nullum habere potest, nisi velut conditiones necessariae praesupponantur haec tria: 1°. plena persuasio de infinita Dei veracitate et, ubi de factis agitur, de Dei omnipotentia; 2°. plena persuasio de humanae rationis imperfectione prae tota veritatis amplitudine, esse scilicet veritates et posse esse facta divina, quae captum rationis superent; hinc 3°. certum principium, *incomprehensibilitatem* rei enuntiatae nullam esse causam, cur obvio verborum Dei sensui, quem ex communi usu praeseferunt, substituere fas sit sensum alium, quo res enuntiata sit pervia rationi. Hanc animi dispositionem exigit Christus Dominus, quando commendat suis discipulis et ab eis ante omnia exigit simplicem, humilem, plenam fidem suis verbis praestandam.

Ex hac christiana animi dispositione factum est et sine hac fieri non potuit, ut Christiani omnes orientis et occidentis per multa saltem saecula, quod Protestantes negare non possunt, verbis Christi: « hoc est corpus meum, » plena, humili, simplici fidei professione responderent: « Amen, hoc est corpus Christi. » Contra vero quicumque negabant esse corpus Christi, eo numquam pervenerunt ex ratione, quae repeteretur ex ipsis verbis, sed propter rei incomprehensibilitatem prius fide negata excogitare demum coeperunt et arcessere verborum sensus, quibuscum negatio mysterii componi posset (1).

(1) Ex disputationibus contra Berengarium habitis apparet, ipsum negasse realem praesentiam, quia ei videbatur esse « contra naturae rationes, » et tum demum quaesivisse ex hoc principio interpretationes verborum Christi. Vide apud Natal. Alexandr. saec. XI dissert. I. a. 4.5.9.

Hisce positis ita concludimus. Quando divinus Salvator SS. Sacramentum instituit non solos Apostolos sed Ecclesiam totam omnesque fideles usque ad consummationem saeculi futuros prae oculis habuit: « quotiescumque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis *donec veniat,* » quae est Apostoli illatio ex verbis Christi: « hoc facite in meam commemorationem.» In hac sua praescientia Dominus verba pronuntiavit, quae vidit ex tota oeconomia christianae fidei accipi debere in sensum proprium realis praesentiae et reipsa Christianos

Lutherus in epistola ad Argentinenses ingenue fatetur, se omni studio quaesivisse sensum aliquem verborum Christi, quo negare posset realem praesentiam, quia hac re « papatui valde incommodare » se posse putabat. « Hoc, inquit, diffiteri nec possum nec volo, quod si Carlostadius aut alius quispiam ante quinquennium mihi persuadere potuisset, in Sacramento praeter panem et vinum esse nihil, ille magno me beneficio sibi devinctum reddidisset. Gravibus enim curis anxius et in hac discutienda materia multum desudans, *omnibus nervis extensis me extricare et expedire conatus sum, cum ipse perspiciebam, hac re papatui imprimis me valde incommodare posse.* Verum ego me captum video, *nulla evadendi via relicta est;* textus enim evangelii nimium apertus est et patens, qui facile convelli non potest etc.»

Zwinglii nota historia huc maxime pertinet. Fidem in realem praesentiam homo iam ab aliquot annis excusserat, quin adhuc ullam rationem reperisset, qua verba Christi suae negationi accomodaret, donec ex epistola Hunnii cuiusdam Batavi didicit, verba explicanda esse: hoc *significat* corpus meum. Ita ergo sibi et aliis persuadere voluit, necdum tamen ad novum hunc sensum confirmandum argumenta ulla subveniebant. Tandem hanc quoque artem in somnis didicit, quo tempore coram senatu Turingensi cum catholico scriba civitatis suas disputationes habebat ad convellendum mysterium, quod in verbis Christi revelatum esse hucusque universa credebat Ecclesia, et quomodo in iis non contineri ostendi posset, neque ipse adhuc noverat. Historiam huius novae revelationis Zwinglius ipse narrat: « Visus sum mihi (nocte in 13. April. 1525) denuo in somnis cum scriba contendere sicque obmutui, ut quod verum sciebam, probare non possem. Ibi subito visus est monitor adesse, ater an albus fuerit, nihil memini, qui diceret: quin, ignave, respondes ei, quod in Exodo legitur: est Phase, hoc est transitus Domini. Simul expergefactus lecto exsilii, locum diligenter inspexi, de eo mox coram ecclesia disserui, illeque sermo omnibus piis, qui adhuc nonnihil haerebant, omnem nebulam discussit » (apud Hospinian. Zwinglianum Histor. Sacrament. T. II. p. 39). De loco Exodi quem monitor ille coloratus suppeditabat, mox agemus.

omnes per multa saltem saecula (fatentibus adversariis) ita intellecturos esse, quia verborum claritas, christianae mentis humilitas et reverentia erga auctoritatem loquentis hoc fidei obsequium postulat; ex adverso praevidit sensum improprium signi et figurae inducendum esse contra obviam verborum significationem, contra humilitatem christianae fidei, et contra universalem intelligentiam per tot saecula obtinentem, eo fine ut seponeretur difficultas, quam humana ratio empirica experitur, et ut res enuntiata verbis Dei omnipotentis accomodaretur legibus physicis ac captui rationis humanae. Nihilominus tamen, si vera est Protestantium hypothesis, divinus Redemptor verba ita composuit, ut sequentes fidei humilitatem toties ab ipso commendatam, ex ipsa verborum indole in errorem inducerentur gravissimum; et veritas non reperiretur nisi a praesumptoribus, qui ad inauditas figuras et tropos confugerent, quibus fidem in mysterium superrationale eliminarent. Atqui haec omnia tam manifesto repugnant sapientiae ac bonitati Christi Dei totique revelationis oeconomiae, ut iis positis et ipsa rationalis cognitio de perfectionibus Dei et fides omnis in superrationalia mysteria ac religio christiana tota destruatur. Ergo sine dubio Christus Dominus eum sensum enuntiare voluit, quem verba praeseferunt, quem Christianos omnes per tot saecula ex humili submissione erga ipsius divinam auctoritatem intellecturos, et ex generali fidei oeconomia a se ipso commendata necessario intellecturos esse praevidit.

Corollarium 1. Argumenta catholicae demonstrationis nullatenus nituntur principio, quod sane falsum esset, non potuisse Christum adhibere in institutione Eucharistiae ullum genus tropicae locutionis. Sed vis argumentorum in eo est, quod Christi oratio debuit esse prudens, intelligibilis et perspicua; in sensu autem signi et figurae, quem adversarii fingunt, oratio fuisset obscurissima, non intelligibilis Apostolis, atque in illis adiunctis et consideratis consequentiis fallax. Possunt esse tropi non minus perspicuae significationis quam verba propria; ex eo autem, quod potest adhiberi oratio tropica clara et perspicua, nemo inferat, fas esse suspicari a Christo adhibitas locutiones obscurissimas et ne-

mini prudenti intelligibiles. Absurde igitur aiunt Protestantes, non esse, cur admitti nequeat figurata locutio in verbis: « hoc est corpus meum », cum ipsi Catholici in altera parte verborum Christi, ut sunt apud Lucam et Paulum, tropum aliquem esse negare non possint (cf. Perpetuit. Fidei T. III. l. I. c. 14). Verba sunt Luc. XXII. 20: « Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur » *τουτο το ποτηριον ἡ καινη διαθηκη ἐν τῳ αἱματι μου, το ὑπερ ὑμων ἐκχυνομενον*; et 1 Cor. XI. 25: « Hic calix novum testamentum est in meo sanguine » *τουτο το ποτηριον ἡ καινη διαθηκη ἐστιν ἐν τῳ ἐμῳ αἱματι*. Imprimis metonymia continentis pro contento, *hic calix* pro *hoc quod est in calice*, tam nota est et manifesta, ut a nemine possit praepostere intelligi. In praedicato (« novum testamentum in meo sanguine ») constructio est quidem indirecta et ideo paulo difficilior quam apud Matth. et Marc. non tamen sensus est obscurus, et si quid videtur esse obscurius, id facile dilucidatur collatione cum Matth. XXVI. 28 *τουτο γαρ ἐστι το αἱμα μου το της καινης διαθηκης, το περι πολλων ἐκχυνομενον ἐις ἀφεσιν ἁμαρτιων*, et Marc. XIV. 24 *τουτο ἐστι το αἱμα μου το της καινης διαθηκης, το περι πολλων ἐκχυνομενον*. Discrimen inter utramque constructionem illud est, quod apud Matth. et Marc. directe enuntiatur id quod porrigitur in calice, et in obliquo additur effectus, seu id quod sanguine sancitur: hic est *sanguis meus novi testamenti;* apud Luc. et 1 Cor. constructio invertitur; effectus enim enuntiatur *in recto* « novum Testamentum, » et causa scilicet sanguis in calice ponitur *in obliquo* « in sanguine meo. » Idem autem est quoad sensum sive dicatur: hoc quod est in calice, est novum Testamentum in sanguine meo; sive: hoc quod in calice porrigitur, est sanguis meus novi Testamenti (1). Ex his autem apparet, non verba apud Matth. et Marc. indigere explicatione ex verbis Lucae et 1 Cor.; sed potius, si quid in his est obscurius, declarandum esse ex prioribus. Pro-

(1) Ita Paulus Heb. IX. 20, 22 locutionem: « hic *sanguis testamenti,* » declarat: « omnia paene *in sanguine* mundantur, et *sine sanguinis effusione* non fit remissio. » Quasi diceretur: sanguis testamenti, et ordine inverso: testamentum in sanguine.

fecto enim non oratio directa et propria per indirectam et tropicam, sed ordine inverso haec per illam explicari debet.

Corollarium 2. Inepte provocatur ad appellationem *panis* 1 Cor. X. 17; XI. 26-28, ut probetur Eucharistiam non esse reale corpus Christi, vel ut negetur transubstantiatio, de qua inferius dicemus. Nam Paulus non in quaestione quid sit Eucharistia, definit esse panem; sed imo diserte ibi declarat, esse corpus et sanguinem Christi. Aliud autem est appellatio *panis,* et aliud definitio, Eucharistiam esse panem. Insuper Apostolus non simpliciter et nomine communi appellat panem, sed « *hunc* panem » suae scilicet propriae rationis, et « panem quem frangimus », actione nimirum religiosa et liturgica, ut apparet etiam ex altero membro: «calix benedictionis, cui benedicimus. »

Iam vero 1°. Eucharistia est vere *cibus* licet non ad corporis sed ad animae refectionem. Cibus vero est constans duplici parte, una sensibus impervia quae est corpus Christi, altera sensibili, nimirum speciebus panis quae habent omnes effectus sensibiles, quales haberet panis. Unde est ratio, cur appelletur panis proprii ordinis, « hic panis, » « panis quem frangimus. » Sic Dominus ipse promiserat: » si quis manducaverit ex *hoc pane*..... et *panis quem ego dabo*, caro mea est pro mundi vita » Io. VI. 52 (cf. supra p. 16.). 2°. Saepe nomen conveniens rei ante mutationem significatione relativa ad illum statum praecedentem retinetur pro re, in quam facta est conversio; ut « *virga* Aaron devoravit *virgas* maleficorum » Exod. VII. 12; « dicunt *caeco* iterum: tu quid dicis de illo, qui aperuit oculos tuos » Io. IX. 17; « dicit eis (ministris) Iesus: haurite nunc (ἀντλησατε) ... gustavit *aquam vinum factam*.... ministri sciebant, qui hauserant *aquam* (οἱ ἠντληκοτες το ὕδωρ) » Io. II. 9. etc. Eo ergo magis potest nomen rei prioris retineri, ubi post mutationem phaenomena omnia sensibilia manent eadem.

Quod spectat ad Matth. XXVI. 29; Marc. XIV. 25, ubi Dominus post consecrationem calicis videtur dixisse: « non bibam amodo de hoc genimine vitis; » conferatur ordo rerum apud Luc. XXII. 17 sqq., ex quo apparet, ea verba per-

tinere ad vinum porrectum discipulis ante institutionem Eucharistiae. Si quis vero cum Vasquez (in 3. P. disp. 196. c. 5. 6) putet, verba illa referri ad calicem consecratum, eadem quae diximus de appellatione *panis,* valent etiam de appellatione *vini;* quamvis in hac hypothesi phrasis «de hoc *genimine vitis*» mihi videretur talis, ut inde obiectiva realitas et permanens identitas *accidentium* colligi posset, de qua re nunc non est dicendi locus.

Corollarium 3. Demonstratio sensus immediati et proprii in verbis institutionis longe ex aliis et efficacioribus rationibus vim habet, quam ex fixa et ita determinata significatione verbi *est,* ut numquam aequivalere possit verbis *significat, repraesentat.* Concedimus, verbum *est* aliquando posse reddi per alterum *significat* aut *repraesentat;* at id verum solum est, quando subiectum ex sua natura vel ex institutione nota vel ex indole sermonis habet rationem *signi.* Unde quamvis verbum *est* per se spectatum non excluderet significationem figurae et signi, eam tamen excludit in verbis institutionis: « hoc est corpus meum. » Ceterum quod Protestantes aliqui affirmare ausi sunt, in lingua Aramaea, qua Christus Dominus utebatur, nullum esse vocabulum quod respondeat latino *significat,* et ideo si Dominus dicere voluit: «hoc significat corpus meum,» non potuisse id exprimere nisi hac propositione: «hoc est corpus meum;» hoc inquam commentum sane ridiculum abunde confutavit Cardinalis Wiseman (Hor. Syr. p. 3-69, et Lect. VII. de Praesentia reali).

Sufficit in rem praesentem advertisse sequentia : 1°. Etiamsi verum esset quod adversarii affirmant, tamen non eo usque, puto, absurdis delectabuntur, ut negent posse etiam Syros exprimere, quid res aliqua sit et non solum quid *significet,* atque apud Syros aeque ac apud ceteros homines vocabulum respondens latino *est* communiter retinere suam primariam ontologicam significationem. Remaneret ergo, ut aliunde demonstraretur, utrum in propositione, de qua agitur, illud vocabulum retineat primariam vel assumat aliam significationem. Demonstratur autem ex omnibus fontibus interpretationis et, si alia deessent, ex

perpetuo intellectu catholico, illud hîc retinere significationem primariam. 2°. Apostoli et Evangelistae (saltem tres) verba Christi secundum sensum, quem iis expressum voluit, non autem secundum syllabas materiales retulerunt *graeca non aramaica lingua*. De sensu ergo verborum iudicari debet prout *graece* descripta sunt a scriptoribus inspiratis, non ex coniectationibus de vocabulis aramaicis, quae Christus Dominus adhibuerit. 3°. Quod assumunt de *defectu* vocabuli in ea lingua respondentis vocibus *signum, figura, symbolum, significare, repraesentare* etiam ante omne examen est prorsus incredibile; instituto examine ostendit doctissimus Cardinalis et exemplis ex auctoribus Syris confirmavit, quadraginta saltem esse vocabula et modos loquendi, quibus Syri possunt et solent uti in significatione ab adversariis negata. 4°. Ipsi auctores Syri demonstrant realem corporis et sanguinis Christi praesentiam ex discrimine inter verba *est* et *significat,* quia Christus non dixit: hoc *significat* sed hoc *est* corpus meum. Inter eos S. Maruthas Tangritensis coaevus et familiaris S. Chrysostomo ita loquitur: « Nunc quoties ad corpus et sanguinem (Christi) accedimus et ea super manus nostras accipimus, sic credimus nos corpus amplecti, et fieri de carne eius et de ossibus eius, sicut scriptum est. Nam etiam Christus illud non appellavit *typum aut figuram,* sed (dixit): *vere hoc est* corpus meum, et *hic est* sanguis meus » (1) (Asseman. Bibl. Or. T. I. p. 180; Hor. Syr. p. 60).

THESIS V.

Confutatio objectionum, quas deducunt ex ratione Sacramenti *et ex locutionibus biblicis, quas dicunt* sacramentales.

» Absurde Sacramentarii sive ex ratione, quod Christus Dominus
» Eucharistiam instituit in sacramentum h. e. in signum sacrum; sive
» ex verbis: hoc facite in meam commemorationem; sive ex compara-
» tione quarumdam locutionum Scripturae, quas sacramentales dicunt,
» suadere nituntur, verbis institutionis panem et vinum declarari signum
» corporis et sanguinis Domini, non autem id, quod ibi exhibetur, dici
» et esse ipsum corpus et sanguinem Christi.

(1) ܐܦ ܓܝܪ ܡܫܝܚܐ ܠܐ ܩܪܝܗ ܛܘܦܣܐ ܘܕܡܘܬܐ܆ ܐܠܐ ܕܫܪܝܪܐܝܬ ܗܢܐ ܐܝܬܘܗܝ ܦܓܪܝ ܘܗܢܐ ܐܝܬܘܗܝ ܕܡܝ.

I. Non potest negari, de re, quam constet sive ex natura sua sive ex institutione esse signum alterius, posse in praedicato enuntiari rem significatam et hac praedicatione non edici identitatem ontologicam rei, quae sensu immediato effertur in subiecto et in praedicato, sed tantum relationem signi ad significatum, ut Paulus dicit: « petra autem (si *petra* est materialis) erat Christus; » « haec (Sara et Agar) enim sunt duo testamenta, unum quidem in monte Sina in servitutem generans, quae est Agar » 1 Cor. X. 4; Gal. IV. 24. (supra p. 33.). Iam vero argumentantur adversarii ita: Christus Dominus ipsis illis verbis instituit sacramentum atque adeo sacrum signum; de re autem, quam constat ex institutione habere rationem signi, potest ex concessis praedicari substantive res significata, ubi verbum *est* aequivalet verbo *significat*. Ergo ex eo ipso, quod Apostoli intelligebant a Christo institui sacramentum seu signum sacrum, etiam intelligebant, verba: « hoc est corpus meum, » idem valere ac: « hoc significat corpus meum, est sacramentum et signum corporis mei. »

Sophisma in hac argumentatione non potest esse apertius. Ratio signi in subiecto tum solum admittit et intelligibilem reddit talem praedicationem rei significatae, quando in auditoribus cognitio signi praecedit et ex omnibus adiunctis patet, non aliud quaeri de subiecto, quam cuius rei signum sit. Ut ergo aliquid dicerent adversarii, deberent ostendere, Christum Dominum ante pronuntiationem verborum monuisse et declarasse non solum, se velle instituere sacramentum et signum sacrum, sed se velle assumere hunc *panem* in signum alicuius rei sacrae, ita ut Apostolorum menti tantummodo obversaretur interrogatio, *cuius rei* signum sit panis? Tum utique propositio: « panis est corpus meum, » non esset inepta in sensu ab adversariis supposito: panis significat corpus meum. Dixi non sufficere declarationem etiam antecedentem de institutione sacramenti generatim sine determinatione, quod ipse *panis* instituatur in signum. Supposita enim etiam tali declaratione menti Apostolorum non poterat obversari interrogatio, *quid panis significet*, cum panis nec ex se nec ex verbis Christi, nihil de hoc mo-

nentis, potuerit spectari ut signum, sed interrogatio tum fuisset: quale sacramentum Dominus velit instituere? Proindeque verba Dei hominis: hoc i. e. res quam porrigo manducandam, est corpus meum, etiam in illa hypothesi nihil aliud potuissent significare, nisi quod institutum sacramentum sit *ipsum corpus Domini in statu cibi* iuxta promissionem ante annum factam Io. VI. Sed omissis suppositionibus fictis et re spectata ut gesta est, nulla omnino de institutione sacramenti multo minus de assumptione *panis* in sacramentum et signum alicuius rei sacrae praecessit declaratio; atque ideo quando Dominus incepit dicere illa verba: « hoc est corpus meum », in Apostolis neque poterat praecedere cogitatio et expectatio de sacro signo, omnium vero minime *de pane ut signo*. Prius ergo Apostolis intelligendus erat sensus verborum: « hoc est corpus meum », et hoc sensu obvio intellecto ac re, quae a divino magistro enuntiabatur, simplici fide credita (vide p. 46 sq.) auditoque insuper mandato idem faciendi in ipsius memoriam, poterant et debebant demum intelligere, Christum Dominum instituisse corpus et sanguinem suum in statu cibi et potus ad refectionem animarum in vitam aeternam (Io. VI.), proindeque in signum efficax gratiae seu in sacramentum. Paucis: in Apostolis non praecessit notio institutionis sacramenti et omnium minime notio panis assumpti in signum, unde non poterant ex tali notione, quae nulla praecessit, deduci ad interpretandum sensum verborum; sed praecessit intelligentia obvii sensus verborum, et ex eo sequebatur intelligentia non institutionis alicuius sacramenti et signi sacri indeterminate sed intelligentia, determinate corpus et sanguinem Christi in statu cibi et potus esse institutum in sacramentum.

Quando ergo dicitur ab adversariis: Christus instituebat illis verbis signum sacrum, ergo poterant Apostoli imo et debebant intelligere verba « hoc est corpus meum » in hunc sensum: hic panis significat corpus meum; distinguimus *antecedens:* Christus instituebat illis verbis *panem* in signum sacrum, *nego;* instituebat ipsum corpus et sanguinem suum in signum sacrum, *subdistinguo:* ita ut ratio sa-

cramenti intelligi potuerit ante intellectum verborum sensum, *nego;* ita ut intelligentia instituti sacramenti consequeretur ex intellecto sensu verborum, *concedo.*

Alterum quod aiunt de adiecto Dei mandato: « hoc facite in meam commemorationem, » potest considerari dupliciter, vel ita ut difficultatem moveant ex verbis, quod antecedentia ex his consequentibus sint interpretanda; vel ita ut obiectio procedat ex re his verbis enuntiata, quod (ut aiunt) praeceptum commemorationis Christi Domini supponit absentiam et negat praesentiam Domini.

Difficultas illa prior ab homine sanae mentis vix fieri posse videtur. Profecto enim verba: « hoc facite in meam commemorationem », non sunt explicatio sensus verborum antecedentium. Imo intellectus veri sensus verborum consequentium pendet ab intellectu verborum antecedentium; ut enim intelligatur distincte praeceptum faciendi id ipsum quod Dominus fecit, supponitur iam intellectum esse quod ipse fecit, ac proinde supponitur genuino sensu iam intellecta esse verba, quibus factum Domini enuntiatur et continetur.

Non gravioris ponderis sed maioris impietatis est difficultas altera. Corpus et sanguis Christi, Christus ipse in ss. Sacramento est in memoriam sui, tam ut tempore praesenti est gloria exaltatus in coelo, quam potissimum ut tempore praeterito passibilis opus nostrae redemptionis complevit in terris.

Nam *a*) pro eo statu et tempore, quo Salvator divinus non amplius *visibiliter* futurus erat cum discipulis suis et in Ecclesia peregrinante a Domino, ipsa divina misericordia et infinita sapientia atque amantissimum Cor Iesu Christi, qui cum dilexisset suos, in finem dilexit eos, nullum pignus in sui memoriam divinius potuit instituere, nullum efficacius, ut fideles numquam eius obliviscerentur, quam ipsum corpus et sanguinem suum ut cibum ac potum manducandum et bibendum. Corpus et sanguis Christi, ipse Christus ut cibus noster ac potus ad refectionem animarum in se invisibilis sed sub visibilibus alienis speciebus praesens, est pignus in memoriam sui visibiliter non amplius nobiscum conversantis.

b) Mysteria omnia a Redemptore nostro in vita sua mortali peracta ad nostram salutem, mors eius et sacrificium in cruce, non sunt amplius physice praesentia; in horum vero mysteriorum et maxime mortis et cruenti sacrificii in cruce memoriam corpus et sanguinem suum in ss. Eucharistia perpetuo offerendum Ecclesiae sponsae suae reliquit; sicut Apostolus praeceptum Domini declarat: « hoc facite quotiescumque bibetis, in meam commemorationem. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat » 1 Cor. XI. 26. Quod autem potest esse verius et perfectius memoriale sacrificii illius cruenti semel oblati ad multorum exhaurienda peccata, quam eius continua repraesentatio per sacrificium corporis et sanguinis sui sub alia quidem specie et incruente, realiter tamen quotidie offerendum, ut cruenti sacrificii meritum per eiusdem corporis et sanguinis sacrificium incruentum speciali modo Ecclesiae corpori Christi mystico et singulis Ecclesiae membris applicetur? (Conc. Trid. sess. XXII. cap. 1).

Ex his patet responsio in forma ad obiectionem: quod instituitur in memoriam alicuius, non instituitur in memoriam praesentis sed absentis, adhuc minus memoriale est is ipse, cuius est memoriale. Atqui Eucharistia est instituta in memoriam Christi. Ergo Christus non est praesens in Eucharistia. Respondetur: *distinguo* 1^am^ partem *maioris:* non instituitur in memoriam visibiliter praesentis et secundum quod est praesens, *concedo* vel *transeat;* non potest institui in memoriam eius, qui tantum invisibiliter praesens est, et in memoriam secundum aliqua, secundum quae non amplius est praesens, *nego.* Pariter ad 2^am^ partem *maioris:* nemo potest esse memoriale sui ipsius, *distinguo:* non potest esse memoriale sui ipsius secundum idem et secundum eundem statum, *concedo;* non potest esse secundum unum statum memoriale sui ipsius, ut est in alio statu, *nego.* Ad *minorem:* Eucharistia est instituta in memoriam Christi ut signum vacuum, *nego;* Eucharistia est instituta in memoriam Christi ita, ut memoriale sit ipsum corpus et ipse sanguis Christi in statu sacramentali et sacrificii incruenti relate ad ipsum

Christum, ut est in statu glorioso, et potissimum ut quondam complevit mysteria redemptionis et sacrificium cruentum in cruce, *concedo.*

II. Solent Sacramentarii ex usu loquendi biblico, ut ipsi appellant, tentare demonstrationem, posse et debere verba eucharistica: « hoc est corpus meum », accipi in hunc sensum: hoc i. e. panis significat corpus meum. Plerosque textus quos in subsidium advocant, iam supra (p. 33–36) examini subiecimus, quid valeant; sed in hunc locum reservavimus locutiones, quas ipsi dicunt sacramentales et quibus maxime fidunt. Celebritatem imprimis nactus est in historia Reformationis Helveticae (cf. supra p. 47.) a monitore nocturno suggestus Zwinglio parallelismus verborum Exod. XII. 11: « sic autem comedetis illum (agnum paschalem): renes vestros accingetis, et calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, et comedetis festinanter: *est enim phase (id est transitus)* Domini. » Igitur, aiunt, agnus paschalis institutus ibi in sacramentum veteris Testamenti *est* transitus Domini, h. e. significat transitum Domini. Unde et de pane ut sacramento novi Testamenti in coena instituto Dominus dixit: hoc est corpus meum, videlicet: hoc significat corpus meum. Locus non absimilis est Gen. XVII. 10, ubi de circumcisione ait Deus: « hoc *est pactum meum,* quod observabitis inter me et vos, et semen tuum post te: circumcidetur ex vobis omne masculinum... *eritque pactum meum in carne vestra* in foedus aeternum. » Iisdem locutionibus sacramentalibus accensent ex novo Testamento illa: « petra autem erat Christus » 1 Cor. X. 4; « haec sunt duo testamenta » Gal. IV. 24; et ex verbis ipsis eucharisticis, ut sunt Luc. XXII. 20; 1 Cor. XI. 25: « hic calix novum testamentum est. »

Ultima haec verba Luc. et 1 Cor. etiamsi ita essent ut citantur, nondum haberent sensum: calix *significat* novum testamentum; sed maneret significatio: hic calix *est* novum testamentum, h. e. id quod in calice continetur est res testamenti novi, testamentaria dispositio, res testamento legata Ecclesiae, et sanctio totius novi testamenti. At verba sunt: « hic calix novum testamentum est *in meo sanguine,* » ubi

« novum testamentum in meo sanguine » constructione inversa idem valet ac « sanguis meus novi testamenti, » ut demonstrat textus Matth. et Marc. Dicitur ergo: id quod est in calice, *est* novum testamentum *sanguine meo sancitum,* seu quod recidit in eundem sensum, *est* sanguis meus sanciens novum testamentum; non autem dicitur: calix *significat* novum testamentum. Demonstrat hunc sensum praeter collationem cum Matth. et Marco declaratio addita apud Lucam, quae in textu graeco ita habet: « hic calix, *qui pro vobis effunditur*, h. e. id quod in calice pro vobis offertur in sacrificium, est novum testamentum in meo sanguine. » Ergo tantum abest, ut hic locus revera parallelus probet sensum signi ac figurae, ut potius demonstret ac confirmet sensum realitatis sanguinis Christi in calice. Huc pertinent explicationes datae superius p. 39. 40.

De testimonio Gal. IV. 24 sufficiunt, quae diximus p. 34.

In textu S. Pauli 1 Cor. X. 4 permisimus superius (p. 33) intelligi *petram* materialem. Revera etiamsi ita accipiatur, nihil habet simile cum verbis eucharisticis. Apostolus enim ibi v. 1-11 totus est in explicandis typis populi Israel in exitu ex Aegypto, ut sunt imagines rerum novi Testamenti. Primum declarat typum baptismi: « omnes sub nube (eos tuente) fuerunt et omnes mare transierunt, et omnes in Moyse (εἰς τον Μωυσην in Moysen ut ducem et humanum mediatorem inter Deum ac populum) baptizati sunt in nube et in mari. » Antitypus est clarus: omnes Christiani educti sunt ex Aegypto infidelitatis et congregati in populum novi Testamenti, in aqua et Spiritu Sancto baptizati in Christum caput ac Mediatorem divinum. Sequitur typus Eucharistiae: « et omnes eandem (non alius aliam sed omnes unam) escam spiritalem (πνευματικην ordinis et originis supernaturalis) manducaverunt (manna scilicet), et omnes eundem potum spiritalem (supernaturaliter per miraculum datam aquam ex petra percussa) biberunt (1). » Tum (in hypothesi a nobis interim concessa) explicaret ori-

(1) Typus aquae ex petra forte latius patens referri potest generalius ad significandam gratiam Dei cf. Io. IV. 13 sq.

ginem illius potus typici ex petra percussa: « bibebant autem de spiritali (supernaturalis ordinis, quatenus dedisset aquam per miraculum) consequente eos petra. » Tandem sicut proposuerat mare et nubem, cibum et potum supernaturalis originis ut typos sacramentorum, explicaret, cuius rei typus fuerit petra ipsa: « petra autem erat Christus; » sicut enim ex petra typica profluxit aqua, ita sacramenta novi Testamenti promanarunt a Christo. Certe (si petra est materialis) contextus tam clare proponit petram tamquam typum et figuram, ut nulla alia quaestio menti obversetur ac nulla alia explicatio expectetur, quam cuius rei typus sit. Super haec omnia Apostolus adhuc diserte monet v. 6: « haec autem in figura facta sunt nostri » (ταυτα δε τυποι ἡμων ἐγενηθησαν). Non minor ergo in hoc ductu sermonis est claritas propositionis: « petra autem erat Christus, » quam illarum, quas supra (p. 33) explicavimus: septem boves sunt septem anni, septem candelabra sunt septem Ecclesiae etc.

Imo tam clare videtur postulari in contextu ratio typica petrae, ut haec sola causa reddat interpretationem de petra materiali aliquo modo probabilem. Attamen est in verbis Pauli, quod persuadeat alium esse sensum. Agit enim Apostolus de petra *consequente* et comitante Israelitas in itinere per desertum: « bibebant de spiritali *consequente* eos petra » (ἐκ πνευματικης ἀκολουθουσης πετρας). Hoc autem nullam admittit de petra illa materiali explicationem, quae satisfaciat (1). Sensus itaque hic est: Apostolus nomen petrae, ex qua percussa a Moyse potus manavit, transfert ad antitypum, atque illum qui consequebatur et tutabatur Israelitas, eisque sua omnipotentia potum praebebat, appellat metapho-

(1) Rabbini quidem referunt, petram percussam virga Moysis una cum columna nubis comitem Israelitis factam esse per desertum (vide Schoetgen Hor. hebr. in h. l.). Sed huius tanti prodigii nullum vestigium est in Scriptura. Aiunt alii, aquam esse secutam in itinere. At quidquid de hoc sit, Apostolus non aquam sed *petram* appellat. Explicari posse existimant alii ita, ut petra *consequens* idem sit ac *obsecundans,* inserviens commodis Israelitarum. Sed vox ἀκαλουθειν hanc significationem non admittit.

rice petram spiritalem; quis autem is fuerit edicit hac propositione: « petra autem (spiritalis et consequens Israelitas in deserto) erat Christus, » Christus scilicet secundum divinitatem, divina persona Verbi eadem, quae tempore novissimo carnem assumens est Christus Deus-homo. Atqui si ita est, quod designatur subiecto *petra*, non significat Christum sed revera et ontologice *est* Christus.

Remanent ergo duo loca Gen. XVII. 10 et Exod. XII. 11. Ut ex illis persuaderent, verba eucharistica *debere* sumi sensu signi et figurae, oporteret loca esse *realiter* parallela atque ita ut, dum verba eucharistica essent obscura, in loco parallelo assumpto ad eorum explicationem clare diceretur panis esse tantummodo signum corporis Christi. Huius autem parallelismi illic nullam esse umbram, est evidens. Ergo illa loca, quidquid in eis dicatur, iam non possunt demonstrare, quo sensu verba eucharistica *debeant* intelligi. Ut suaderetur ex locis allatis, verba Christi de quibus agitur, *posse* sumi in sensu quem Sacramentarii probandum suscipiunt, oporteret parallelismum esse saltem *verbalem* (cf. p. 34.). Atqui neuter locus, etiamsi admittatur ut ab adversariis profertur, ne *verbaliter* quidem parallelus est verbis Christi.

Probare volunt ex parallelismo, verba Christi: « hoc est corpus meum », posse sumi hoc sensu: panis significat corpus meum. Locus igitur verbaliter parallelus habeat oportet pro subiecto nomen non rei sub ratione signi ac typi aliunde notae sed nomen substantiae, quae absolute et in se spectari soleat; in praedicato item sit nomen substantiae alterius, et tamen praedicatum subiecto coniungatur per verbum substantivum *est*, quod aequivaleat verbo *significat*. Atqui in assumptâ propositione utrâque praedicatum non est aliqua substantia, sed in una est *pactum*, in altera *transitus Domini*. Pariter in utraque propositione illa subiectum non est substantia aliqua sed caerimonia a Deo praecepta, *circumcisio* inquam et *multiplex caerimonia in esu agni paschalis*. Nullus ergo est parallelismus ne verbalis quidem cum verbis eucharisticis. Facile quidem intelligeretur, pactum et transitum Domini postulare aliquod signum, ut perpetua eius maneat memoria, ac signum huiusmodi esse

caerimoniam religiosam. Unde etiamsi diceretur: circumcisio est pactum meum, et agnus paschalis cum caerimoniis descriptis est transitus Domini, in sensu ab adversariis asserto, ut nimirum propositiones aequivalerent his aliis: circumcisio est signum pacti mei, et agni esus ille caerimonialis est signum commemorativum transitus Domini; inde tamen nullo modo sequeretur, verba: « hoc est corpus meum », posse intelligi in hunc sensum: hic panis significat corpus meum. Sic post initum contractum porrigens manum potest dicere: hoc est pactum meum tecum; non tamen ideo mente sua concipiens frustum panis ut signum e. g. amici sui, potest pari modo dicere ostendens panem: hic panis est amicus meus; nec ullus inter has duas propositiones existit parallelismus verbalis. Insuper in Gen. XVII. 11 continuo post verba citata adhuc additur diserta declaratio: « ut sit *signum foederis* inter me et vos. » Pari modo Exod. XII. 27 ad interrogationem posterorum: « quae est ista religio (observatio caerimonialis)? » praecipitur responsio: « *victima transitus Domini* est. »

Haec quidem valent si adversariis sua explicatio textuum Gen. XVII et Exod. XII permittitur, at inspecto contextu locus uterque ita habet, ut verbum *est* suam retineat genuinam significationem ontologicam, et nullatenus ibi sumi queat velut aequivalens verbo *significat*. Verba Gen. XVII, 10 in textu hebraico ita sunt: « hoc est pactum meum quod observabitis inter me et vos et semen tuum post te, circumcidi in vobis omne masculinum ». Pactum itaque est in eo, quod Deus aliqua promittit ex parte sua v. 2. 4. 7. 8 et aliqua exigit praestanda et observanda a populo Israel; unde pactum בְּרִית saepe dicuntur praecepta Dei, quibus aliquid exigit a populo e. g. Num. XVIII 19. Iam inter haec observanda est etiam illud, ut circumcidant omne masculinum. « Hoc ergo, videlicet circumcidi omne masculinum, ait Dominus, *est pactum meum seu praeceptum meum a vobis observandum,* » ubi profecto non sibi vult: hoc significat pactum seu praeceptum meum, sed revera *est* pactum et praeceptum. Quia tamen hoc, ut circumcidant omne masculinum non est *totum* pactum et tota lex Dei, sed eius pars et pars quidem sensibilis ad Israelitas perpetuo mo-

nendos totius foederis cum Deo initi, ideo circumcisio est etiam et v. 11. dicitur *signum foederis* (integri).

Ad Exod. XII, 11 veniendum est, cuius loci falsa interpretatio et comparatio cum verbis eucharisticis ab impio scurra obtrusa misero populo Tigurino tam infausta fuit (cf. supra p. 47). Sufficit legisse verba, ut intelligatur nihil habere ea simile cum verbis Christi, et vocem *est* etiam hic suam primariam retinere significationem. Descripto toto ritu immolationis et esus agni paschalis, subiungitur: Phase est Domino (scilicet sacrum, dicatum) פֶּסַח הוּא לַיהוָֹה, addita continuo nominis explicatione: « nam transibo per terram Aegypti percutiamque omne primogenitum... et transibo vos וּפָסַחְתִּי עֲלֵכֶם nec erit in vobis plaga ». Imponit itaque Deus per Moysen illi toti ritui antea descripto, illi sacrificio, illi solemnitati nomen פֶּסַח (1), quia instituta est in memoriam beneficii, quo liberavit populum et transiit פָּסַח domos filiorum Israel. Quando ergo dicit: « ritus immolationis et esus agni *est* solemnitas nominata et nominanda in perpetuum Phase, et *est* Domino sacra », quid quaeso habent haec commune cum verbis Christi: hoc est corpus meum? et quomodo vocabulum *est* non retinet suam significationem? Plenior declaratio quae datur v. 27, hunc sensum iam per se clarum adhuc confirmat: « cum dixerint vobis filii vestri: quae est ista religio (הָעֲבֹדָה LXX ἡ λατρεια ritus et cultus religiosus)? dicetis eis: *victima transitus* Domini est, quando transivit super domos filiorum Israel in Aegypto percutiens Aegyptios » (2). Evidens est igitur, omnes has locutiones quas appellarunt *sacramentales*, ad explicandum verum sensum institutionis Eucharistiae nihil omnino pertinere, et omnium minime hanc postremam, cuius abusu Zwinglius ignorantiae plebis imposuit et suam haeresim stabilivit.

(1) Chaldaice פִּסְחָא unde apud Graecos et Latinos πασχα. Iosephus Philo et Origenes nominant ὑπερβασιαν, τα διαβατηρια festum seu sacrificium pro felici transitu.

(2) זֶבַח־פֶּסַח הוּא לַיהוָה אֲשֶׁר פָּסַח עַל־בָּתֵּי בְנֵי יִשְׂרָאֵל *sacrificium Transitus* est Domino, *quia transivit* domos filiorum Israel.

THESIS VI.

Quid significet, *et quid* demonstret *pronomen* hoc *in verbis institutionis.*

« Quaestio quid in verbis eucharisticis significet pronomen *hoc*, » quam catholici theologi ad distinctiorem intelligentiam, et Protestan- » tes ad nectendas tricas proponere solent, pleniorem habet solutio- » nem, si cum Cardinali Perronio distinguatur pronominis *significatio* » formalis, et *demonstratio* termini qui subest. Qua distinctione sup- » posita intelligitur, pronomine *hoc* neque panem neque corpus Christi » *significari,* sed praesentiam rei in confuso sub visibilibus speciebus, » quae exhibentur; quod autem subest *demonstrationi*, initio proposi- » tionis esse panem in statu transeunte, et ea completa esse corpus Chri- » sti in statu permanente. Unde simul apparet, sententias quae apud » diversos catholicos theologos leguntur, esse quidem diversas non » tamen falsas aut inter se invicem pugnantes. »

I. Nondum disputamus de transsubstantiatione; si igitur nihilominus aliqua hic dicenda praeoccupare videbuntur illam quaestionem, id accidit ex doctrinae propria ratione et necessario nexu praesentiae realis, ut verbis Christi instituta est atque efficitur, cum ipsa transsubstantiatione. In praesenti tamen unice sumus solliciti de vera significatione verborum directe, quatenus ad realem praesentiam spectant, quamvis genuina verborum significatio declarari non possit, quin ex ea consequatur etiam veritas alterius dogmatis inferius distincte demonstrandi; siquidem verba non alia sed eadem significant atque efficiunt realem praesentiam Christi, quae eam significant fieri atque efficiunt per transsubstantiationem panis in corpus Christi et vini in sanguinem Christi. His praemonitis ad rem ipsam veniamus.

Significatio vocabuli est eius valor, quem ex institutione et usu habet, ut loquens per illud manifestet, et audiens concipiat determinatam aliquam ideam. Pronomen itaque *hic, haec, hoc* dum a loquente dirigitur ad rem aliquam, *significat* praesentiam rei (idealem vel realem), non tamen *significat* rem ipsam quid sit, aut ullam eius proprietatem praeter praesentiam; nam ad ideam praesentiae et ad nullam aliam exprimendam et excitandam destinatum

est. Eo igitur pertinet pronomen demonstrativum ut attentio mentis dirigatur ad aliquid tamquam *praesens*, quin per pronomen determinetur quid illud sit; proindeque eiusdem est valoris ac particula *ecce*, sicut quod Exod. XXIV. 8 hebraice dicitur: *ecce* sanguis testamenti, S. Paulus Heb. IX. 20 et Vulgatus interpres latinus vertunt: *hic* est sanguis testamenti (cf. p. 37). In omnibus propositionibus eiusdem constructionis cum verbis Christi: hoc est corpus meum, *significatio* ista pronominis manet eadem tam inchoatâ quam completâ iam propositionis enuntiatione, tam in propositionibus speculativis quam practicis et efficientibus.

At vero res praesentes, ad quas dirigitur pronomen, quae ergo subsunt tamquam *monstratae* per pronomen, sunt diversissimae. Proinde *termini demonstrationis* seu *designationis*, quae fit per idem pronomen, diversi sunt pro diversitate rerum, ad quas pronomen applicatur. Si agitur de propositionibus mere *theoreticis*, subiectum demonstratum per pronomen seu terminus demonstrationis manet idem initio et in fine propositionis; per eam enim solum enuntiatur, quod verum praeexistit, non autem efficitur, ut sit quod enuntiatur (1). Ut ergo huiusmodi propositiones sint verae, necesse est, ut terminus demonstratus in subiecto per pronomen iam praeexistat talis etiam in initio enuntiationis, qualis per praedicatum esse affirmatur. Si quis ostendens aliquam rem de ea theoretice pronuntiat e. g: « hoc est aqua », pronomen *hoc* per se *significat* praesentiam alicuius rei in confuso, terminus autem *demonstrationis* seu *designationis* est ea talis res, ad quam pronomen dirigitur et applicatur. Sed illa res (ex hypothesi propositionis mere theoreticae et nullius intervenientis mutationis, dum fit enuntiatio) manet eadem initio et in fine enutiationis. Cum ergo ad veritatem propositionis requiratur, ut, dum enuntiatur praedicatum, terminus demonstratus sit revera aqua, necesse est ut fuerit aqua etiam initio propositionis, non

(1) Supponimus, neque vi propositionis neque ex alia causa independenter a propositione fieri mutationem rei, dum propositio enuntiatur.

praecise ideo quia, nisi iam initio fuisset aqua, propositio non esset vera, sed quia supponitur nullam intervenisse mutationem, et ideo etiam dum enuntiatur praedicatum, aqua non esset nisi iam initio fuisset.

Alia omnino est ratio in huius formae propositionibus practicis, quae non praesupponunt sed efficiunt quod significant. In illis enim eo ipso, quod efficiunt ut subiectum sit id, quod in praedicato enuntiatur, terminus ad quem pronomen dirigitur, seu *terminus demonstrationis* erit alius initio enuntiationis, quando nihil adhuc effectum aut mutatum est, et alius dum enuntiatur praedicatum, quando id efficitur quod in praedicato significatur. Potuisset Christus Dominus mutare aquam in vinum (Io. II. 7. sq.) directis ad aquam in vasis appositam hisce verbis: hoc est vinum. (Eiusdem formae propositiones practicae possunt supponi in aliis omnibus mutationibus supernaturalibus, uxoris Loth in statuam salis, virgae Moysis in serpentem etc.). Iam in hac propositione *significatio* pronominis *hoc* manet semper eadem, *praesentiae* scilicet rei alicuius in confuso, quae quid sit, sive aqua sive vinum sive aliud, per pronomen ipsum non *significatur*. Res tamen illa, ad quam pronomen dirigitur intentione loquentis et ad quam per ipsum pronomen dirigitur attentio audientis (terminus demonstrationis), ante enuntiationem praedicati est aqua; dum vero in praedicato affirmatur esse vinum, necesse est ut terminus demonstrationis, ad quem pronomen dirigitur, iam non maneat aqua sed vere sit vinum; secus propositio sicut non efficiens ita nec vera esset.

Terminus igitur demonstratus pronomine usque ad enuntiationem praedicati est aqua; sed ad aquam dirigitur propositio et designatio pronominis « *hoc* » ea intentione et eo scopo, ut per enuntiationem praedicati aqua debeat desinere cum relatione ac ordine ad positionem eius, quod enuntiabitur in praedicato: est ergo aqua terminus demonstrationis *in statu transeunte*. Dum autem in praedicato enuntiatur esse vinum, et efficitur quod significatur, eo ipso significatur et efficitur, ut prior terminus demonstrationis desinat, et iam terminus qui subest demonstrationi pronominis *hoc*, sit et

5

maneat vinum. Ergo eo momento, quo praedicatum *(vinum)* coniungitur cum subiecto *(hoc)*, terminus demonstrationis pronominis *hoc* est vinum *in statu permanente.*

Paucis totum comprehendi ita potest. Ut propositio, qua quid sit subiectum, enuntiatur in praedicato, sit vera, oportet terminum demonstratum in subiecto cum termino per praedicatum significato esse identicum tunc, quando praedicatum enuntiatur. Ideo terminus in subiecto identicus cum praedicato vel iam prius adest, et haec identitas solum enuntiatur; tumque propositio erit mere theoretica: vel terminus in subiecto demonstratus nondum est id, quod praedicato enuntiandum est; tum ad propositionis veritatem necesse est, ut eo momento, quo coniungitur praedicatum, terminus subiecto demonstratus mutetur et efficiatur id, quod praedicato edicitur esse; sicque propositio erit practica et efficiens id, quod significat. Si talis mutatio termini in subiecto demonstrati non efficeretur, propositio non esset practica sed theoretica et falsa.

Applicatio datae declarationis ad verba eucharistica per se evidens est. In propositione: « hoc est corpus meum », pronomen *hoc* pro quavis temporis differentia *significat praesentiam rei in confuso* sub illis sensibilibus phaenomenis, ad quaé ipso vocabulo una cum externis adiunctis attentio dirigitur. *Ergo terminus demonstratus pronomine ante enuntiationem praedicati est panis;* « accepit Iesus panem... et ait: hoc » etc. Quando per praedicatum enuntiatur esse corpus Christi, terminus qui subest demonstrationi pronominis *hoc*, non potest manere panis, secus propositio esset falsa. Ergo ut sit vera, eo momento *terminus demonstratus pronomine debet esse id, quod esse affirmatur, scilicet corpus Christi*, atque ideo per propositionem debet effici, quod per eandem significatur; debet nimirum effici, ut terminus qui pronomine *hoc* sub visibilibus speciebus demonstratur, iam non sit panis sed corpus Christi: proinde propositio, ut vera sit, debet esse practica et efficiens. Igitur *initio propositionis terminus, qui subest demonstrationi pronominis, est panis in statu transeunte; quando per praedicatum enuntiatur, non esse panem sed esse corpus Christi, terminus qui*

subest demonstrationi pronominis, iam constituitur et est quod esse dicitur, scilicet corpus Christi in statu permanente.

II. Ex dictis facile apparet, quid sentiendum sit de diversitate opinionum inter catholicos Doctores, quorum alii dixerunt cum S. Thoma 3. q. 78. a. 5. pronomen *hoc* supponere pro substantia in communi sub visibilibus speciebus, quin determinetur per pronomen, quid illa sit; alii cum Alexandro Halensi et S. Bonaventura contenderunt, pronomen supponere pro pane convertendo; alii cum Scoto censuerunt, supponere pro corpore Christi non tamen ante terminatam enuntiationem praedicati. Cf. Vasquez in 3. P. disp. 201. Sunt scilicet omnes illae sententiae verae pro diverso modo considerandi, prout scilicet spectatur pronominis *significatio,* vel terminus qui subest eius *demonstrationi ante enuntiationem praedicati,* vel qui subest, *dum in praedicato iam enuntiatur corpus Christi.* Imo adeo diversae illae sententiae non se invicem excludunt, ut eas omnes simul ad pleniorem explicationem coniungere oporteat. Vide Card. Du Perron De Euch. l. III. c. 27; Perpetuit. Fidei T. II. l. II. c. 2.

Corollarium 1. Non tanti refert quaestio, quanti eam existimarunt aliqui Scholastici (cf. Vasquez in 3. P. disp. 201. cc. 3 et 4), utrum pronomen *hoc* in verbis eucharisticis *substantive* vel *adiective* sumatur, dummodo ratum maneat, pronomen esse *subiectum* propositionis, verba *corpus meum* esse *praedicatum* (cf. Pallavicin. Cursus theolog. T. VI. c. 18. n. 244 sqq.). Sensus enim in utraque hypothesi prorsus manet idem, quamvis modus eundem sensum logice concipiendi et enuntiandi sit paululum diversus. Videlicet quando mens loquentis directe spectat pronominis *significationem,* quae ex dictis pertinet ad indicandam praesentiam rei alicuius, et solum oblique spectat terminum demonstrationis, tum ponit pronomen *hoc* in genere neutro *substantive* i. e. vice substantivi generici *haec res, hoc ens.* Quando vero loquens directe spectat *terminum demonstratum* per pronomen, et oblique eius significationem, iam initio praeconcipiens mente termini per pronomen demonstrati ac praedicati identitatem, quae vel iam est (ut in pro-

positionibus mere theoreticis) vel intenditur et erit, cum coniungetur praedicatum (ut in propositionibus practicis); in hoc inquam modo concipiendi construitur pronomen *adiective* in concordantia cum praedicato enuntiando. Mens quippe velocior quam lingua identitatem iam in enuntiatione subiecti concipit, quam identitatem lingua non potest significare nisi vocabulis successive prolatis. Exemplum valde clarum huius modi concipiendi habes Exod. XVI. 15 in versione vulgata. Populus primo videns manna mirabundus interrogat: « quid est hoc? ignorabant enim, *quid esset.* » Si responsio in modo constructionis aptaretur menti populi videntis rei praesentiam et ignorantis quid esset, videretur dicendum: « *istud* est panis quem Dominus dedit vobis; » sed Moyses concipiens mente identitatem termini demonstrati per pronomen et enuntiandi praedicati, respondet: « *iste* est panis quem Dominus dedit vobis ». Sensus autem in utroque modo enuntiationis evidenter est unus idemque. Ad rem nostram quod spectat, in prima parte consecrationis tam in textu graeco quam in Vulgata utervis modus constructionis potest admitti, in secunda vero parte ut est apud Matthaeum et Marcum, in Vulgata pronomen concordat cum praedicato: *hic* est *sanguis meus* (1); et eodem modo in sacra liturgia: *hic* est enim *calix sanguinis mei.*

Coroll. 2. Inepte solent obiicere, propositionem fore tautologicam, si pronomen hoc referatur ad corpus Christi; posse enim aiunt tum substitui ipsum nomen, atque adeo ad hanc redigi propositionem: corpus meum est corpus meum. Propositiones tautologicae sane non sunt illae, in quibus idem designatur in subiecto quod significatur in praedicato; id enim necessarium est ad veritatem propositionis, sed tautologia in eo est, quod idem eodem modo significatur in subiecto et in praedicato. Pronomen *hoc demonstrat* corpus Christi quando propositio completur, non autem distincte corpus Christi *significat;* praedicatum vero distincte

(1) Quod ait Suarez (de Euch. disp. 58. sect. 7. §. Quinta tamen sententia), posse absque concordantia cum praedicato subintelligi substantivum *hic potus* vel *hic calix,* nemo iam existimabit probabile.

significat, illud demonstratum esse *corpus Christi. Hoc* completa propositione et *corpus Christi* est res eadem, sed aliter demonstrata per pronomen *hoc* et aliter significata per verba *corpus Christi.*

Coroll. 3. Quamvis pronomen *hoc* non significet panem, atque adeo propositiones: « hoc est corpus meum »; « hic panis est corpus meum, » « panis est corpus meum, » sint diversae; nihilominus falsum est, sensum illum signi et figurae corporis Christi quem Sacramentarii supponunt, intelligi debuisse aut potuisse in institutione Eucharistiae, si Dominus usus esset his verbis: « hic panis est corpus meum ». Inter duas propositiones: « hoc est corpus meum » et « hic panis est corpus meum, » discrimen illud est, quod in priori, ut diximus, pronomen *hoc demonstrat* panem usque ad enuntiationem praedicati *corpus meum,* praedicato autem enuntiato iam demonstrat id, quod esse dicitur, scilicet corpus Christi; sed non *significat* panem nec corpus Christi. Contra in propositione altera subiectum *hic panis* ante enuntiationem praedicati demonstraret panem ratione particulae *hic* et eum significaret ratione nominis *panis;* sed enuntiato corpore Christi in praedicato, iam intelligeretur, demonstrationem non amplius referri ad panem proprie dictum sed ad corpus Christi, et, quia praedicatum *corpus meum* excluderet naturam panis proprie dicti, intelligeretur nomen *panis* iam non significare panem proprie dictum sed corpus Christi cibum supernaturalem eo sensu, quo Christus Dominus ipse Io. VI carnem suam appellavit « *hunc panem* », pariterque S. Paulus eodem loco, quo Eucharistiam declaravit esse corpus et sanguinem Christi, nominavit « *hunc panem* » et « panem quem frangimus » (cf. supra p. 50). Si Christus Dominus, quando in nuptiis Canae primum patravit miraculum, his verbis usus esset: haec aqua est vinum, nec fuisset nec sine praecedenti praeparatione ac declaratione intelligi potuisset sensus: haec aqua est signum vini, sed sensus facile intelligibilis fuisset: haec, quae hucusque erat aqua, iam desinit esse aqua, atque pro aqua desinente succedit et est vinum. Certe locutio illa non minus facile in hunc sensum intelligeretur quam altera, qua

Evangelista vinum, in quod aqua conversa erat, appellat « aquam vinum factam » Io. II. 9. Simili igitur ratione propositio: « hic panis est corpus meum, » in illis adiunctis quibus Christus instituit Eucharistiam, haberet hunc sensum: hic qui hucusque erat panis, iam desinit esse panis, ut pro pane desinente succedat corpus meum, et iam hic altioris ordinis panis est corpus meum. Longe diversae rationis esset propositio tertia: « panis est corpus meum », si nomen panis sumeretur ad significandam speciem seu naturam panis non pro supposito hoc pane; neque enim natura panis generatim sumpta aut esse potest corpus Christi aut in corpus Christi mutari, adeoque in sensu ontologico identitatis propositio numquam posset esse vera. Quamvis igitur propositionis, qua Christus Dominus usus est « hoc est corpus meum », diversitas ab altera « hic panis est corpus meum » defendi debeat, cum illa prior sit clarior et magis propria, non tamen verum putamus, quod aliqui theologi concedere videntur, hanc posteriorem propositionem non posse eundem, quem prior habet, sensum catholicum admittere.

THESIS VII.

De sensu invocationis Spiritus Sancti in liturgiis Orientalibus non ad efficiendam sed ad significandam effectam praesentiam corporis et sanguinis Christi.

« Corpus et sanguis Christi ipsis verbis evangelicis quibus Salva» tor in ultima coena Sacramentum instituit, realiter ac substantialiter » praesens fieri credi debet. Quae igitur in orientalibus et aliquot oc» cidentalibus liturgiis post verba consecratoria occurrunt Spiritus » Sancti invocationes super dona proposita, non pertinent ad corporis » Christi praesentiam vel efficiendam vel impetrandam, ut post Nicolaum » Cabasilam orientales schismatis fautores contendunt, sed ad effectae » iam realis praesentiae declarationem et ad fructus salutaris in cor» pore Christi morali, quod est Ecclesia, implorationem. »

I. In historia evangelica, ut tres Evangelistae et S. Paulus institutionem SS. Sacramenti referunt, nihil omnino est, quod suspicari sinat, Christum Dominum realem corporis et sanguinis sui praesentiam sub speciebus panis et

vini alio modo effecisse quam ipsis illis verbis a sacris scriptoribus relatis, quae hanc praesentiam significant. Imo ex ipso quatuor sacrorum scriptorum narrationis modo satis constat, voluisse eos institutionem saltem ea plenitudine referre, ut nihil eorum omitterent, quae Dominus ad realem praesentiam significandam et efficiendam dixit aut egit. Atqui praeter ipsa verba institutionis nihil omnino aliud referunt dictum aut factum a Christo Domino, quod pertineat ad illam significationem et effectionem. Sine dubio ergo ipsis illis verbis sicut significavit ita et effecit praesentiam corporis ac sanguinis sui sub sensibilibus panis et vini speciebus.

Insuper ex traditione non solum non constat, aliis praeterea aut verbis aut actionibus ad Sacramenti essentiam pertinentibus Christum Dominum usum esse, sed confirmatur nullis aliis usum esse. Quoties enim apud Patres inde a S. Iustino occurrit mentio institutionis a Domino in ultima coena factae, simpliciter et constanter eadem verba et eandem actionem referunt, quae apud sanctos Evangelistas leguntur. Quod vero S. Basilius de Spiritu Sancto c. 27 (cf. de Sacram. in Genere p. 269) provocat ad « invocationis verba » quae ex traditione non scripta accepimus; « non enim, inquit, iis contenti sumus, quorum Apostolus aut Evangelium mentionem facit, » id probat quidem, liturgiam in suis partibus praecipuis esse ex traditione apostolica (ut distinguitur traditio mere apostolica a traditione divina verbi revelati, cf. Tract. de Tradit.); sed non sibi vult S. Doctor, ea « verba invocationis » fuisse adhibita ab ipso Christo, aut instituta tamquam essentialia ad consecrationem. Eodem enim modo ibidem Basilius inducit alias caerimonias in administratione sacramentorum traditione non scripta acceptas, benedictionem aquae baptismatis, trinam immersionem, formulam renuntiandi Satanae etc.

Ratum igitur manet, quod dicimus; sive scilicet verba et actio Christi spectentur, ut narrantur in Scripturis, sive ut ad ea appellatur in traditione et praedicatione ecclesiastica, demonstratur hac in re plenitudo narrationis evangelicae. Atqui Christus Dominus illud ipsum, quod fecerat,

ac proinde rem eandem per eadem verba Apostolos facere iussit usque ad secundum eius adventum Luc. XXII, 19; 1 Cor. XI. 26. Ergo iuxta Christi Domini institutionem eadem ipsa verba sunt, quibus usque ad consummationem saeculi Sacramentum conficitur. (Cf. Conc. Florent. instruct. pro Armen.; Trid. sess. XIII. cap. 1 et 3).

Hanc esse totius antiquitatis christianae ratam sententiam, sancti Patres non minus orientales quam occidentales certos nos reddunt. Consuli possunt inter Patres graecos Iustinus in apolog. maiori n. 66; Irenaeus l. IV. c. 33. n. 2; l. V. c. 2. n. 3; Gregorius Nyssen. orat. catech. c. 37; Chrysostomus hom. II. in 2 Tim. n. 4 (versus finem); de prodit. Iudae hom. I. n. 6. (Opp. T. II) et alibi saepius; Damascenus de Fid. orthod. l. IV. c. 13; inter Syros Iacobus Sarugensis, Isaac Magnus, Maruthas et alii in Antirrhetico duplici Petri Benedicti (in append. T. II. Opp. Syr. Lat. S. Ephrem; exstat etiam in T. X. Thesauri Zachariae, opusc. III. et VIII); inter Latinos Ambrosius de myster. c. 9; auctor ll. de Sacramentis l. IV. c. 4. 5; Augustinus serm. 227 (al. 83 de diversis); Isidorus Hispal. serm. de corpore et sang. Domini n. 3. Opp. T. VII. p. 316 ed. Arevali (al. sub nomine Eusebii Emisseni seu Gallicani hom. 5. in pasch. Bibl. Max. Patrum T. VI. p. 636).

Quemadmodum, inquit Iustinus, caro factus Iesus Christus carnem et sanguinem accepit per verbum Dei, et quemadmodum carnes nostrae cibo nutriuntur, « ita alimoniam, *quae per precem ipsius verba continentem* facta est Eucharistia την δι' ἐυχῆς λογου του πὰρ' αὐτου ἐυχαριστηθεισαν τροφὴν, incarnati illius Iesu carnem et sanguinem esse edocti sumus »; idque probat simplici relatione institutionis et verborum Christi in ultima coena ex « commentariis Apostolorum, quae vocantur Evangelia. » Chrysostomi testimonia sunt disertissima, quibus innixi etiam graeci Episcopi in Concilio Florentino professi sunt, se idem ac latinos de forma consecrationis sentire. Ceterorum nomine Bessarion verba faciebat: « Quoniam ab omnibus sanctis Doctoribus Ecclesiae, praesertim ab illo beatissimo Ioanne Chrysostomo, qui nobis notissimus est, audimus verba Dominica esse illa, quae mutant et transsubstantiant panem et vinum in corpus

verum Christi et sanguinem, et quod illa verba divina Salvatoris omnem virtutem transsubstantiationis habent, nos ipsum sanctissimum Doctorem et illius sententiam sequimur de necessitate » (Mansi T. XXXI. p. 1046). Sic e. g. de prodit. Iudae l. c. ait Chrysostomus: « Figuram implens stat sacerdos verba proferens, virtus autem et gratia est Dei. Hoc est corpus meum, dicit; *hoc verbum* transmutat proposita (panem) τουτο το ῥημα μεταῤῥυθμιζει τα προκειμενα ». In eundem sensum loquuntur Patres ceteri, quos citavimus. Cf. Arcud. in Concord. l. III. c. 32; Harduin. dissert. in epistolam ad Caesarium; Petr. de Benedictis in Antirrhetico (Opp. S. Ephr. Syr. Lat. T. II., append.); Asseman. Bibl. Or. T. II. p. 201); Natalem Alexandrum dissert. in saec. VIII (in Thesaur. Zachar. T. X. opusc. XII); Scipionem Maffei epp. tribus ad Bacchin. (append. ad histor. theologic.); Benedict. XIV de Sacrific. Missae l. II. c. 15. n. 16 sqq.; Card. Orsi, qui ceteris amplius de hac re disputavit in dissertatione de liturgica Spiritus Sancti invocatione.

II. Sine ullo dubio errarunt recentiores aliqui catholici Le Brun, Renaudot, Touttée, qui liturgias orientales non alio sensu explicari posse censebant, quam ut non per sola verba evangelica sed simul per adnexam invocationem Spiritus Sancti consecratio fieri intelligatur, hancque sententiam ipsam putabant libere a viro catholico defendi posse, cum in Concilio Florentino de hac re licet inter Latinos et Graecos in controversiam vocata nihil definitum, sed Graecis concessum fuerit, ut de ea in decreto unionis nulla fieret mentio. At vero ex actis Concilii omnino certum est, Pontificem Eugenium IV et Patres latinos postulasse, ut ipsi decreto unionis insereretur professio, de qua agimus, nec sine ea unionem admittere voluisse. Cum vero Graeci se in re ipsa cum Latinis quidem idem sentire, attamen talem explicitam sententiae oppositae damnationem suae Ecclesiae iniuriosam fore dicerent, quod videri possent hucusque sacrificium et sacramentum Eucharistiae non rite administrasse, Pontifex consensit in omissionem explicitae declarationis in decreto unionis ea conditione, ut Graeci in Concilio ipso publice profiterentur suum consensum cum

doctrina Ecclesiae Latinae. Hanc deinde professionem Bessarion non quinque solum aliis Episcopis graecis ei consentientibus, ut ait Renaudot (in comment. ad Liturg. Copt. S. Basilii), sed in Congregatione generali praesentibus omnibus Episcopis tam graecis quam latinis « suo et aliorum Patrum Ecclesiam orientalem praesentantium nomine, publice, alta et intelligibili voce exposuit » (apud Mansi l. c.) (1).

Reliquum est, ut declaretur modus, quo formula liturgica invocationis Spiritus Sancti cum veritate hucusque demonstrata conciliari possit. Difficultas in eo est, quod in omnibus fere liturgiis orientalibus et in quibusdam etiam occidentalibus (Gothicis et Mozarabicis in australi Gallia et in Hispania) post verba consecrationis a Christo Domino instituta sequitur invocatio Spiritus Sancti in hunc sensum: « emitte Spiritum Sanctum tuum super nos et super proposita haec dona, et fac panem quidem hunc pretiosum corpus Christi tui, et quod est in calice, pretiosum sanguinem Christi tui, transmutans (μεταβαλων in aoristo) Spiritu tuo Sancto, ut fiat accipientibus nobis in sobrietatem (νηψιν) animae, remissionem peccatorum, communicationem Sancti Spiritus ». (Ex liturgia S. Chrysostomo adscripta).

(1) Videtur de hac re controversia excitata esse in Russia inter ipsos schismaticos mediante saeculo XVII, quando Nicon Patriarcha Moscoviae in libris liturgicis innovationes induxit; haecque una videtur fuisse ex causis, propter quas illi schismatici, qui in Russia vocantur Roscolnici et Starowerci, a reliquo schismate se alio schismate separarunt. Cl. Baro Haxthausen in suo libro de internis conditionibus Russiae Hanovr. 1847 P. I. p. 364 declarans originem illius sectae ita scribit: « Erat tum orta controversia inter theologos Kiowienses et Moscowienses. Schola Kiowiensis tum temporis ut adhuc nunc habebatur doctissima inter ceteras. Controversia autem spectabat ad doctrinam de Eucharistia, utrum scilicet transsubstantiatio fiat eo momento, quo sacerdos pronuntiat verba: Hoc est corpus meum, etc., an vero quando offert hostiam in altum elevans (elevatio fit in liturgia graeca post invocationem Spiritus Sancti). Schola Kiowiensis et Episcopi Russiae minoris, Albae Russiae et Lithvaniae defendebant priorem sententiam consonam doctrinae Ecclesiae Romanae, Moscowienses cum Patriarcha Nicone et cum Constantinopolitano fovebant opinionem alteram. Kiowienses theologi et Episcopi occidentalis Russiae initio defensionem suscipiebant eorum, qui vocantur Starowerci, contra Niconem » etc. Cf. etiam P. de Benedictis Antirrhet. contra Le Brunium c. 4. (Thesaur. Zachar. T. X. p. 554).

Si igitur ex una parte professio est totius antiquitatis, quam et recentiores orientales agnoverunt, per ipsa verba a Christo instituta « hoc est corpus meum » etc. fieri id quod significant, praesentiam scilicet realem per conversionem panis in corpus Christi, ex parte vero altera post factam iam conversionem in liturgiis inde a remotissima antiquitate traditis rogatur Spiritus Sanctus, ut nobis fiat conversio panis in corpus Christi; sensus huius invocationis ab ipsis precum illarum auctoribus non potuit alius intelligi, quam ut *declaretur distinctius id, quod per verba institutionis iam factum est*, et ut rogetur id, quod in se iam factum est, *nobis fieri in salutem*. Hic sensus facile intelligitur, dummodo advertatur ad connexionem precum illarum cum ipsis verbis ex Christi institutione efficientibus. Haec connexio patet ex sequenti consideratione. Tota ea pars sacrae liturgiae, quae a Latinis vocatur *Actio, Canon*, a Graecis ἀναφορα, spectatur ut una actio sacrifica. Unde sicut in administratione aliorum sacramentorum, ita et in confectione sacramenti Eucharistiae et in oblatione sacrificii, caerimonias ab Ecclesia praescriptas consistentes tum in verbis tum in rebus quibusdam et actionibus, spectare oportet non per se seorsum sed in connexione ac unitate cum eo, quod essentiale est ex Christi institutione. Proinde ritus illi omnes ac preces, quae fiunt *infra Actionem seu ἀναφοραν*, referri debent ad ipsam consecrationem quae verbis a Christo institutis perficitur, velut radii ad suum centrum. Porro finis omnium caerimoniarum et verborum, quae ab Ecclesia (Apostolis eorumque successoribus) instituta sunt in administratione sacramentorum et nominatim sacrificii eucharistici, potissimum duplex est; proxime ut res ipsa essentialis quae agitur, distinctius declarata velut ob oculos ponatur atque convenienti maiestate et externo cultu condecoretur, consequenter deinde ut excitetur et foveatur congruentior dispositio ac devotio in animis fidelium ad cultum Deo exhibendum et maiorem fructum percipiendum. (Cf. Conc. Trid. sess. XXI. cap. 2; sess. XXII. cap. 5).

Iam hisce positis invocationes illae liturgicae Spiritus Sancti, ut proposita dona sanctificet et transmutet in pre-

tiosum corpus et sanguinem Christi, facile intelliguntur declarare id, quod verbis Christi consecratoriis efficitur. Etenim referri illa debent, ut praeclarissime explicat Bessarion, *non ad tempus quo dicuntur,* sed *ad tempus pro quo dicuntur;* dicuntur autem pro tempore quo revera fit transmutatio, quam illa invocatio Spiritus Sancti declarat, h. e. pro tempore quo a sacerdote enuntiantur ipsa verba Christi consecratoria « hoc est corpus meum », quibuscum invocatio in unitate spectari debet. Operatio nimirum Spiritus Sancti in verbis consecratoriis non est successiva et per partes sed tota simul, eius autem declaratio precibus ac verbis fieri nequit nisi successive; dum ergo primum fit transmutatio per verba consecratoria, et deinde rogatur Spiritus Sanctus ut eam efficiat, significatio huius orationis, quae ut pars declarans spectatur pertinens ad unam actionem sacrificam, debet referri ad ipsum illud tempus quo fit transmutatio; nec ad aliud invocatio destinata est quam ad hanc ipsam transmutationem distinctius declarandam et fideli populo exhibendam. Vide Bessarionem in opusc. de Eucharist. Bibl. Max. PP. T. XXVI. p. 796. Cf. Card. Du Perron de Euch. l. II. c. 2. p. 302 seqq.

Illustrari haec possunt ex ritibus aliorum sacramentorum, ex modo quo Patres praesertim graeci et formulae ipsae praescriptae in libris sacramentalibus exhibent benedictionem fontis baptismalis, olei sacri etc. ac si virtus Spiritus Sancti iam tum iis elementis illaberetur, quam tamen constat non nisi in usu et applicatione materiae operari; ex modo deinde quo S. Ambrosius et auctor ll. de Sacrament. loquuntur de lotione pedum coniuncta cum baptismo (de Sacram. in Gen. p. 288); maxime vero in sacra Ordinatione ex ritu traditionis instrumentorum et ultimae impositionis manuum Episcopi cum forma verborum: « accipe potestatem offerre sacrificium Deo », « accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata » etc., si vera est eorum theologorum sententia, qui hanc traditionem instrumentorum et manuum impositionem cum verbis adnexis non ad essentiam sacramenti sed ad potestatis acceptae expressiorem significationem pertinere censent (Cf. de Sacram.

in Gener. p. 45). Similia exempla proferri possunt ex officio funebri et ex Missa pro defunctis, in quibus plures occurrunt supplicationes, quae referri debent ad tempus praeteritum, quando defunctus adhuc vivens se ad divinum iudicium praeparare poterat, et quae scopum habent supplicandi quidem Deum pro animae solutione a reatibus poenae adhuc reliquis, simul autem viventibus exhibendi divina iudicia et poenas peccatis destinatas (1). Vide Card. Orsi l. c. cap. 5.

Quatenus autem verba invocationis referuntur ad tempus, quo dicuntur post factam iam transsubstantiationem, sensus non est, ut tum adhuc eadem fiat transsubstantiatio, sed ut panis transmutatus, i. e. corpus Christi in quod panis est transmutatus, fiat fidelibus in salutem, ad quem fructum a Spiritu Sancto postulandum explicita postulatio in omnibus liturgiis immediate connectitur cum illa invocatione, in qua mentio fit transmutationis donorum in corpus et sanguinem Christi.

Ita graeci Episcopi ipsi invocationem Spiritus Sancti a se intelligi testati sunt in Concilio Florentino. « Quaesitum est a Latinis, quomodo prolatis Christi verbis (hoc est corpus meum)... et sacris donis per haec verba consecratis (τελειωθεντων), vos hanc orationem additis dicentes: et fac panem hunc pretiosum corpus Christi tui... transmutans Spiritu Sancto tuo? Etiam hoc dissolutum est ita: fateri nos, diximus, per haec verba (institutionis) consecrari divinum panem et confici corpus Christi, sed postea quemadmodum et ipsi dicitis: Iube haec perferri per

(1) Ex huiusmodi formis precandi nuperus scriptor deducere voluit et stabilire errorem valde gravem, quasi vero remissio quorumdam peccatorum mortalium etiam post mortem adhuc sperari posset, hancque veniam mortalium peccatorum Ecclesia rogaret pro defunctis. Si auctor ille relationem plurium huiusmodi formularum precandi ad homines adhuc viventes intellexisset, et canonem rectae interpretationis, qui analogia fidei constituitur, non vero suas praeiudicatas opiniones pro norma habuisset, facile sibi ab errore cavere potuisset. Vide opusculum « Il purgatorio dei reprobi », quo Rmus P. Marianus Spada Ord. Praed. nunc dignissimus S. P. A. Magister figmentum illud doctissime confutavit.

manus Sancti Angeli tui in sublime altare tuum, ita nos quoque oramus dicentes: ut descendat Spiritus Sanctus super nos et efficiat in nobis panem hunc pretiosum corpus Christi tui, et quod in calice isto est pretiosum sanguinem Christi tui; transmutetque ipsa Spiritu Sancto suo, ut fiant communicantibus in purgationem animae » etc. (Mansi T. XXXI. p. 1006). Eodem fere modo invocationem explicat Ioannes Maro seu quisquis est auctor Syrus, qui scripsit expositionem liturgiae S. Iacobi editam ab Assemano in Codice liturgico Ecclesiae Universae T. IV. P. II. « Spiritus Sanctus non invocatur, inquit ille Syrus, ut illabens efficiat seu commutet panem in corpus, et vinum in sanguinem Salvatoris nostri; sed ut illa corpus et sanguinem esse ipsius Domini Nostri ostendat, et faciat ut sint percipientibus ea in remissionem peccatorum et in vitam aeternam » etc. l. c. p. 362. Explicationem eandem probat diu post Concilium Florentinum inter schismaticos Georgius Coresius: « Sane condemnatur, inquit, novitas sententiarum, quas induxit in Ecclesiam Nicolaus Cabasilas consecrationem sacrorum donorum precibus tribuens, quod neque SS. Patrum aliquis umquam dixit, neque ullus canon disposuit, neque consonum est fidei Ecclesiae, quae per preces implorat adventum Spiritus Sancti non simpliciter ut faciat panem corpus, et quod est in calice, sanguinem; sed ut fiat nobis ad fructum » (apud Maffei in append. ad histor. theolog. ed. Tridenti 1742. ep. 2. ad Bacchin. n. 26. p. 31).

THESIS VIII.

Demonstratio realis praesentiae ex traditione et constanti consensione nominis Christiani; prout exhibetur testimoniis disertis.

« Claritati verborum Christi testamentalium semper et ubique apud » omnes heredes novi Testamenti inde ab apostolicis temporibus fides » respondit in veram ac realem praesentiam corporis et sanguinis Do- » mini. Cuius universalis fidei testimonium licet iam contineatur in com- » muni omnium fidelium professione, in Eucharistia *veraciter* esse et » coli et suscipi *ipsum verum* corpus Domini, speciatim tamen eadem » fides demonstratur ex iis documentis, in quibus Patres et Ecclesiae » integrae hoc mysterium data opera dogmatice declararunt. »

Constat ex testimoniis Patrum omnium aetatum ubivis obviis et ex omnibus liturgiis orientalibus et occidentalibus haec professio tum Pastorum tum totius populi christiani, « id quod exhibetur, quod manducatur et bibitur in Eucharistia, esse corpus et sanguinem Domini. » Quae quidem professio nullâ declaratione sensus improprii umquam emollita sed constanter inculcata tamquam communis et publica fides omnium Christianorum etiam per se sola sufficeret perpensis omnibus adiunctis, ut intelligeremus hanc nec umquam fuisse nec esse potuisse nisi professionem simplicis fidei in realem praesentiam corporis et sanguinis Christi secundum obvium et clarum sensum verborum Christi Institutoris. « Habet magnam vocem Christi sanguis in terra, cum eo accepto ab omnibus gentibus respondetur: Amen. Haec est clara vox sanguinis, quam sanguis ipse exprimit ex ore fidelium eodem sanguine redemptorum » S. August. contr. Faust. l. XII. c. 10. « In toto orbe *pretium nostrum accipitur,* Amen respondetur » Id. in Ps. CXXV. n. 9. « Nec ab infantium linguis veritas corporis et sanguinis Christi inter Communionis sacramenta tacetur » S. Leo Magnus ep. 59. c. 2; Serm. 91. c. 3. « Adorate scabellum pedum eius... Converto me ad Christum et invenio, quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum eius. Suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, et de carne Mariae carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambulavit et ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit, *nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit,* inventum est, quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, et non solum non peccemus adorando sed peccemus non adorando » S. August. in Ps. XCVIII. n. 9. Cf. S. Ambros. de Spiritu Sancto l. III. c. 11. n. 79; Cyrill. Hieros. catech. mystag. V. n. 21. 22. Secundum liturgias omnes vetustas post audita verba consecrationis, hoc est corpus meum, populus universus fidem suam profitebatur, vere esse corpus Christi, *Amen* respondendo; quae eadem professio fiebat ab omnibus communicantibus, qui verbis sacerdotis « Corpus Christi » respondebant *Amen.* « Ante consecrationem aliud dicitur, post consecrationem sanguis

nuncupatur, et tu dicis *Amen*, hoc est, verum est. Quod os loquitur, mens interna fateatur, quod sermo sonat, affectus sentiat. » S. Ambros. de myster. c. 9. n. 54; de Sacram. l. IV. c. 5. Vide Card. Bona De rebus liturg. l. II. c. 13. §. 1; c. 17. §. 3.

Nihilominus quoniam disertissimas ex omnibus aetatibus et diversis Ecclesiis adhuc reliquas habemus SS. Patrum explicationes, has ipsas considerabimus, quantum satis est ad sensum et consensum totius antiquitatis christianae evidenter demonstrandum. Non igitur omnium Patrum testimonia accumulandi animus est, sed aliquot ex diversis Ecclesiis testes adferemus, qui directe respiciunt SS. Eucharistiam, *quid sit in se*, eiusque propriam rationem explicant; nam de aliis locis, ubi spectant effectum ac finem vel formaliter illud solum, quod est in sacramento visibile, inferius agemus.

Testes quos citamus, non solum docent, in Eucharistia esse *ipsum* corpus et sanguinem, *verum et proprium* corpus et sanguinem, *veraciter* corpus et sanguinem Iesu Christi; sed hanc doctrinam etiam multipliciter illustrant tum *affirmando* ita, ut describant consectaria et attributa propria realis praesentiae, tum *negando* ita, ut excludant ea omnia, quae ex rationibus naturalibus et testimonio sensuum fidei realis praesentiae possent officere, tum *comparando* visibile cum invisibili in SS. Sacramento ita, ut modum ipsum doceant, quo corpus et sanguis Christi fiat praesens. Ne vero testimoniis nimium velut in partes dissectis intelligentia veri sensus impeditior reddatur, primum describemus singulorum Patrum doctrinam, quantum scopus postulat, tum argumenta deducta in compendium redigemus.

I. *Patres graeci. S. Iustinus Martyr,* a quo habemus primam post Apostolos christianae liturgiae distinctiorem descriptionem, Eucharistiam, quid sit, ita declarat: nefas esse, ait, eius participes fieri nisi solos veros Christianos; « neque enim ut communem panem neque ut communem potum ista sumimus; sed quemadmodum per verbum Dei caro factus Iesus Christus Salvator noster et carnem et sanguinem habuit pro nostra salute, ita etiam illam alimoniam, ex qua

sanguis et carnes nostrae per conversionem aluntur, *edocti sumus esse incarnati illius Iesu et carnem et sanguinem,* postquam ea (alimonia) per precem verba eius continentem facta est Eucharistia (1). Nam Apostoli in commentariis ab ipsis scriptis, quae vocantur Evangelia, ita sibi mandasse Iesum, tradiderunt: eum scilicet accepto pane, cum gratias egisset, dixisse: hoc facite in meam commemorationem, hoc est corpus meum... hic est sanguis meus » Apolog. I. n. 65. 66. Hoc loco Iustinus imprimis appellat ad realitatem carnis assumptae a Verbo tamquam suppositum necessarium ad intelligendam realitatem corporis et sanguinis in Eucharistia, sicut ante ipsum ab Ignatio et paulo post ipsum ab Irenaeo et ab aliis deinceps factum est. Deinde fidem Christianorum in corpus et sanguinem Christi in Eucharistia declarat ex verbis institutionis. Tandem mutationis panis et vini in carnem et sanguinem Christi aliquam similitudinem exhibet in mutatione panis et vini in carnem et sanguinem hominis, quando his alimentis nutrimur. Eandem comparationem expolitiorem habemus apud Macarium Magnetem, S. Gregorium Nyssen. et Damascenum.

S. Irenaeus scopum principem habet confutare Gnosticorum doctrinam asserentium inter cetera, hunc mundum materialem, « ea quae secundum nos creata sunt, » non esse creaturam Patris quem Christus manifestavit, sed demiurgi seu « fabricatoris » alterius; hunc demiurgum non vero Patrem esse auctorem sicut rerum omnium materialium ita et veteris Testamenti; alium esse Iesum hominem, et alium Christum ac Verbum qui descenderit in Iesum, adeoque Iesum non esse Filium Patris, nec Christum esse Filium et Verbum Dei fabricatoris mundi; praeterea cum materialia omnia sint mala, nullam esse resurrectionem corporum. Ad huius doctrinae confutationem praeter argumenta reliqua spectat Irenaei comparatio inter sacrificia veteris Testamenti quae

(1) *Την δι' ἐυχῆς λογου του παρ' ἀυτου ἐυχαριστηθεισαν τροφην.* Ita S. Irenaeus dixit *ἐυχαριστεῖν ποτηριον*, quod vertit antiquus interpres « pro calice gratias agere », est autem sine dubio idem ac *consecrare calicem* l. I. c. 13. n. 2; et alibi ait idem Irenaeus « *panem in quo gratiae actae sunt* (i. e. *ἀρτον ἐυχαριστηθεντα*) corpus esse Domini » l. IV. c. 18. n. 4.

iam sunt abolita, et inter sacrificium novi Testamenti. Sacrificium Eucharistiae, nec ex creaturis panis et vini confici posset, si haec creata non essent a Deo auctore novi Testamenti, cui offertur sacrificium; nec posset esse corpus et sanguis Domini, si ipse Dominus non esset Filius et Verbum creatoris; nec conciliari potest quod corpore et sanguine Domini nutrimur ad immortalitatem, si nulla est corporum resurrectio.

Sacrificia veteris Testamenti Deum non propter se ipsa quaesivisse, ait, sed « quaesivisse fidem et obedientiam et iustitiam. » Illis successit sacrificium purum corporis et sanguinis Domini, ad quod tamquam materiam convertendam Dominus assumpsit creaturas panis et vini: « suis discipulis dans consilium primitias Deo offerre ex suis creaturis, non quasi indigens sed ut ipsi nec infructuosi nec ingrati sint, *eum qui ex creatura panis est, accepit et gratias egit, dicens: Hoc est meum corpus. Et calicem similiter, qui est ex ea creatura quae secundum nos est, suum sanguinem confessus est. Et novi Testamenti novam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in universo mundo offert Deo,* ei qui alimenta nobis praestat, primitias suorum munerum in novo Testamento, de quo in duodecim (minoribus) Prophetis Malachias sic praesignificavit » etc. (sequitur Mal. I. 10. 11). Postquam deinde egit de dispositionibus internis, quae requiruntur ex parte offerentium, prosequitur: « Hanc oblationem sola Ecclesia puram offert fabricatori, offerens ei cum gratiarum actione ex creatura eius. Iudaei autem non offerunt.... non enim receperunt *Verbum, quod offertur.* » (1) Tum demonstrat, haereticorum doctrinam qui negant Deum Patrem Iesu Christi esse fabricatorem omnium creaturarum, repugnare rationi Eucharistiae, cuius materia est panis et vinum. Concludit ostendendo repugnantiam eorum sententiae circa

(1) In homilia Chrysostomo adscripta sacrificium Eucharistiae dicitur « tremenda immolatio Dei φοβερα θεοσφαγια » (vide Maffei ep. 1. ad Bacchin. n. 18. p. 24), et Ioannes Darensis (saec. VIII) verba consecratoria appellat « preces producentes Deum, videlicet corpus et sanguinem Dei » apud P. De Benedictis antirrhet. c. 11.

Christum et circa resurrectionem cum veritate corporis et sanguinis in Eucharistia. « Quomodo constabit eis eum panem, in quo gratiae actae sunt (cf. Iustinum), *corpus esse Domini sui, et calicem sanguinis eius,* si non ipsum fabricatoris mundi Filium dicant id est Verbum eius, per quod... terra dat primum quidem foenum (herbam), post deinde spicam deinde plenum triticum in spica? Quomodo autem rursus dicunt, *carnem in corruptionem devenire et non percipere vitam, quae corpore Domini et sanguine alitur?* Ergo aut sententiam mutent aut abstineant offerendo, quae praedicta sunt. (1) Nostra autem consonans est sententia Eucharistiae et Eucharistia rursus confirmat sententiam nostram. Offerimus enim ei quae sunt eius, instanter communionem et unionem praedicantes (cf. 1 Cor. X. 16) et confitentes suscitationem carnis et spiritus. Quemadmodum enim qui est a terra panis percipiens invocationem Dei (την ἐκκλησιν του θεου) iam non communis panis est sed Eucharistia, ex duabus rebus constans terrena et coelesti (corpore et sanguine Christi et accidentibus panis ac vini, de qua Irenaei locutione alibi sermo recurret); sic et corpora nostra percipientia Eucharistiam, iam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia » Irenaeus l. IV. c. 17. 18. Confer quae scribit idem Irenaeus de praestigiis Marci haeretici consecrantis calicem l. I. c. 13. n. 2.

Macarius Magnes ab aliis III ab aliis IV saeculo vixisse creditur; eius scripta ex quibus edita solum habemus fragmenta, adhibita fuerunt in controversiis iconoclasticis. Quatuor sunt praecipua capita, quae de Eucharistia docet: non esse figuram corporis et sanguinis sed vere corpus et sanguinem Christi; cum panis et caro sint ambo materialis naturae, inde posse intelligi quomodo panis mutetur in carnem Christi; virtutem Eucharistiae vivificam inde esse, quia caro

(1) S. Ignatius M. ep. ad Smyrn. n. 7. de haereticis docetis negantibus substantialem carnem a Verbo esse assumptam ita scribit: « Ab Eucharistia et oratione abstinent (ἀπεχονται), *eo quod non confitentur, Eucharistiam carnem esse Salvatoris nostri Iesu Christi eam, quae pro peccatis nostris passa est et quam Pater benignitate sua suscitavit.* Qui igitur contradicunt dono Dei, altercantes moriuntur ».

Christi est caro Verbi; carnem manducatam et sanguinem haustum manere incorruptibilem et integrum. « Dixit (Christus): hoc est corpus meum; *non enim figura corporis est neque figura sanguinis, ut quidam stupida mente nugati sunt, sed secundum veritatem sanguis et corpus Christi.* » (1) Porro inducit Christum loquentem: « Ex terra vobis panis ad alendum existit, terra vero creatura mea est, ex terra similiter existit corpus et haec mea massa (caro). *Ex unione igitur qua unitus sum, sanctus cum terreno (Verbum cum carne), do panem et vinum iubens esse corpus meum et sanguinem* ». « Panis communis ex terrae cultura elaboratus et caro quaedam terrae est, tamen vitam aeternam praebere non promittit. *Panis vero in beata Christi terra virtute divinitatis unita confectus,* solo gustu immortalitatem homini affert. Mysticus enim panis cum *benedictionem Patris habeat inseparabilem, illam dico quae in corpore et sanguine eius facta est,* unit *comedentem corpus Christi,* eumque membrum Christi efficit... *Corpus quod ille panis mysticus est, et sanguis qui illud vinum,* immortalitatem intemeratae divinitatis participanti tribuunt propria virtute (*αὐτοθεν*). *Neque caro Salvatoris manducata corrumpitur nec sanguis potatus consumitur.* Qui manducat, ad augmentum divinarum virtutum elevatur; quod vero manducatur, est inconsumptibile (*το δε τρωγομενον ἐστιν ἀδαπανητον*) (2), siquidem cum inconsumptibili natura (i. e. cum divinitate) ratione quadam cognatum est (ratione unionis hypostaticae) et ab ea inseperabile » Galland. Bibl. T. III. p. 541.

(1) *'Ου γαρ τυπος σωματος ὀυδε τυπος ἀιματος, ὡς τινες ἐῤῥαψωδησαν πεπηρωμενοι, ἀλλα κατ' ἀληθειαν ἀιμα και σωμα χριστου.* Ita Patres diu ante controversias cum Iconoclastis locuti sunt, S. Chrysostomus, S. Maruthas, Theodorus Mopsuestenus, Theodorus Heracleota etc., de quibus postea.

(2) Haec etiam consideratio apud Patres est frequentissima. In epistola presbyterorum et diaconorum Achaiae de Martyrio S. Andreae Apostoli n. 6 narratur, S. Apostolum iussum sacrificare idolis respondisse: « Omnipotenti Deo ego omni die vivum offero sacrificium... immaculatum agnum quotidie in altari crucis Deo offero, *cuius carnes postquam fidelis populus comedit et sanguinem eius bibit, immolatus agnus integer manet et vivus* » etc. Galland. Bibl. T. 1. p. 187. De aliis Patribus mox.

S. Gregorius Nyssenus doctrinam de Eucharistia exponit in oratione catechetica c. 37. Tria autem potissimum declarat: *a*) necesse esse intra nostrum corpus corruptum suscipere corpus immortale Dei Verbi, ut reddamur immortalitatis participes; *b*) difficultatem, quomodo idem corpus in se manens integrum, possit esse in multis fidelibus, dissolvit ex eo, quod panis et vinum transmutetur in corpus et sanguinem Christi; *c*) hanc transmutationem aliquatenus intelligibilem reddit ex comparatione cum transmutatione cibi ac potus in corpus humanum; licet haec fiat modo longe diverso nimirum per digestionem, cum contra panis et vinum in corpus et sanguinem Dei Verbi uno momento transmutetur per verbum consecratorium.

Imprimis sicut in natura nostra composita ex anima et corpore gustando cibum vetitum contraximus perniciem, inquit, ita necesse esse, ut etiam cibo aliquo ac medicamento perniciem avertamus. « Quid hoc ergo est? *Nihil aliud quam illud corpus,* quod morte potentius ostensum fuit et vitae nostrae fuit initium... *Immortale corpus cum fuerit intra eum qui sumpsit,* totum quoque transmutat in suam naturam (immortalem). Sed non potest fieri, ut quidpiam aliter sit intra corpus (nostrum), *nisi per esum et potum visceribus nostris misceatur...* Cum autem ostensum sit... nostrum corpus non posse fieri immortale, nisi per communionem cum immortali (corpore) fiat particeps incorruptionis, oportet considerare, *quomodo fieri potuerit, ut unum illud corpus, quod tam multis fidelium millibus in universo orbe terrarum semper distribuitur, totum distinctim sit in unoquoque, et ipsum in se totum maneat* » (1). Dogma itaque Gregorius supponit notum omnibus et extra controversiam, quod unum numero corpus Christi *το ἐν ἐκεινο το σωμα* simul est totum in multis fidelibus, quando illud in Eucharistia suscipiunt, et manet totum in se integrum. Ad hoc aliquatenus explicandum considerat deinceps, corpus humanum nutriri alimentis, nominatim pane et vino, adeoque panem

(1) Πως ἐγενετο δυνατον, το ἐν ἐκεινο σωμα ταις τοσαυταις των πιστων μυριασι κατα πασαν την ὀικουμενην ἐισαει καταμεριζομενον, ὁλον ἐν ἑκαστῳ δια του μερους γενεσθαι, και αὐτο μενειν ἐφ᾿ ἑαυτου ὁλον.

ac vinum esse *in potentia* corpus et sanguinem humanum i. e. posse converti in corpus et sanguinem humanum. « Qui ergo illa (panem et vinum) videt, videt substantiam corporis nostri *in potentia ;* nam cum illa in me fuerint, per vim convertendi transmutatur nutrimentum in substantiam corporis. » Iam, inquit, hoc totum etiam accidit quoad corpus Dei Verbi, quamdiu mortalis nobiscum versabatur. « Quomodo ergo in nobis, ut saepe iam dictum est, panem videns videt aliquo modo corpus humanum, quia cum ille in hoc fuerit, fit hoc; ita illic quoque corpus Deo unitum (hypostatice), alimentum panis suscipiens, quadam ratione erat idem cum pane, alimento transeunte, ut dictum est, in naturam corporis. » Hinc tandem concludit: « *Recte ergo fide credo, etiam nunc panem, dum verbo Dei sanctificatur, transmutari in corpus Dei Verbi.* (1) Nam panis erat *in potentia* etiam illud corpus, sanctificabatur autem inhabitatione Verbi habitantis in carne (i. e. quando Christus Dominus manducabat, panis transibat in substantiam carnis hypostatice unitae Verbo). Igitur unde in illo corpore transmutatus panis transibat in divinam virtutem (per unionem hypostaticam), ex eodem etiam nunc fit simile. Ibi enim gratia Verbi (gratia unionis) sanctum faciebat corpus cui ex pane erat substantia, et ipsum quodammodo panis erat; et hic similiter panis, ut loquitur Apostolus, sanctificatur verbo Dei et oratione, *non per esum et potum transiens in corpus Verbi, sed uno momento in corpus Verbi transmutatus, sicut ab ipso Verbo pronuntiatum est: hoc est corpus meum.* » (2) Idem deinde docet de transmutatione vini in sanguinem Christi, et concludit: « dispensatione gratiae *se ipsum per carnem inserit omnibus fidelibus, commixtus corporibus fidelium,* quibus ex pane et vino substantia est, ut unione cum immortali (corpore) etiam homo particeps fiat incorruptionis. Haec autem dat, *virtute be-*

(1) Καλως ἐυν και νυν τον τῳ λογῳ του θεου ἁγιαζομενον ἁρτον ἐις σωμα του θεου λογου μεταποιεισθαι πιστευομαι.

(2) Ὀυ δια βρωσεως και ποσεως προϊων ἐις το σωμα του λογου, ἀλλ᾽ ἐυθυς προς το σωμα του λογου μεταποιουμενος, καθως ἐιρηται ὑπο του λογου, ὅτι τουτο ἐστι το σωμα μου.

nedictionis in illud (immortale corpus Christi) *transelementans eorum, quae apparent, naturam* » (1). Nyssen. Opp. T. II. p. 534–537. Cf. de Resurrect. or. I. ibid. p. 821. 822.

Per se patet, S. Patrem hac comparatione conversionis cibi in substantiam corporis cum transsubstantiatione solum veritatem conversionis in corpus Christi, non autem identitatem modi docere voluisse, acsi materia quae fuerat in natura panis, adhuc maneret dum convertitur in corpus Christi, sicut accidit in conversione naturali per digestionem. Evidens id est tum ex aliis tum ex eo, quod Gregorius diserte docet, panem converti *in illud unum numero corpus Christi,* quod sane non amplius nutritur pane, et insuper fatetur, Christi corpus quod in se manet integrum, contineri totum idem numero sub singulis etiam minimis particulis consecratis.

S. Caesarius frater Gregorii Nazianzeni, seu quisquis est auctor vetustus dialogorum in T. VI. Bibl. Gallandi, propositum habet demonstrare, verbis Dei veritatis infallibilis simplicem semper adhibendam esse fidem; etiamsi enim verba aliquando non conveniant rei secundum unum statum consideratae, semper tamen conveniunt ei secundum statum alium. Exemplum huius simplicis fidei Christianorum inducit inter cetera ex Eucharistia. Duo autem dicit ac supponit velut notissima Christianis: 1° etiamsi id quod in altari ponitur, sensibus nostris videatur plane diversum a corpore et sanguine Domini, fide tamen credimus, esse proprie corpus et sanguinem Iesu Christi; hinc etiam 2° credimus, corpus Christi manens in se integrum, omnibus fidelibus absque sectione aut diminutione distribui. « Videmus sanctum illum panem hodie in ara incruenta tempore divini et mystici officii, in impolluta propositum mensa, non tamen similem imagini salutiferi corporis Dei et Verbi, neque item immisto (ἐγκεκραμενῳ) ipsius sanguini (videmus similem) una cum pane propositum calicem vini, non membrorum articulatae distinctioni, non carneae et sanguineae qualitati,

(1) Τῃ της ἐυλογιας δυναμει προς ἐκεινο μεταστοιχειωσας των φαινομενων την φυσιν.

non invisibili et invisibiliter unitae, formae experti divinitati.... Illud vero (quantum sensibus apparet) rotundum est, non articulatum, inanimatum, exsangue, immobile, neutri simile, non ei qui visibilis est, et divinitate invisibilis. *Credimus nihilominus divino sermoni, et quidem non simile aut aequale sed proprie et vere ipsum esse divinum corpus, quod in divina mensa sacrificatur, et populo prorsus sine sui divisione distribuitur et sine sui deficientia (a singulis) participatur.* (1) Neque enim sol deficit lucem ministrando indigentibus, nec mare per salinas participatum minuitur vastitate, nec ignis obscuratur aut minuitur millenas accendens faces... nec aër item imminuitur respiratione omnium animantium. » Galland. Bibl. T. VI. p. 127.

S. Epiphanius locum habet huic descripto Caesarii simillimum: « Videmus Salvatorem ipsum panem in manus accepisse, ut in Evangelio legitur, quod a coena surgens haec accepit et gratias agens dixit: hoc est meum hoc. (2) At videmus aequale illud non esse nec simile, non susceptae carnis imagini, non invisibili divinitati, non membrorum lineamentis; istud enim rotundum est et quod ad vim adtinet, sensus expers, et tamen ex gratia pronuntiare voluit: hoc est meum hoc; *et nemo non credit sermoni, nam qui verum esse non credit ita ut dixit, excidit a gratia et salute.* » Epiphan. in ancorat. n. 57. T. II. p. 60.

S. Cyrillus Hierosolymitanus institutionem neophytorum habet de Eucharistia catech. XXII (mystagogica IV), et de sacra liturgia catech. XXIII. (mystag. V). Capita praecipua quae docet neophytos, sunt haec: 1° Verba Salvatoris: hoc est corpus meum, hic est sanguis meus, sola sufficiunt ad instructionem fidei; ea enim simpliciter et sensu suo obvio intelligenda sunt. « Cum igitur ipse revelaverit et dixerit de pane illo: hoc meum est corpus, *quis audebit adhuc am-*

(1) Πιστευομεν δε ὁμως τῃ θεηγοριᾳ, και ὀυχ ὡς ὁμοιον ἠ ἰσον ἀλλα κυριως και ἀραροτως ἀυτο ὑπαρχειν το θειον σωμα, το ἐπι της θειας τραπεζης ἱερουργουμενον, και τῳ θιασῳ παντῃ ἀτμητως διαιρουμενον, και ἀληκτως μετεχομενον.

(2) Τοδε μου ἐστι τοδε. Patet, locutionem esse adtemperatam disciplinae arcani (cf. de Sacram. in Gen. th. XIX).

bigere? et cum ipse asseveraverit et dixerit: hic meus est sanguis, *quis umquam dubitaverit, aiens, non esse eius sanguinem?* » Cat. IV. n. 1. Itaque 2.° non est amplius panis et vinum, non est putandum esse id, quod sensibus videtur esse, sed fide credendum est sub imagine panis et vini esse id, quod Christus dixit, scilicet corpus eius et sanguinem. « Ne igitur velut nudo pani et vino adtendas; corpus enim et sanguis Christi est secundum Domini asseverationem. *Nam etiamsi tibi illud sensus exhibeat, attamen fides te certum reddat. Ne iudices rem ex gustu, sed ex fide indubitanter certus esto, te corpore et sanguine Christi dignatum fuisse* » n. 6. In conclusione totius Catecheseos repetit: « Haec edoctus et plena imbutus fide, quod *qui videtur panis, panis non est, etiamsi gustu ita sentiatur, sed corpus Christi, et quod videtur vinum, vinum non est, etiamsi gustus hoc velit, sed sanguis Christus...* confirma cor tuum » etc. n. 9. (1) Iterum: « Ne palato corporeo permittatis iudicium, nequaquam! sed fidei omnis dubitationis experti. Qui enim gustant, *non panem et vinum gustare iubentur, sed antitypum corpus et sanguinem* (2) *Christi* » (corpus et sanguinem Christi significatum per typum seu signum apparentis panis et vini) Cat. V. n. 30. Insuper 3^io^ docet Cyrillus, virtute Spiritus Sancti panem et vinum transmutari in corpus et sanguinem Christi. In liturgia postquam nos ipsos per spirituales laudes sanctificavimus, « Deum benignum exoramus, inquit, ut emittat Sanctum Spiritum super proposita (dona), *ut faciat panem quidem corpus Christi, vinum vero sanguinem Christi* (3). Omnino enim quodcumque adtigerit

(1) Ὅτι ὁ φαινομενος ἀρτος ὀυκ ἀρτος ἐστιν, ἐι και τῃ γευσει ἀισθητος, ἀλλα σωμα Χριστου. και ὁ φαινομενος ὀινος ὀυκ ὀινος ἐστιν, ἐι και ἡ γευσις τουτο βουλεται, ἀλλα ἀιμα Χριστου.

(2) Species panis et vini Cyrillus Cat. IV. n. 3. appellavit typum corporis et sanguinis Christi, unde prae speciebus corpus antitypum et sanguis antitypus dici potest. Aliquando species dicuntur a Patribus ἀντιτυπα τoυ σωματος και του ἀιματος, ubi ἀντιτυπα idem significant quod τυπος. Sed de his infra uberius.

(3) Est haec consueta in omnibus fere orientalibus liturgiis invocatio. Verba consecratoria in descriptione liturgiae Cyrillus non distincte ponit. Ex qua re aliqui absurdissime intulerunt, ea verba alicubi

Spiritus Sanctus, id sanctificatum et transmutatum est (τουτο ἡγιασται και μεταβεβληται) Cat. V. n. 7. Denique 4° confirmat fidem in transsubstantiationem appellando ad conversionem aquae in vinum; adeoque ipsum Christi corpus et sanguinem sub speciebus panis et vini in corpore nostro nos suscipere, eique manducatione nos intime uniri credendum esse. « *Aquam olim in vinum, quod sanguini affine est, in Cana Galilaeae transmutavit, et non erit dignus cui credamus, quum vinum in sanguinem transmutavit?* Ad nuptias corporales vocatus, stupendum hoc miraculum patravit, et non eum *multo magis filiis thalami nuptialis (Ecclesiae) corpus suum et sanguinem fruendum donasse confitebimur? Quare cum plena fidei persuasione sumamus ut corpus et sanguinem Christi.* In figura (τυπῳ) enim panis datur tibi corpus et in figura vini datur tibi sanguis, ut *sumpto corpore et sanguine Christi, ei concorporeus et consanguineus efficiaris* (συσσωμος και συναιμος αὐτου). Sic enim Christiferi efficimur, *corpore eius et sanguine in nostra membra distributo*, sic iuxta B. Petrum divinae reddimur consortes naturae » Cat. IV. n. 2. 3.

S. Ioannes Chrysostomus multis in locis rationem propriam Eucharistiae describit, idque non demonstrantis in modum, sed velut agens de re omnibus comperta. « Discere oportet miraculum mysteriorum, quid sint, quare data sint, et quae rei utilitas. Unum corpus efficimur, membra ex carne eius et ex ossibus eius. Initiati adtendant his quae dicuntur. Ut ergo *non solum per dilectionem sed etiam secundum rem ipsam* (κατ' αὐτο το πραγμα) *cum illa carne commisceamur;* hoc enim fit per cibum, quem ipse donavit: volens nobis ostendere amorem quo fertur erga nos, propterea *se nobis commiscuit et nobis corpus suum (per manducationem) inseruit*, ut unum quid simus sicut corpus

in liturgia deesse potuisse; at Cyrillus comprehendit verba consecratoria sub nomine generaliori exorationis seu invocationis Spiritus Sancti, quia integram ἀναφοραν seu *canonem* considerat ut unum totum, et quia disciplina arcani suadebat sacratissima illa verba potius supprimere in catechesi in vulgus edenda et ideo forte ventura in manus non initiatorum. Cf. de Sacram. in Gen. th. XIX. et supra th. VII n. II.

iunctum capiti.... Amorem suum erga nos ostendens, *non solum videndum se exhibuit nobis desiderantibus sed et tangendum et comedendum, et ut eius carnem dentibus teramus, et ei intime uniamur, et desiderium omne expleamus.* Ut leones ergo ignem spirantes a mensa illa recedamus diabolo terribiles.... Parentes saepe liberos suos aliis tradunt nutriendos; *ego vero non ita, inquit, sed carnibus meis nutrio, me ipsum vobis appono....* Communicavi carni et sanguini propter vos, rursum *vobis eandem carnem et sanguinem trado, per quae congener vobis factus sum* » etc. in Io. hom. 45. al. 46. n. 3. cf. hom. sequentem 46 al. 47. Alibi loquens de ipsa institutione: « solvit (Christus), inquit, principalem eorum festivitatem (pascha veteris Testamenti), ad aliam eos transferens mensam valde tremendam (φρικωδεστατην) aitque: accipite, comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur. *Et quomodo non turbati sunt hoc audientes? Quia multa et magna de hoc etiam antea ipsis dixerat* (cf. Io. VI). Ideo illud non amplius declarat, iam enim satis audiverant. Et ipsemet ex eo bibit; ne enim haec audientes dicerent: quid ergo, sanguinem ne bibemus et carnem manducabimus? et ne turbarentur, nam etiam quando de hac re verba fecit, de ipsis verbis multi offensi sunt; ne itaque tunc turbarentur, primus ipse hoc fecit, inducens ipsos ad communionem mysteriorum sine turbatione suscipiendam. Ideo ergo suum et ipse sanguinem bibit.... Deo igitur ubique credamus, nec contradicamus, etiamsi quod dicit, rationibus et sensibus nostris contrarium videatur, sed praevaleat eius verbum nostris rationibus et sensibus. *Sic etiam in mysteriis (Eucharistia) faciamus, non solum quae sub sensus cadunt respicientes, sed verba eius tenentes. Verbum quippe eius infallibile est, sensus vero noster facile decipitur, verbum eius numquam excidit, sensus noster in multis fallitur.* Cum ergo sermo (divinus) dicat: hoc est corpus meum, obtemperemus et credamus et spiritualibus oculis ipsum respiciamus. Nihil enim sensibus percipiendum Christus nobis tradidit, sed in rebus quidem sensibilibus, omnia vero intelligibilia (παντα δε νοητα mente ac fide intelligenda).... Quam multi nunc dicunt: vellem

eius formam videre, lineamenta, vestes, calceamenta! *Ecce ipsum vides, ipsum tangis, ipsum comedis. Tu vestimenta eius videre desideras, ipse vero se ipsum tibi dat non modo videndum sed et tangendum et comedendum et intus sumendum....* Neque satis habuit hominem fieri, alapis caedi et occidi, sed se ipsum *nobis commiscet, idque non fide tantum, sed etiam in re ipsa nos corpus suum facit.* Qua ergo puritate non oporteat eum esse, qui hoc fruitur sacrificio, quibus radiis solaribus non puriorem manum, quae hanc carnem secat, os repletum igne spirituali, linguam tinctam tremendo sanguine (την γλωσσαν την φοινισσομενην αἱματι φρικωδεστατῳ)?... Quod angeli tremunt videntes nec sine metu respicere audent propter fulgorem inde manantem, hoc nos alimur, huic commiscemur, et facti sumus Christi unum corpus, una caro... Quis *pastor propriis suis membris nutrit oves?* et quid dico pastor? matres saepe sunt, quae post partus dolores tradunt infantes aliis nutricibus. Ipse autem hoc non est passus, sed *ipse nos nutrit proprio sanguine* et per omnia nos sibi ipsi coniungit » etc. Hom. 82. al. 83. in Matth. n. 1. 4. 5.

Speciatim docet, corpus quod manibus tenemus, quod manducamus in Eucharistia, esse illud ipsum, quod crucifixum est et nunc in coelis sedet ad dexteram Patris. « Quotquot corpus participamus, quotquot hunc sanguinem degustamus, cogitate, quod *participatione sumimus illum qui nihil differt, nihil distat ab eo* (de quo antea dixit passum et crucifixum esse), *quoniam illum qui in supernis sedet, qui ab angelis adoratur, qui sedet penes incorruptam virtutem, hunc manducamus* » Hom. 3. in Ephes. n. 3. et de Sacerdot. l. III. n. 4. (T. I. p. 382). Pariter est unum numero corpus in multis locis et idem semper, quod dum quotidie sacrificatur et manducatur, numquam consumitur. Explicans S. Doctor illud Heb. IX. 25: « Christus semel oblatus est », ita loquitur: « Quid igitur, an non nos quotidie offerimus? offerimus quidem sed memoriam facientes mortis illius, et unum est sacrificium non multa. *Eundem enim semper offerimus,* non nunc unam ovem, cras aliam, *sed semper eandem;* adeoque unum est sacrificium. Etenim hac ratione,

quando multis in locis offertur, numquid multi sunt Christi? Nullatenus profecto, *sed unus ubique Christus, et totus hic et totus illic, unum corpus.* Sicut ergo multis in locis oblatus unum est corpus, et non multa corpora, ita et unum sacrificium. Pontifex noster ille est, qui tunc obtulit hostiam nos emundantem; *illam nunc quoque offerimus, quae tunc fuit oblata, et consumi non potest* ». Hom. 17. in Heb. n. 3. Postremo docet, sacrificium fieri transmutatione panis et vini in corpus et sanguinem Domini per verba Christi et positione Christi in statu victimae in altari: « Tempus demum est ad tremendam hanc mensam accedendi.... Adest Christus is qui hanc mensam instituit, ut ipsemet nunc eam paret. Non enim homo est, qui facit *ut proposita fiant corpus et sanguis* Christi, sed ipse Christus qui pro nobis crucifixus est. Demandatum ministerium implens stat sacerdos verba illa proferens, virtus autem et gratia est Dei. *Hoc est corpus meum, ait. Hoc verbum transmutat* (μεταῤῥυθμιζει) *proposita.* Et sicut vox illa, quae dicit: crescite et multiplicamini et replete terram, semel quidem dicta est, sed per omne tempus fit in re ipsa, humanae naturae tribuens vim generandi; ita et haec vox semel dicta, ab illo tempore usque ad hodiernum diem et usque ad adventum eius (secundum) *per singulas mensas in Ecclesiis operatur victimam consummatam* » (την θυσιαν ἀπηρτισμενην ἐργαζεται) De prodit. Iudae Hom. I. n. 6. (T. II. p. 584). « Cum igitur *eum, qui cruci affixus est, etiam nos sub hanc vesperam visuri simus ut agnum mactatum et immolatum,* moneo, ut cum tremore accedamus... An nescitis, quomodo angeli adstiterint sepulchro corpus non amplius habenti, sepulchro vacuo?... nos qui *non ad sepulchrum vacuum adstituri sumus sed ad ipsam mensam, in qua Agnus positus est,* cum tumultu accedemus?... Quando sacerdos stat ante mensam manus ad coelum extendens et invocans Spiritum Sanctum ut adveniat et proposita dona contingat: magna quies, magnum silentium; *quando Spiritus tribuit gratiam, quando descendit, quando dona proposita contingit, quando vides ovem mactatam et consummatam* (1): tunc tumultum exci-

(1) Ὁταν ἰδης το προβατον ἐσφαγισμενον και ἀπηρτισμενον.

tas? » Hom. de coemeter. n. 3. (T. II. p. 401). Cf. De Sacerdotio l. III. n. 4.

His iuvat addere testimonium insigne ex hom. IX. de Poenitent. inter Opp. S. Chrysostomi T. II. p. 350. (1) « Num si sordes in tuis manibus haberes, inquit, auderes contingere fimbriam regis terreni? Non certe auderes. *Nec respicias, quasi panis esset, nec censeas vinum esse.* Non enim ut alii cibi in secessum vadit (2). Absit, noli id cogitare. Sed sicut cera igni admota (ut in cereis) nihil suae substantiae reliquum facit, nihil ex ea remanet; *ita et hic crede mysteria consummari corporis substantiâ.* Propter quod et accedentes ne censeatis, divinum corpus vos ab homine accipere (3), sed putate ab ipsis Seraphim ignita forcipe, quam Isaias vidit (Is. VI), vos *accipere corpus divinum; et quasi labiis divino impolluto lateri admotis sic suscipiamus salutarem sanguinem.* »

Ubi ait, mysteria consummari *corporis substantia,* id intelligi debere non de substantia corporis fidelium, ut plures interpretati sunt, sed de substantia corporis Christi, demonstrat contextus. Nam mysteria consummans corpus comparatur igni ceram consumenti, quae sane comparatio corpori Christi non nostro congruit. Praeterea in immediate sequentibus sermo est de *corpore divino;* unde simpliciter dictum *corpus consummans* facile quidem intelligitur de eo corpore, de quo agere orationis scopus est; si autem de corpore fidelium auctor intelligi voluisset, id debuisset expri-

(1) Harduinus dissert. de Eucharistia in epistolam ad Caesar. p. 79. et Mabillon. De controv. Eucharistic. (Thesaur. Zachariae T. X. p. 886) tribuunt homiliam Ioanni Hierosolymitano successori S. Cyrilli anno 385.

(2) His similes modi loquendi poterant sane occasionem praebere controversiae postmodum exortae quantumvis absurdae, utrum Christi corpus in Eucharistia corruptibile sit an incorruptibile. Acriter de hac re disputatum Constantinopoli sub Alexio Comneno exeunte saec. XII. Vide Histor. Nicetae Choniatae in Alexio l. III. n. 3. ed. Paris 1647 p. 333. Confer, si lubet Mabillon. in Thesaur. Zachariae T. X. P. II. opusc. XIII. §. 5.

(7) *ἀλλ᾽ ὥσπερ κηρος πυρι προσομιλησας ὀυδεν ἀπουσιαζει, ὀυδεν περισσευει, ὁυτω και ὧδε νομιζε συναναλισκεσθαι τα μυστηρια τῃ του σωματος οὐσιᾳ, διο και προσερχομενοι μη ὡς ἐξ ἀνθρωπου νομισητε μεταλαμβανειν του θειου σωματος κ. λ.*

mere. Quod vero haec sententia consummationis mysteriorum per corpus videtur inducta, ut probetur, hunc cibum non abire in secessum, nostrae interpretationi non obest; id enim optime hoc ipso demonstratur, quod nulla ibi remanet substantia panis. Sensus itaque planus est, in Eucharistia non manere substantiam panis, sed substantiam ibi esse solam corporis Christi; hoc enim sibi volunt illa verba, mysteria consummari corpore, non autem componi pane et corpore Christi. Cf. Card. Du Perron Refutat. obiect. ex S. August. c. 14.

S. Cyrillus Alexandrinus pluribus in locis testimonia habet disertissima de ipso Dei Verbi corpore in Eucharistia. Potissimum solet insistere his duobus capitibus: 1°. Caro Christi est caro Verbi Dei et ideo caro vivifica; unde quia hanc carnem in Eucharistia manducamus, per eam instauramur ad immortalitatem. 2°. Non spiritu tantummodo, sed cum ipso corpore Christi in Eucharistia intime coniungimur: hinc quia unum numero Christi corpus est in omnibus suscipientibus, omnes corporaliter cum Christo capite et inter se coniunguntur. « Paulus dicit: omnes enim unum corpus sumus in Christo, quoniam unus panis multi sumus; omnes enim de uno pane participamus 1 Cor. X. 17. Dicat enim nobis aliquis causam, et doceat aliter vim mysticae Eulogiae (Eucharistiae). Nam cur in nobis inseritur? Nonne *ut Christum in nobis inhabitare faciat etiam corporaliter participatione et communione sanctae suae carnis?*... Qui manducat meam carnem, inquit, et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo. Hic maxime animadvertere operae pretium est, *Christum non dicere se dumtaxat in nobis futurum secundum relationem aliquam affectualem, sed et per participationem physicam* (κατα μεθεξιν φυσικην). Ut enim si quis ceram alteri cerae coniungens igne simul liquefecerit, unum aliquid ex ambobus efficit; *ita per corporis Christi et pretiosi sanguinis participationem ipse quidem in nobis, nos autem rursum in ipso simul unimur.* Nec enim aliter vivificari potest, quod natura sua est corruptibile, *quam si corporaliter unitum sit corpori eius, qui secundum naturam suam est vita,* hoc est Unigeniti... Postquam facta est caro

vitae, hoc est Verbi quod ex Deo Patre effulsit, ad vitae vim transiit, nec fieri potest, ut a morte vita vincatur » etc. in Io. l. X. T. IV. p. 862. 863. Lege in Io. l. IV. ibid. p. 358-360; contr. Nestor. l. IV. c. 5. T. VI. p. 109-113; et Defens. anathematismi XI. contr. oriental. ibid. p. 192. sq.

S. Anastasius Sinaita (saec. VII.) in Hodego veritatem corporis Christi, illudque non esse spiritualis ac divinae naturae, sed vere corporeae, et ante resurrectionem fuisse corruptibile (h. e. passibile), probat contra Gaianos incorrupticolas (ἀφθαρτοδοκητας) ex veritate corporis et sanguinis Christi in Eucharistia, quam haeretici ipsi negare non audebant. Attamen apud Anastasium confessio communis fidei de veritate corporis Christi in Eucharistia, quam ita constantem et universalem reperit, ut ex ea tamquam ex principio extra controversiam posito argumenta instituere potuerit, haec, inquam, confessio certa distingui debet ab efficacia argumentorum, quae inde deducit contra incorrupticolas. Argumenta illa per se solum demonstrant, Christum verum habere corpus; quatenus vero extenduntur ad probandam passibilitatem ante resurrectionem, tantummodo valent per quandam illationem ex statu sacramentali ad statum vitae mortalis Christi Domini, quod nimirum status sacramentalis sub speciebus corruptibilibus et veritas sacrificii incruenti repraesentat statum passibilem et sacrificium cruentum in vita Christi mortali.

His praemonitis audiatur Anastasius. Orthodoxus interrogat Gaianitam: « Communio corporis et sanguinis Christi, quam offers et participas, estne verum corpus Christi Filii Dei, an simplex panis, qualis ostiatim venditur, vel figura corporis Christi, ut sacrificium hirci, quod Iudaei offerunt? Gaianita: *Absit, ut dicamus sacram Communionem esse tantum figuram corporis Christi aut simplicem panem, sed vere ipsum corpus et sanguinem Christi Filii Dei suscipimus* (1), *incarnati et nati ex S. Dei genitrice semper Virgine Maria.* Orthodoxus: *Sic credimus et sic confitemur iuxta dictum ipsius Christi,* quod

(1) Μη γενοιτο, ἡμας ἐιπειν ἀντιτυπον του σωματος Χριστου την ἁγιαν κοινωνιαν, ἠ Ψιλον ἀρτον, ἀλλ' ἀυτο το σωμα και ἀιμα ἀληθως Χριστου του ὑιου του θεου μεταλαμβανομεν.

pronuntiavit ad discipulos in coena mystica dans eis panem vivificum: accipite, comedite, hoc est corpus meum; similiter et calicem tradens illis dixit: hic est sanguis meus. *Non dixit: hoc est figura corporis et sanguinis mei.* Et aliis pluribus in locis Christus manifesto dixit: qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam. Cum igitur ipse Christus testetur, vere esse suum corpus et sanguinem, quod fideles accedentes sumimus, agedum adfer nobis aliquid ex Communione vestrae Ecclesiae tamquam supra omnes Ecclesias scilicet orthodoxae; et cum omni reverentia sanctum hoc corpus et sanguinem in vase honorifice reponemus. Et si intra paucos dies non corrumpatur aut immutetur aut alteretur, planum fiet, vos recte asserere corpus Christi ex ipso incarnationis exordio omnimodo fuisse incorruptibile. Si vero corrumpatur aut immutetur, necesse erit ut unum ex his fateamini, vel id quod sumitis, non esse verum corpus Christi, sed simplicem figuram, aut propter perversam fidem vestram Spiritum Sanctum (ad conversionem efficiendam) in illud non descendisse, vel corpus Christi ante resurrectionem fuisse corruptibile, utpote immolatum, morti traditum, vulneratum, perforatum, et manducatum; incorruptibilis enim natura (h. e. natura mere spiritualis) neque scinditur, neque in latere et manibus vulneratur, nec perforatur, nec morti datur, nec manducatur, nec omnino teneri potest aut tangi, cuiusmodi incorruptibilis natura est angelorum et animarum. » In Hodego c. 23 ed. Gretzer. p. 349 sq. Vide etiam c. 13. p. 233. (Etiam in Bibl. Max. PP. T. IX. p. 840. 855.)

S. Ioannes Damascenus more suo repetit dicta Patrum vetustiorum: « Cibus est ipse panis vitae, Dominus noster Iesus Christus, qui de coelo descendit. » Id probat ex verbis ipsis institutionis Eucharistiae. Quamobrem, inquit, si Deus verbo suo omnia ex nihilo creavit, si ex Virgine carnem a Verbo susceptam formavit, « *cur potens non sit panem efficiendi corpus suum, atque vinum et aquam sanguinem suum?* In principio dixit: producat terra herbam virentem... dixit perinde Deus: hoc est corpus meum, et hic est sanguis meus, et hoc facite in meam commemorationem; *atque id*

omnipotente eius praecepto fit, donec veniat... Sicut omnia fecit Deus virtute Spiritus Sancti, ita et nunc virtus Spiritus operatur, quae supra naturam sunt et capi non possunt nisi sola fide. Quomodo fiet istud, aiebat sancta Virgo, quoniam virum non cognosco?... Et tu nunc interrogas, *quomodo panis fit corpus Christi, atque vinum et aqua sanguis Christi? Dico tibi et ego: Spiritus Sanctus supervenit et efficit haec, quae rationem et mentis conceptum superant... Est revera corpus unitum divinitati, natum ex Sancta Virgine corpus, non quod in coelos assumptum corpus descendat ex coelo (motu locali, et coelum relinquat), sed quod panis ipse et vinum transmutantur in corpus et sanguinem Dei* (1). Si autem quaeras modum, quo fiat, sufficiat tibi audivisse, id fieri per Spiritum Sanctum, sicut etiam per Spiritum Sanctum ex S. Dei genitrice Dominus sibi ipsi et in se ipso carnem substantiavit. *Et ultra nihil cognoscimus, nisi quod verbum Dei verax est et efficax et omnipotens, modus autem est incomprehensibilis.* Haud male etiam illud dici potest, quod sicut naturaliter panis per comestionem, atque vinum et aqua per potionem in corpus et sanguinem manducantis transmutantur et non fiunt aliud corpus praeter corpus eius ante praeexistens, *ita panis propositionis atque vinum et aqua per invocationem et adventum Spiritus Sancti supernaturaliter transmutantur in corpus Christi et sanguinem, et non sunt duo (corpora) sed unum idemque* (scilicet corpus, in quod panis convertitur, est corpus Christi iam praeexistens unum numero, non vero aliud est corpus praeexistens, et aliud distinctum, in quod panis mutetur) (2)... *Non panis*

(1) *Σωμα ἐστιν ἀληθως ἡνωμενον θεοτητι, το ἐκ της ἁγιας παρθενου σωμα, ὀυχ ὅτι το ἀναληφθεν σωμα ἐξ ὀυρανου κατερχεται, ἀλλ' ὅτι ἀυτος ὁ ἀρτος και ὀινος μεταποιουνται ἐις σωμα και ἁιμα θεου.*

(2) De hac corporis Christi identitate, ut est multis in particulis et ut est in coelo, vide supra Nyssenum et Caesarium. Praeclara est doctrina Eutychii Alexandrini citata in disputatione sub Alexio Comneno (apud Nicetam Choniat. p. 333). Dionysius quoque Eccles. Hierarch. c. 3. Contemplat. §. 12: « sacerdos, inquit, *indivisibilem panem in multa dividens et indivisibile calicis omnibus distribuens, ratione symbolorum multiplicat et distribuit unitatem.* » Comparationes cum conversione panis in corpus et sanguinem humanum vidimus supra apud Iustinum, Macarium,

et vinum est figura corporis et sanguinis Christi, absit! sed ipsum corpus Domini divinitate donatum; cum Dominus ipse dixerit, non hoc est figura corporis mei, sed hoc est corpus meum, et non figura sanguinis mei, sed sanguis meus (1)... Si vero nonnulli panem et vinum vocarunt antitypa corporis et sanguinis Domini, ut deifer Basilius, non hoc post consecrationem, sed ante consecrationem dixerunt, ipsa oblata ita appellantes... Attamen (post consecrationem) *antitypa futurorum dicuntur, non quasi vere corpus et sanguis Christi non essent*, sed quia nunc quidem per ipsa participes sumus divinitatis Christi, tunc vero (participes futuri sumus) intellectualiter per solam visionem » (τοτε δε νοητως δια μονης της θεας). De Fid. Orthod. l. IV. c. 13.

In Concilio VII. Act. VI. lecta est definitio conciliabuli Constantinopolitani anni 754, ubi ad abolendas Christi imagines Iconoclastae asserebant, Eucharistiam solam esse veram imaginem Christi (την ἀληθῆ του χριστου εἰκονα), quamvis et ipsi negare non poterant, in Eucharistia vere esse ipsum corpus et sanguinem Domini : « Eucharistiae panem, inquiunt, ut sinceram (ἀψευδῆ) imaginem naturalis carnis, per adventum Spiritus Sancti consecratum voluit (Dominus) divinum corpus fieri mediante sacerdote » etc. Nihilominus confutatio catholica, quae opposita est illi definitioni Iconoclastarum et in eadem VI Actione Concilii VII lecta, reprobat hunc ipsum modum loquendi de Eucharistia. Post allata testimonia Scripturae ex Io. VI. Matth. XXVI; 1. Cor. XI. ubi caro Christi, corpus et sanguis Christi in Eucharistia demonstratur, subdit confutatio: « Ergo liquido demonstratum est, quod nusquam Dominus vel Apostoli aut Patres sacrificium incruentum per sacerdotem oblatum dixerunt imaginem, *sed ipsum corpus et ipsum sanguinem.* Et ante consecrationis quidem consummationem quibusdam SS. Patrum pie visum est nominare antitypa... *post consecrationem vero corpus proprie*

Nyssenum; cf. Theodor. Abucara opusc. 22. p. 490. (ed. Gretzer post opp. Anastas. Sinaitae).

(1) Οὐκ ἐστι τυπος ὁ ἀρτος και ὁ οἰνος του σωματος και αἱματος του Χριστου, μη γενοιτο, ἀλλ' αὐτο το σωμα του κυριου τεθεωμενον. αὐτου του κυριου εἰποντος, τουτο μου ἐστι οὐ τυπος του σωματος, ἀλλα το σωμα, και οὐ τυπος του αἱματος, ἀλλα το αἱμα.

et sanguis Christi dicuntur et sunt et creduntur. Isti vero praeclari viri volentes venerabilium imaginum demoliri visionem, aliam imaginem introduxerunt, quae *non est imago, sed corpus et sanguis*. Porro improbitate et astutia comprehensi pravo sophismate se ipsos offendentes dixerunt, hanc divinam oblationem fieri adoptione (scilicet fieri adoptione corpus et sanguinem Christi). Et sicut hoc est manifestae insaniae, ita et imaginem dicere corpus et sanguinem Domini aequalis est stultitiae, et praeter inscitiam habet impietatem. Deinde dimisso mendacio tangunt parum quid veritatis, divinum corpus fieri dicentes; at si est imago corporis, non potest esse ipsum corpus divinum. » Harduin. Collect. Conc. T. IV. p. 370.

Eucharistiam non esse antitypum sed ipsum verum corpus et sanguinem Domini, nec posse dici antitypum, quatenus hac appellatione in discrimen vocetur vel excludatur fides in realitatem substantialem praesentis corporis et sanguinis Christi, praeter hucusque citatos totidem verbis diserte declarant Theodorus Heracleota, Theodorus Mopsuestenus in Catena Possini ad Matth. XXVI. 26 (1); Patres anachoretae in Monument. graec. Cotelerii T. I. p. 421 (2); Nicephorus in antirrhetico 2° (apud Leonem Allat. de Consensu etc. l. 3. c. 15. n. 21); Theodorus Studita (Opp. Sirmondi T. V. p. 97); Patres Syri, de quibus adhuc dicturni sumus.

II. Gradum facimus ad *Patres latinos*.

S. Hilarius argumentum Arianorum contra unitatem naturae Patris et Filii petitum ex verbis Christi, « ut unum

(1) Qui ante controversias cum Iconoclastis diserte et non sine scopo polemico excluserunt nomen antitypi, ut ambo Theodori (cf. Chrysost. in Io. hom. 47. n. 1) et Macarius Magnes, non improbabiliter prae oculis habuerunt Origenem, qui in Matth. tom. XI. n. 14. Opp. T. III. p. 500 appellat τυπικὸν καὶ συμβολικὸν σῶμα, quamvis huiusmodi locutiones in sanum sensum facile explicentur, ut suo loco videbimus.

(2) Habes eadem etiam in vitis Patrum ed. Rosweyd. l. V. c. 18. n. 3. qui liber scriptus est ab auctore graeco incerto, recognitus a Photio (Biblioth. cod. 198), in latinum versus a Pelagio S. R. E. diacono, ubi ad rei confirmationem narratur insigne prodigium, cuius simile refertur etiam a Paulo diacono in vita s. Gregorii M. n. 18 (saec. I. Benedictin. ed. Mabillon. p. 393).

sint sicut nos unum sumus," retorquet in ipsos haereticos demonstrando, unum numero corpus Christi esse per susceptam Eucharistiam in omnibus fidelibus, atque ita naturalem esse unitatem nostri cum Christo et per Christum inter nos invicem (1); sicut proinde hîc principium unitatis est unum numero, ipse videlicet Christus per corpus et sanguinem suum, ità et tenendum est principium unitatis Patris ac Filii esse divinam naturam unam unitate singularitatis. « Ut sint unum, sicut nos unum sumus, ego in his, et tu in me, ut sint perfecti in unum (Io. XVII. 22. 23). Eos nunc, qui inter Patrem et Filium voluntatis ingerunt unitatem, interrogo, utrum per naturae unitatem hodie Christus in nobis sit, an per concordiam voluntatis? Si enim vere Verbum caro factum est, et *vere nos Verbum carnem cibo dominico sumimus, quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est,* qui et naturam carnis nostrae iam inseparabilem sibi homo natus assumpsit, et *naturam carnis suae ad naturam aeternitatis (divinitatis) sub sacramento nobis communicandae carnis admiscuit?*... Si vere igitur carnem corporis nostri Christus assumpsit et vere homo ille, qui ex Maria natus fuit, Christus est, *nosque vere sub mysterio carnem corporis sui sumimus, et per hoc unum erimus, quia Pater in eo est et ille in nobis,* quomodo voluntatis unitas asseritur, cum naturalis per sacramentum proprietas (coniunctio) perfectae sacramentum sit unitatis?... Quae scripta sunt legamus, et quae legerimus, intelligamus; et tum perfectae fidei officio fungemur. De naturali enim in nobis Christi veritate quae diximus, nisi ab eo didicimus, stulte atque impie dicimus. Ipse enim ait: caro mea vere est esca, et sanguis meus vere est potus; qui edit carnem meam et bibit sanguinem meum, in me manet et ego in eo (Io. VI. 57). De veritate carnis et sanguinis non relictus est ambigendi locus. Nunc enim et ipsius Domini professione et fide nostra vere caro est et vere sanguis est; et *haec accepta atque hausta id efficiunt, ut et nos in Christo et*

(1) Hanc naturalem unitatem per corpus Christi susceptum *non per solam fidem, non per solam affectualem relationem* audivimus modo simili praedicari ab aliis Patribus Chrysostomo, Cyrillo Alexandrino etc.

Christus in nobis sit. An hoc veritas non est? Contingat plane his verum non esse, qui Christum Iesum verum esse Deum denegant!... Quam autem in eo per sacramentum communicatae carnis et sanguinis simus, ipse testatur dicens... quoniam ego in Patre meo, et vos in me, *et ego in vobis* (Io. XIV. 20). Si voluntatis tantum unitatem intelligi vellet, cur gradum quemdam atque ordinem consummandae unitatis exposuit, nisi ut cum ille in Patre per naturam divinitatis esset, nos contra in eo per corporalem eius nativitatem, *et ille rursum in nobis per sacramentorum (corporis et sanguinis) inesse mysterium crederetur* » etc. De Trin. l. VIII. n. 13-17.

S. Ambrosius data opera mysterium declarat neophytis. Primum docet simpliciter: « esca quam accipis, corpus est Christi; » adeoque longe excellentior quam manna datum Israelitis; « potior est enim lux quam umbra, veritas quam figura, *corpus auctoris* quam manna de coelo. » Tum sequitur declaratio, quomodo credi debeat corpus Christi, cum tamen appareat panis. Est videlicet corpus et sanguis, quia omnipotentiâ divinâ mutatur panis et vinum in corpus et sanguinem Domini. « Forte dices: *aliud video, quomodo tu mihi adseris, quod Christi corpus accipiam?* Et hoc nobis adhuc superest, ut probemus. » Probatio est quadruplex: 1°. demonstrat exemplis miraculorum, rerum naturas per omnipotentiam divinam mutari: virga Moysis mutata est in serpentem et serpens iterum in virgam, aqua in sanguinem et vicissim, aqua maris rubri et Iordanis mutavit suam naturam. « Advertimus igitur maioris esse virtutis gratiam quam naturam, et adhuc tamen propheticae benedictionis numeramus gratiam (nam miracula omnia enumerata patrata sunt per verba et benedictiones prophetarum). Quod si tantum valuit humana benedictio ut naturam converteret, quid dicimus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur? Nam sacramentum istud, quod accipis, Christi sermone conficitur. Quod si tantum valuit sermo Eliae, ut ignem de coelo deponeret, *non valebit Christi sermo, ut species (naturas) mutet elementorum?* De totius mundi operibus legisti: quia ipse dixit, et facta sunt... *sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere quod*

non erat, non potest ea, quae sunt, in id mutare, quod non erant? Non enim minus est novas rebus dare, quam mutare naturas.» 2°. Specialis ratio apparet in ipso Christi corpore, quod origine sua totum est supra naturam, formatum et natum ex Virgine: « Liquet, quod praeter naturae ordinem Virgo generavit. *Et hoc quod conficimus corpus, ex Virgine est;* quid hic quaeris naturae ordinem in Christi corpore, cum praeter naturam sit ipse Dominus Iesus partus ex Virgine? » 3°. Mutationem, quam fieri potuisse ostendunt praedicta, revera esse factam, demonstrant ipsius Christi verba: *« Ipse clamat Dominus Iesus: hoc est corpus meum. Ante benedictionem verborum coelestium alia species nominatur, post consecrationem corpus significatur (esse pronuntiatur). Ipse dicit sanguinem suum. Ante consecrationem aliud dicitur, post consecrationem sanguis nuncupatur. Et tu dicis: Amen, hoc est, verum est. Quod os loquitur, mens interna fateatur; quod sermo sonat, affectus sentiat.»* 4°. Quamvis sit corpus Christi ipsum quod natum est ex Virgine, tamen est in alio statu in Eucharistia quam in connaturali suo existendi modo: « quid edamus, quid bibamus, alibi tibi per prophetam Spiritus Sanctus expressit dicens: gustate et videte, quoniam suavis est Dominus... *In illo sacramento Christus est, quia corpus est Christi;* non ergo corporalis esca sed spiritalis est... *corpus enim Dei corpus est spiritale* (1); *corpus Christi corpus est divini spiritus, quia spiritus Christus.»* De myster. c. 9.

Auctor librorum de Sacramentis eadem fere omnia habet, quae Ambrosius; eandem appellationem ad miracula, ad creationem ex nihilo, ad incarnationem, ad veritatem et omnipotentiam verborum Christi. Saepius tamen et instantius, quam ipsemet Ambrosius, urget *conversionem* panis in corpus Christi. « Tu forte dicis: meus panis (quem accipio in Eucharistia) est usitatus. *Sed panis iste panis est ante verba sacramentorum; ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi...* Qui est sermo Christi? nempe is quo facta

(1) Corpus spirituale nominant Patres etiam alii non pauci, non solum eo sensu quo Apostolus 1. Cor. XV, 44 corpus spirituale dixit, sed ratione modi existendi sacramentalis, de quo alibi.

sunt omnia. Iussit Dominus, et factum est coelum... iussit Dominus, et omnis creatura generata est. Vides ergo, quam operatorius sit sermo Christi. Si ergo tanta vis est in sermone Domini Iesu, ut inciperent esse, quae non erant; *quanto magis operatorius est, ut sint quae erant, et in aliud commutentur?* (1)... Ergo didicisti, *quod ex pane* (termino *a quo*) *corpus fiat Christi,* et quod vinum et aqua in calicem mittitur, *sed fit sanguis consecratione verbi coelestis*... Ergo videte, *quantis generibus potens est sermo Christi universa convertere.* Deinde ipse Dominus Iesus testificatur nobis, *quod corpus suum accipiamus et sanguinem; numquid debemus de eius fide et testificatione dubitare?*... Dicit tibi sacerdos: corpus Christi, et tu dicis: Amen, hoc est, verum. Quod confitetur lingua, teneat affectus. » De Sacram. l. IV. cap. 4. 5.

S. Gaudentius Brixianus Ambrosio aequalis in sermone ad egressos e fonte baptismatis: « Modo ea solum de ipsa lectione (quae erat de agno paschali Exod. XII.) carpenda sunt, quae praesentibus catechumenis explanari non possunt, et tamen necessario sunt aperienda neophytis. In umbra illius legalis paschae non unus agnus occidebatur sed plures... Figura enim non est veritas, sed imitatio veritatis... Ergo in hac veritate, qua sumus, unus pro omnibus mortuus est, *et idem per singulas Ecclesiarum domos in mysterio panis et vini reficit immolatus, vivificat creditus, consecrantes sanctificat consecratus. Haec Agni caro, hic sanguis est*... Ipse igitur naturarum creator et Dominus, qui producit de terra panem, *de pane rursus, quia et potest et promisit, efficit proprium corpus, et qui de aqua vinum fecit, facit et de vino sanguinem suum*... Pascha est Domini, hoc est transitus Domini, ne terrenum putes quod coeleste effectum est per eum, *qui transit in illud et fecit illud suum corpus et sanguinem*... Nam cum panem consecratum et vinum discipulis suis porrigeret, sic ait: hoc est corpus meum, hic est sanguis meus. Credamus quaeso, cui credidimus, nescit mendacium Veritas... ut pariter universa quem-

(1) Hoc est, ut a praesupposito termino fiat conversio in alium terminum.

admodum tradita sunt, credamus, non infringentes os ipsius illud solidissimum: hoc est corpus meum, hic est sanguis meus. Si quid autem superfuerit etiam nunc in uniuscuiusque sensu, quod expositione ista non ceperit, ardore fidei concremetur. » Tract. 2°. in Exod. egressis a fonte neophytis.

S. Isidorus Hispalensis (ineunte saeculo VII) in sermone de corpore et sanguine Domini (1): « Recedat ergo omne infidelitatis ambiguum, quandoquidem qui auctor est muneris, ipse etiam testis est veritatis. *Nam invisibilis sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis et sanguinis sui verbo suo secreta potestate evertit,* ita dicens: accipite et edite, hoc est enim corpus meum. Et sanctificatione repetita: accipite, inquit, et bibite, hic est sanguis meus. Ergo sicut ad nutum praecipientis Domini repente ex nihilo substiterunt excelsa coelorum... *pari potentia in spiritualibus sacramentis verbi praecipit virtus, et servit effectus* (2). Et ut tibi novum et impossibile non debeat videri, quod *in Christi substantiam terrena et mortalia* (i. e. mortalibus usitata) *commutentur,* te ipsum, qui iam es in Christo regeneratus, interroga... In corpus Ecclesiae non videndo sed credendo transiisti, et de filio perditionis adoptivus Dei filius occulta puritate fieri meruisti... *Corpus sacerdote dispensante tantum est in exiguo, quantum esse constat in toto; quod quum Ecclesia fidelium sumit, sicut plenum in universis, ita integrum esse probatur in singulis...* De hoc vero pane quum assumitur, nihil minus habent singuli, quam universi; totum unus, totum duo, totum plures sine diminutione percipiunt, quia benedictio (ἐυλογια i. e. quod benedictione effectum est) huius sacramenti *scit distribui, nescit distributione consumi...* Nec dubitet quisquam, *primarias creaturas* (panem et vinum, quibus homo primario indiget) *nutu potentiae, praesentia maiestatis in Dominici corporis transire naturam,* quum ipsum hominem videat artificio coelestis misericordiae Christi corpus effectum. Sicut autem quicumque

(1) Sermo exstat inter adscriptos Eusebio Emisseno vel Gallicano (Bibl. Max. T. VI. p. 636). De Isidoro auctore genuino vide Arevalum in Isidorianis c. 72. n. 28.

(2) Ita Arevalus edidit, sed melius in Bibl. Max. PP: *rei servit effectus.*

ad fidem veniens ante verba baptismi adhuc in vinculo est veteris debiti, his vero commemoratis mox exuitur omni faece peccati; *ita quando benedicendae verbis coelestibus creaturae sacris altaribus imponuntur, antequam invocatione summi nominis consecrentur, substantia illic est panis et vini, post verba autem Christi corpus et sanguis est Christi. Quid autem mirum est, si ea, quae verbo potuit creare, verbo possit creata convertere?* Immo iam minoris videtur esse miraculi, si id, quod ex nihilo agnoscitur condidisse, iam conditum in melius valeat commutare » etc. Isidorus T. VII. p. 316 sq. ed. Arevali.

III. *Ex Patribus Syris* pauca citabimus inter multa praeclara, quae apud eos leguntur.

S. Ephrem applicans caerimonias praescriptas in esu agni paschalis, eius mactationem ad solis occasum significasse ait: « quod in fine temporum velut in vespertina hora consummabitur mysterium *sacrificii agni nostri, qui est Christus*... Si Seraphim cum tremore ei adstant, quis audebit sedens *manducare eum?* » « Nemini fas sedendo *accipere vivum corpus.* » « Corpus eius *novo modo ipsis corporibus nostris immixtum est,* eius quoque sanguis purissimus diffusus in venas nostras... Quia multum dilexit Ecclesiam, non dedit ei manna aemulae suae (synagogae), *panis vitae factus est ei, ut eum comederet.* » « *Comedimus te, Domine, et bibimus te, non ut te consumamus sed ut per te vivamus.* » In Bibl. Or. Assemani T. I. p. 67. 97. 101. « *De pane facere corpus* non potest sacerdos, sed alius, qui est Spiritus Sanctus. » In Ezech. c. 10. Opp. Syr. Lat. T. II. p. 175.

S. Maruthas: « Hoc, inquit Christus, facite semper in meam commemorationem. Si perpetua Sacramentorum participatio tradita non fuisset... subsequentium temporum fideles a communione corporis et sanguinis extorres fuissent. Verum nunc quoties ad corpus et sanguinem accedimus et ea super manus nostras accipimus, *sic credimus nos corpus amplecti,* et esse nos de carne eius et de ossibus eius, sicut scriptum est. *Etenim Christus non appellavit ea typum et figuram, sed (dixit): vere hoc est corpus meum, et hic est sanguis meus* » Bibl. Or. ib. p. 179. 180. (vide supra p. 52).

S. Isaac Magnus in sermone de Fide : « Vidi mixtum craterem eius (Fidei i. e. quem Fides porrigit), et *pro vino repletum sanguine, et pro pane positum ab ea corpus in media mensa (altaris)* (1). *Vidi sanguinem et expavi, vidi corpus, et stupor apprehendit me.* Innuit mihi (Fides, dicens): comede et quiesce, bibe puer et ne scruteris... Ostendit mihi corpus mactatum, et ponens ex eo in labiis meis placide mihi dixit : vide, quid comedis. Porrexit mihi calamum Spiritus et postulavit a me, ut manum apponerem; accepi, scripsi et confessus sum: *hoc esse Dei corpus* (2); ita deinde etiam calicem accepi et bibi in convivio eius (Fidei), et *perculit me ex calice odor eiusdem corporis, quod manducaveram* (3). Et quod de corpore dixeram, *ipsum esse Dei corpus, id etiam dixi de calice, hunc esse sanguinem Salvatoris nostri* ». Bibl. Or. ib. p. 220.

S. Iacobus Sarugensis in serm. 66. de Passione Domini: « Ab illo temporis puncto, quo (Iesus) accepit panem et dixit illud corpus suum, *non erat panis sed corpus eius, et hoc edebant admirantes. Edebant corpus eius, qui cum ipsis in mensa accubabat, et bibebant sanguinem eius, cuius simul audiebant vocem doctrinae....* Corpus suum Dominus noster suis manibus distribuit in mensa. *Et quis rebellis sit, ut dicat nunc, non esse corpus. Ipse (Christus) dixit: hoc est corpus meum, et quis verum non fateatur?* Si quis hoc non credat verum, non est discipulus Apostolatus; Apostoli enim crediderunt, *et viventem ac secum accumbentem (ad mensam) comederunt* (4).... *Electi Apostoli, ut Fi-*

(1) ܚܠܦ ܕܚܡܪܐ ܐܬܡܠܝ ܕܡܐ ܘܚܠܦ ܠܚܡܐ ܦܓܪܐ ܣܝܡ
ܗܘܐ ܒܗ ܡܨܥܬ ܦܬܘܪܗ.

(2) ܕܗܢܐ ܦܓܪܐ ܕܐܠܗܐ ܗܘ.

(3) Habes clarissime doctrinam de praesentia etiam corporis(per concomitantiam) et consequenter totius Christi sub speciebus solius vini.

(4) Considerationes similes, quibus comparatur Christus in statu sacramentali secum ipso in statu connaturali, occurrunt etiam apud alios Patres, cuiusmodi est dictum illud notissimum Augustini : « Ferebatur Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum ait: hoc est corpus meum; ferebat enim illud corpus in manibus suis. » In Ps. XXXIII. serm. I. n. 10; serm. II. n. 2.

lio fidem adhiberent, satagebant, non ut scrutarentur vel quaestiones moverent sicut rebelles. Panem quem fregit et dixit corpus suum, corpus agnoscebant, et ita illud reputabant, ac si in veritate sanguis eius stillaret » Apud P. de Benedictis in Antirrhet. 2°. c. 9. 12. (Opp. S. Ephrem. Syr. Lat. T. II. p. 46. 50).

His addam duos quamvis haereticos monophysitas unum IV, alterum VIII saeculi.

Xenaias Mabugensis: « Est unus Filius et Dominus secundum haec duo, nimirum quod et Deus est et secundum quod homo est... Ipsius est caro illa, quam ex nobis assumpsit, non alterius alicuius hominis separati ab ipso. Propterea etiam *corpus vivum Dei vivi nos accipere profitemur* et non merum modo corpus hominis mortalis, *similiter vivum vivi sanguinem in omnibus sacris haustibus accipimus;* et non est nudus sanguis hominis corruptibilis nostri similis, ut haeretici (Nestoriani) opinantur. Nam *non panem sanctificatum appellavit corpus suum, et non tantummodo vinum benedictionibus cumulatum appellavit sacrum suum sanguinem, sed dixit super unumquodque eorum* (super panem et vinum), *esse in veritate corpus et sanguinem suum* ». (1) Bibl. Or. T. II. p. 39.

Ioannes Darensis explicans verba consecrationis ita scribit: « Incipit qui sacerdotio fungitur et *repetit preces deificas, nempe efficientes corpus et sanguinem Dei.* (2) Sunt autem preces deificae illae ab hierarchis laudatae et in mysticis ministeriis positae iuxta Evangelium et Apostolum; illud (Evangelium) enim dicit: accepit Iesus panem et benedixit, cum iis quae sequuntur; hic (Apostolus) autem: Dominus Iesus in qua nocte tradebatur, accepit pa-

(1) ܠܘ ܓܝܪ ܠܠܚܡܐ ܕܐܬܩܕܫ ܩܪܐ ܦܓܪܗ ܘܠܘ ܒܠܚܘܕܘܗܝ ܚܡܪܐ
ܕܐܬܒܪܟ ܒܒܘܪܟܬܐ ܠܕܡܐ ܩܕܝܫܐ ܐܠܐ ܐܡܪ ܥܠ ܟܠ ܚܕ ܡܢܗܘܢ ܫܪܝܪܐܝܬ
ܕܐܝܬܝܗܘܢ ܦܓܪܐ ܘܕܡܐ ܕܝܠܗ.

(2) **Locutio est sane singularis sed efficacissima: « preces producentes Deum h. e. corpus et sanguinem Dei. »**

ܨܠܘܬܐ ܡܘܠܕܐ ܠܐܠܗܐ ܐܘܟܝܬ ܦܓܪܐ ܘܕܡܐ ܕܐܠܗܐ

nem et dixit: hoc est corpus meum » etc. Apud P. de Benedictis l. c. cap. 11. p. 48.

IV. *Publica professio in Liturgiis.* Universae Patrum doctrinae hactenus descriptae plene consentit communis et publica fides in omnium Ecclesiarum liturgiis expressa, quae liturgiarum testificatio etiam per se sola sufficeret ad dogmatis demonstrationem. « Obsecrationum quoque sacerdotalium sacramenta respiciamus, quae ab Apostolis tradita in toto mundo atque in omni Ecclesia catholica uniformiter celebrantur, ut legem credendi lex statuat supplicandi » (post epist. S. Coelestini I ad Gall. Episcopos c. 11). Transscribo pauca, primum ex liturgiis occidentalibus:

In ordinatione presbyterorum orat Episcopus: « *ut corpus et sanguinem Filii tui immaculata benedictione transforment* » Sacramentar. Gelasian. In praefatione Missae, quae, teste Guitmundo saec. XI., per totum paene orbem latinum habebatur: « Hostia, quae offertur a plurimis, et *unum corpus Christi Sancti Spiritus infusione perficitur. Singuli accipiunt Christum Dominum, et in singulis portionibus totus est, nec per singulos minuitur, sed integrum se praebet in singulis* » Sacramentar. Ambrosian. « Sicut veritatem coelestis sacrificii exsequimur, sic *veritatem dominici corporis et sanguinis hauriamus* » Missa antiqua Ambrosiana. « Hic est agnus Dei... *qui numquam moritur immolatus, sed semper vivit occisus.* » « Ut fiat nobis Eucharistia legitima *in transformationem corporis ac sanguinis Domini nostri Iesu Christi* ». « Descendat Paraclytus, ut oblationem *coelesti permutatione,* te sanctificante sumamus, *ut translata fruge in corpore* (i. e. in corpus), *calice in cruore* (cruorem) proficiat meritis » etc. « *Ut operante virtute panem mutatum in carnem, poculum versum in sanguine, illum sumamus in calicem, qui de te fluxit in cruce ex latere* » Liturg. Gothica.

Luculentissimae sunt testificationes in omnibus liturgiis orientalibus etiam apud diversas sibi invicem repugnantes sectas usurpatis.

Orat sacerdos: « Emitte Spiritum Sanctum tuum in nos et in haec dona proposita. *Fac quidem panem hunc pretiosum*

corpus Christi tui; » Diaconus respondet: Amen. Sacerdos: « *Quod autem est in hoc calice, fac pretiosum sanguinem Christi tui;* » Diaconus respondet: Amen. Sacerdos: « *transmutans Spiritu tuo Sancto* »: Diaconus respondet: Amen, Amen, Amen... Sacerdos: « Frangitur et dividitur Agnus Dei, Filius Patris, *qui frangitur at non comminuitur, qui semper comeditur et non consumitur,* sed participantes sanctificat » Liturg. Chrysostomi (cf. th. VII n. II). « Dedisti nobis Filium tuum unigenitum.... sacerdotem summum et sacrificium, *quia ipse semper distribuitur inter nos inconsumptibiliter* » Liturg. Armena. Eadem sunt in omnium liturgiarum invocationibus, additis multis et variis epithetis: corpus *ipsum, verum, secundum veritatem, quod crucifixum, quod natum ex Maria Virgine.* In omnibus pariter adduntur fidei professiones efficacissimae: In liturgia Coptica sacerdos elevans hostiam dicit: « *Corpus sanctum et sanguis pretiosus, purus, verus Iesu Christi Filii Dei nostri, Amen. Corpus et sanguis Emmanuelis Dei nostri in veritate, Amen. Credo, Credo, Credo et confiteor usque ad extremum vitae spiritum, hoc esse corpus vivificum Filii tui unigeniti, Domini Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi; accepit illud ex omnium nostrum Domina, Deipara, Diva et Sancta Maria* » etc. Pariter in liturgia aethiopica, ubi ad verba consecrationis populus respondet: « Amen, Amen, Amen. Credimus et certi sumus. Laudamus te, Domine Deus noster: *hoc est vere, et ita credimus, corpus tuum* ». Consulantur Renaudot Liturg. orient.; Muratori Liturgia Romana Vetus T. I.; Assemani Codex liturg. Ecclesiae universae etc. Cf. Zaccaria De usu librorum liturg. in rebus theologicis (in Bibl. Rituali T. I. dissert. II).

V. Nunc reliquum est, ut ex allatis testimoniis praecipua capita colligamus. Docent Patres communi consensu:

1°. Aliud apparere sensibus nostris, credere tamen oportere verbis Christi firmissime et simpliciter, quamvis modum non comprehendamus, esse in Eucharistia *vere, proprie, ipsum* corpus et sanguinem, *proprium* corpus et sanguinem, *pretiosum* corpus et sanguinem Iesu Christi, corpus illud, *quod natum ex Maria Virgine, quod cruci af-*

fixum fuit, sanguinem illum, *qui venditus erat a Iuda, qui e latere Christi manavit, quia ipse dixit:* hoc est corpus meum, hic est sanguis meus. Hilarius, Ambrosius, Gaudentius, Cyrillus Hieros., Caesarius, Epiphanius, Chrysostomus, Cyrillus Alex., Isaac Magnus, Iacobus Sarugensis, Isidorus, Damascenus. Huc pertinent etiam liturgiae omnes, in quibus fidei professiones ab universo populo christiano verbis efficacissimis exprimi solent.

2°. Esse in Eucharistia corpus Christi *vivum, corpus cum sanguine sub utravis specie, corpus unitum divinitati, totum Christum.* Presbyteri Achaiae de martyr. S. Andreae, Macarius Magnes, Ephrem Syrus, Hilarius, Nyssenus, Ambrosius, Cyrillus Alex., Isaac Magnus, Concilium VII, Damascenus. In liturgiis passim dicitur agnus vivus immolari, ut in praefatione Missae Gothicae: « qui nusquam moritur immolatus, semper vivit occisus. » Quamvis alibi (ut apud Chrysostomum et alios) dicatur in altari iacere agnus occisus, ad rationem sacrificii et mortem mysticam exprimendam.

3°. Esse corpus *idem, quod sedet ad dexteram Dei Patris, non esse cum illo duo sed unum corpus, corpus quod manducatur et non consumitur, quod in toto orbe distributum multis manet in se integrum.* Presbyteri Achaiae, Ephrem, Nyssenus, Caesarius, Chrysostomus, Cyrillus Alex., Iacobus Sarugen., Isidorus, Damascenus, Eutychius (apud Nicetam Choniatem l. c.), Liturgiae tum orientales, tum occidentales.

4°. Uniri proinde corpus Christi fidelibus *non sola fide, nec sola charitate et relatione affectuali, spiritualiter,* sed *uniri, immisceri corporibus, visceribus fidelium vere, re ipsa, physice, corporaliter.* Macarius Magnes, Nyssenus, Hilarius, Cyrillus Hieros. et Alex., Ephrem, Maruthas, Chrysostomus, Isidorus. Summo studio scilicet Patres exhibent physicum Christi corpus in Eucharistia unum in omnibus percipientibus tamquam principium unitatis corporis Christi mystici. Hunc effectum in corpore Christi mystico praesertim Augustinus commendare solet, supponit autem effectus ipsam causam corpus scilicet Christi physicum, quod in

Eucharistia suscipitur a singulis. Ne igitur testimonia Augustini, ubi vel solum vel maxime spectat effectum, in alienum sensum detorqueantur, conferri debent cum testimoniis, in quibus Patres modo citati causam prae oculis habent et ex ea effectum declarant.

5.° Eucharistiam *non esse realis corporis et sanguinis Christi figuram ac typum*, sed esse *ipsum corpus ac sanguinem, secundum veritatem corpus et sanguinem Christi*, quia verba Christi hoc enuntiant. Macarius Magnes, Chrysostomus, Theodorus Heracleota, Theodorus Mopsuesten., Maruthas, Patres anachoretae (in monum. gr. Cotelerii), Anastasius Sinaita, Theodorus Studita, Nicephorus Patriarcha, Concilium VII, Damascenus.

6°. Eucharistiam *non esse panem communem, non esse panem licet sensibus ita videatur, non esse id quod natura formavit, non esse substantiam panis, non panem et vinum consecratum et benedictionibus cumulatum solummodo dici corpus et sanguinem Christi*, sed Eucharistiam esse veraciter ipsum corpus et sanguinem Christi. Iustinus, Cyrillus Hieros., Ambrosius, vulgatus Ambrosius, Isaac Magnus, Iacobus Sarugens., Xenaias, Isidorus, alii plerique.

7°. *Panem fieri corpus Christi, de pane fieri corpus Christi.* Ephrem, Gaudentius, vulgatus Ambrosius, Cyrillus Hieros. et Alex., Damascenus, Liturgiae omnes.

8°. Panem *transire, transferri, transformari, converti, everti, transmutari, transelementari* (μεταποιεισθαι, μεταβαλλεσθαι, μεταῤῥυθμιζεσθαι, μεταστοιχειουσθαι) etc. in corpus Iesu Christi, idque fieri uno momento virtute omnipotenti Spiritus Sancti, vi verborum Christi: hoc est corpus meum; unde haec dicuntur verba *efficientia corpus et sanguinem Dei.* Porro intelligentiam huius mysterii aliquatenus iuvari posse consideratione *mutationis naturalis panis et vini in carnem et sanguinem* hominis per alimoniam; consideratione *omnipotentiae in verbo creante:* fiat, et factum est, crescite et multiplicamini; consideratione *mysterii incarnationis et formationis corporis Iesu Christi per virtutem Spiritus Sancti ex Sancta Virgine;* consideratione mutationum in legibus naturae *per miracula,* nominatim *conversionis aquae in vi-*

num, aquae in sanguinem, virgae in serpentem etc. Iustinus, Macarius Magnes, Nyssenus, Cyrillus Hieros., Ambrosius, vulgatus Ambrosius, Gaudentius, Chrysostomus, Isidorus (l. c. et de Offic. l. I. c. 18), Ioannes Darensis, Damascenus, Liturgiae omnes orientales, et occidentales mozarabica, gothica.

THESIS IX.

Demonstratio fidei universalis in praesentiam realem ex modo, quo Patres dogma assumunt instar principii in disputatione de aliis doctrinae capitibus.

« Antiquitas, universalitas et consensio christianae fidei in verita- » tem corporis et sanguinis Christi substantialiter praesentis in Eucha- » ristia insuper demonstratur ex mira constantia, qua SS. Patres hoc » dogma in disputationibus adversus haereses velut principium consti- » tuebant omnibus compertum. Solent enim Patres inde ab aevo aposto- » lico hac ipsa veritate realis et substantialis corporis ac sanguinis Fi- » lii Dei in Eucharistia confutare nominatim haereses omnes contra » Dominicam incarnationem exortas, sive de natura assumpta, sive de » modo assumptionis, sive de persona assumente illae errarent. »

Haeretici omnes qui circa Verbi incarnationem errabant, sive negantes veram humanam naturam assumptam esse aut adhuc permanere in Christo (ut multiplices Gnosticorum et Monophysitarum sectae), sive dividentes hominem Christum et Verbum Deum in duas per se subsistentes personas (ut Nestoriani), sive negantes Verbum assumens esse verum Deum (ut Ariani), ex his ipsis haeresibus per necessariam consequentiam etiam errabant circa mysterium Eucharistiae. Secundum falsas scilicet suppositiones quibus personam et naturas Christi constituebant, Christum eundem etiam in Eucharistia praesentem agnoscebant, ita ut e. g. Eutychiani corpus et sanguinem in divinitatem conversum, seu quomodocumque humanitatem cum divinitate in unam naturam coalescentem in Eucharistia colerent; Nestoriani contra non carnem Deo Verbo propriam et hypostatice unitam, sed carnem hominis per se subsistentis cum Verbo solum moraliter coniuncti in Sacramento praesentem esse crederent. Haec vero ipsa haereticorum doctrina de Christo in Eucharistia, respondens eorum haeresi de incarnatione, evidenter demon-

strat fidem universalem de praesentia reali eiusdem Christi Salvatoris in Eucharistia, qui quondam visibilis in terris conversatus est, et nunc sedet ad dexteram Patris; praesertim si una consideretur modus disputandi catholicorum Doctorum adversus easdem haereses. Assumunt enim hanc communem omnibus Christianis et extra controversiam positam doctrinam de Christo, ratione corporis et sanguinis sui in sacramento vivifico Eucharistiae substantialiter praesenti, tamquam principium certum tum ad realitatem carnis et naturae humanae assumptae, tum ad unitatem divinae personae Christi Dei hominis demonstrandam.

Immo Gnostici docetae ipsi asserentes, visibilem Christi naturam solum apparentem (κατα δοκεῖν) non veram fuisse, corpus et sanguinem Christi in Eucharistia, quantumvis id postulare videretur systematis consequentia, negare saltem palam et diserte plerumque non audebant, ut colligitur ex modo, quo contra eos disputant Irenaeus (1) et Tertullianus.

Ceterum quamvis octo primis saeculis fides circa mysterium Eucharistiae ita fuerit constans et universalis, ut

(1) Marcus Valentini discipulus « sanguinem Gratiae quae de supernis est », praestigiis vel fraudibus visibiliter praesentem sistere attentabat, quo facilius hominum simplicitati imponeret, quamvis illius Gratiae seu Aeonis supernae in coelesti pleromate collocatae nullus verus sanguis fingi potuerit (Vide Iren. l. I. c. 13. n. 2). Manichaei ipsi absurdo pantheismo fingentes Deum suum captivum in rebus corporeis et Christum « suspensum ex omni ligno, » conabantur suam doctrinam defendere ex christiana fide de Christi praesentia in Eucharistia. « Cur arbitretur Faustus *parem nobis esse religionem circa panem et calicem* nescio.... Noster autem panis et calix non quilibet, quasi propter Christum in spicis et sarmentis ligatum, sicut illi desipiunt, sed certa consecratione mysticus fit, non nascitur. Proinde quod non ita fit, quamvis sit panis et calix, alimentum est refectionis non sacramentum religionis... Vobis autem per fabulam vestram in escis omnibus Christus ligatus apponitur... Quomodo ergo *comparas panem et calicem nostrum, et parem religionem dicis errorem longe a veritate discretum*, peius desipiens quam nonnulli, qui nos propter panem et calicem Cererem et Liberum colere existimant?... A Cerere et Libero paganorum diis longe absumus, quamvis panis et calicis sacramentum, *quod ita laudastis, ut in eo nobis pares esse volueritis,* nostro ritu amplectamur ». S. August. contr. Faust. l. XX. c. 13.

de eo *directa et explicita* controversia cum ipsis haereticis nulla adhuc fuerit, comparent tamen vestigia obscurarum quarumdam sectarum, quae negationem realis carnis Christi in Sacramento ex aliis earum principiis necessario consequentem, etiam palam profitebantur. Huiusmodi sunt docetae illi, quorum meminit S. Ignatius ep. ad Smyrn. n. 7; Gnostici alii apud Iren. l. I. c. 21. n. 4., et clarius apud Origen. de orat. n. 5. (T. I. p. 204), apud Theodoretum haeretic. fabular. l. I. c. 10. 11; tum fortasse Massaliani apud Theodoret. Hist. Eccl. l. IV. c. 10. Quod Macarius Magnes, Theodorus Heracleota et Theodorus Mopsuestenus (vide supra p. 100) polemice agere videntur contra aliquos dicentes, Eucharistiam esse figuram corporis Christi, vel de modo tantum loquendi vel certe de singularibus hominibus non de errore in sectam coalescente intelligendum est, sicut etiam privatus erat error monachi Scetiotae, de quo narratur in monumentis graecis Cotelerii (quae citavimus ibidem) (1). Iconoclastae vero confutati in Synodo VII (Harduin. T. IV. p. 367-371) quoad Eucharistiam non in re ipsa a communi fide discrepasse dicendi sunt, sed modum loquendi pericu-

(1) Documentum ita habet: « Narravit Pater noster Abbas Arsenius de quodam sene Scetiota (in eremo aegyptiaca Σκητη).... qui dicebat, panem, quem sumimus, non esse natura (φυσει i. e. substantialiter) corpus Christi sed antitypum. Et audierunt duo senes, quod talem proferret sermonem.... Unde ad eum profecti dixerunt: Abba, audivimus de quodam sermonem infidelem, quod dicat, panem quem sumimus, non esse natura corpus Christi sed antitypum. Respondit senex: ego sum, qui ita sentio. Illi vero monuerunt eum hisce verbis: Abba, noli sic tenere, sed quemadmodum tradidit Ecclesia catholica; nos enim credimus, quod ille panis est corpus Christi, et calix ipse sanguis Christi secundum veritatem et non secundum figuram (κατ' ἀληθειαν και οὐ κατ' ἀντιτυπον.). Sed sicut in principio pulverem sumens de terra formavit hominem secundum imaginem suam... ita etiam de pane, de quo dixit: corpus meum est, sic credimus, quod secundum veritatem corpus est Christi... Dominico die venerunt ad Ecclesiam... et aperti sunt oculi eorum. Nam cum panis in sacra mensa positus fuisset, his tribus solis apparuit velut puerulus... Ut vero accesserunt ad sumendum e Sanctis, soli seni data est caro cruenta. Quod videns territus clamavit dicens: credo Domine, quod panis corpus tuum est et calix sanguis tuus. Atque illico caro in manu eius evasit panis (specie panis) secundum mysterium. »

lose perverterunt ad subsidium suae haereseos contra usum imaginum. Cf. Card. Du Perron l. II. p. 649 seqq. (vid. supra p. 99).

Hisce praestitutis quod spectat ad modum disputandi adversus haereses ex communi et universali fide in veritatem corporis et sanguinis Christi in Eucharistia, SS. Patres pro diversitate errorum quos impugnant, alia atque alia ratione eo principio utuntur.

Adversus docetas aliquando detestandam haeresim ostendunt, quia negata assumptione verae et substantialis carnis in incarnatione, etiam in Eucharistia veritas carnis neganda est, ut Ignatius ad Smyrnenses n. 7. (supra p. 83); aliquando directe ex veritate vivificae carnis Christi in Eucharistia ostendunt adversus eosdem tum realitatem carnis a Verbo assumptae, tum alios gnosticos errores impugnant de demiurgo auctore rerum materialium, de pravitate materiae, de corporum nostrorum perpetuo interitu sublata spe resurrectionis, ut Irenaeus l. IV. c. 18. n. 4. 5; c. 33. n. 2; l. V. c. 2. n. 2. 3; Tertullianus contr. Marc. l. V. c. 8 (ed. Rigalt. p. 590); l. III. c. 19. p. 493. 494; l. IV. c. 40. p. 571.

Adversus multiplices monophysitarum sectas duas in Christo naturas confundentes demonstrant Patres, impermixtam manere naturam humanam a divina diversam, ex communi professione veritatis carnis et sanguinis Christi sub visibilibus speciebus in Sacramento, quam et haeretici ipsi ob claritatem verborum Christi et consensionem omnium Christianorum fateri cogebantur. Athanasius (contra Apollinaristas) apud Theodoretum dialog. II. (de inconfusibili) T. IV. p. 92; Theodoretus ipse dial. I. (de incommutabili) ib. p. 18; dial. II. p. 84; Leo M. Serm. 91. c. 3; ep. 59. c. 2. (ed. Ballerini); Anastasius Sinaita Hodeg. c. 13. p. 232; c. 23. p. 349-351 (ed. Gretzer.).

Contra Nestorianos distinguentes duas hypostases ita, ut alius sit homo Iesus Christus alius Deus Verbum, non iam demonstrant Patres realitatem carnis Iesu Christi in Eucharistia, sed assumentes hoc principium ab adversariis etiam citra controversiam admissum, probant, car-

nem Christi in Eucharistia utpote vivificam et per quam intime unimur ipsi Filio Dei, esse carnem Dei Verbi, ac proinde non duas esse personas sed unam personam duplicis naturae divinae et humanae. Cyrillus Alexandrinus frequenter e. g. anathemat. XI et in eius apologia T. VI. p. 156. 192. 193; contra Nestor. l. IV. c. 5. T. VI. p. 109-113; in Io. l. X. c. 2. T. IV. p. 862-864; Anastasius Sinaita Hodeg. p. 77.

Paulus Samosatenus sanguinem Christi corruptibilem esse, evinci posse putabat ex mysterio Eucharistiae: « Scriptum est in Evangelio: et accepto calice gratias egit et dixit: accipite et dividite inter vos: hic calix est novum Testamentum in meo sanguine, qui pro vobis funditur. Quomodo igitur est sanguis incorruptibilis, si dividitur, et funditur? » In responsione quae Dionysio Alexandrino adscribitur, admisso utique principio, distributionem et fusionem enuntiari de ipso vero sanguine Christi in Eucharistia, refellitur illatio corruptibilitatis hoc argumento: est sanguis non meri hominis, ut Samosatenus praeludens Nestorio putabat, sed sanguis Verbi Dei. Sicut ergo non ideo Spiritus Sanctus verus Deus corruptibilis est, quia dicitur effundi super omnem carnem et in specie linguarum ignitarum dividi super Apostolos; ita et sanguis Dei distributione in multos non corrumpitur (1). Opp. Dionysii Alex. ed. Simone de Magistris p. 233-237.

(1) « Surrexit primus Samosatenus loquens inique, qui diceret esse corruptibilem sanguinem Iesu, qui est Deus Israel Iesus, sanguinem qui omnem corruptionem et passionem et mortem solvit, qui redemit nos a servitute corruptionis. Sanguinem mortalis et patibilis hominis dicit, quia dixit discipulis Dominus gloriae: accipite hoc et dividite; novum Testamentum est in meo sanguine; hoc facite. Et quia dixit idem: qui pro vobis effunditur... Nunc Samosatenus ut placeat Satanae, qui eum suis castris adscripsit, surrexit contra sanguinem vivificum et contra Spiritum Sanctum, conculcans ea. Si enim sanguis sanctus corruptibilis est, quia distribuitur et effunditur, reperietur etiam (corruptibilis) Spiritus Sanctus sicut sanguis vitae. Scribit enim Lucas in Act. Apostolorum (c. 2):... effundam de Spiritu meo super omnem carnem... Non igitur quia Spiritus Sanctus effusus est, quisquam corruptibilem eum dixerit, apage! neque quia dividitur. Hoc autem idem valet de vi-

Contra Arianos Hilarius (de Trinit. l. VIII. n. 13 seqq.) aliique assumunt realitatem corporis Christi in Eucharistia, ut nostram unionem cum Christo et inter nos ipsos non solum per affectum esse demonstrent, sed per reale corpus Christi, quod est unum numero in omnibus suscipientibus, atque ita in adversarios retorqueant argumentum contra unitatem naturae Patris et Filii deductum ab haereticis ex verbis Christi: ut omnes unum sint, sicut ego et tu Pater unum sumus. (Vide supra p. 101 cf. p. 95).

Addere his possumus disputantem *contra Pneumatomachos* Isidorum Pelusiotam, qui divinitatem Spiritus Sancti probat ex constanti apud omnes veritate, quod sicut Pater et Filius, ita Spiritus Sanctus sua virtute « panem communem reddit in mensa mystica proprium corpus incarnationis Filii » (σωμα ἰδικον της ἀυτου σαρκωσεως h. e. illud ipsum corpus, quod in incarnatione assumpsit) l. I. ep. 109 ad Marathonium.

THESIS X.

Explicatio veri sensus in quibusdam obscurioribus locutionibus SS. Patruum.

« Ipse universalis consensus et publica quotidiana fidelium professio mysterii nullo adhuc instante adversario, una cum arcani disciplina coram non initiatis diligenter custodita effecit, ut Patres non raro citra periculum erroris pro fidelibus, fundamentali dogmate supposito, ad alia doctrinae capita cum illo connexa se convertere hisque modum loquendi de Eucharistia adtemperare potuerint. Huiusmodi ergo Patrum locutiones non velut dogmatis negationes sed velut deductiones ex dogmate supposito intelligi debent. »

Consensus omnium Ecclesiarum in superioribus satis demonstratus; propria doctrinae ratio, quae sicut in quotidiano usu practico ita necessario in explicita semper erat professione omnium fidelium; principia aliunde compertissima SS. Patrum, quibus nihil umquam fuit sanctius quam

vifico sanguine... Deus est et Dominus qui distribuit nobis suum sanguinem et Spiritum... En in omnibus ostendimus torrenti iniquitatis (Samosateno), non esse corruptibilem sanguinem sanctum Domini nostri Iesu Christi, neque esse hominis sicut nos mortalis, sed Dei veri, qui est torrens voluptatis ex ipso participantibus » l. c.

consensio cum antiquitate et universitate, nihil tam exsecrabile quam innovatio in doctrina; denique Pastorum vigilantia et omnium Ecclesiarum inter se unitas ac communio, cuius unitatis et symbolum et praeter alia vinculum erat ipsamet communis fides ac celebratio Eucharistiae; haec, inquam, omnia demonstrant, fieri non potuisse, ut aliquis ex Doctoribus nominatissimis nemine contradicente in re tam magna et publica aliud sentiret et doceret, quam communis haberet omnium fides. Ea ergo consensione iam demonstrata evidenter consequitur, locutiones ambiguas, si quae sunt apud unum alterumve vetustorum Patrum, interpretandas esse ita, ut ad consensum redigantur cum universali doctrina. (Vide Tract. de Traditione).

Imprimis iam propter rigorem disciplinae arcani quibusdam praesertim in adiunctis severius custoditae (vide de Sacr. in gen. th. XIX.) non debet mirum videri, si Patres quandoque publicis in tractatibus dogma fundamentale suboscure indicantes vel supponentes iam secretius explicatum fidelibus, ad considerationes alias morales divertant. Haec res lucem accipit ex Origenis declaratione: « Novit, qui mysteriis imbutus est, et carnem et sanguinem Verbi Dei; non ergo immoremur in his, quae scientibus nota sunt et ignorantibus patere non possunt » Origen. in Levit. hom. IX. n. 10. T. II. p. 243; cf. August e. g. serm. 132. n. 1. 2.

Porro quando adversarius adhuc nullus instabat, Patres prae oculis habere profecto non poterant haereses subsequentibus aetatibus orituras; hinc aliquando securius loquebantur, nec semper necessarium putabant distincte monere, quid in suis dictis ad signum tantum visibile, quid ad rem significatam et effectam in fidelibus, quid ad statum sacramentalem ipsius corporis et sanguinis Christi referendum esset. Sicut ergo apud Patres, qui scripserunt ante eliquatas controversias ab haereticis excitatas de Trinitate, Incarnatione, Gratia etc. multa occurrunt difficilia et obscurius dicta, quae tamen ex locis aliis et posterioribus fidei explicationibus illustrari et cum his conciliari possunt ac debent; ita falleretur sane, qui apud Patres

ante controversias eucharisticas eandem semper distinctionem notionum, eandem verborum claritatem, easdem loquendi formas requireret, quarum tum necessitatem tum constantem usum peperit defensio dogmatis contra haereticos. Egregie hoc ipsum declarat saec. XII. Guilelmus Abbas S. Theodorici in libro, quem dicavit S. Bernardo, de Corpore et Sanguine Domini c. 11: « Quia ab initio S. Ecclesiae usque ad nostra paene tempora haec ab omnibus quaestio intacta relicta est, SS. Patres quod non impugnabatur, non defendebant, nisi quod aliquando in tractatibus suis hoc inde proferebant, quod res postulabat, quae in manibus habebatur. Quod quia quaestionibus non respondebat, quae nondum erant, parum modo sufficere videtur ad eas, cum exsurgunt, compescendas. Contra quas quia tunc non vigilabat intentio eorum, plurima de Sacramentis Sanctis (corporis et sanguinis Domini) in scriptis suis reliquerunt, quae suo loco, suo sensu bene dicta, ab eis qui contendere vel errare amant, eruta de locis suis aliud per se videntur sonare, quam ibi sonent, unde sumpta sunt, et quam senserit qui scripsit. Sed et multa de eadem re ab eis relicta sunt, quae bene dicta sed obscurius, utpote ab eis qui ut homines venturas omnes errorum calumnias non poterant praevidere, male intellecta materiam errandi vel contendendi perditis videntur praestare ». Bibl. PP. Cisterciens. T. IV. p. 138.

His suppositis principia quaedam prae oculis habenda sunt velut norma interpretationis, si quae a Patribus in re praesenti obscurius vel ambigue dicta videntur. Principia haec interpretationis sunt potissimum quatuor: primum spectat distinctionem inter partem Sacramenti sensibilem, et partem non obviam sensibus sed sola fide credendam; alterum relationem tum inter partem illam utramque visibilem et invisibilem Sacramenti, tum inter corpus Christi in statu sacramentali et corpus idem in statu connaturali; tertium relationem corporis Christi moralis seu mystici quod est Ecclesia, ad corpus Christi physicum in Sacramento; quartum denique diversitatem modi in manducatione corporis Christi.

I. Docent quidem Patres constanter, in Eucharistia non esse amplius panem et vinum licet sensibus ita videatur, sed credi debere iuxta verba Christi esse ipsum verum corpus et sanguinem eius, ut in superioribus satis demonstravimus. Nihilominus tamen ante verba consecrationis panis erat, et etiam postquam panis verbo Christi Dei omnipotentis mutatus est in corpus Christi, pro sensibus nihil apparet mutatum; adeoque manet non quidem verus panis sed *panis apparens* φαινομενος ἀρτος, ut Patres locis in th. VIII. relatis loquuntur (Cyrillus Hieros., Chrysostomus, Ambrosius, Auctor de Sacram., Macarius Aegyptius hom. 27. n. 17. Galland. Bibl. T. VII. p. 108, Iacobus Sarugensis etc.). Hinc Patres aliqui pro peculiari scopo suarum disputationum contra haereticos insistunt realitati obiectivae illius sensibilis, quod in nostros sensus et generatim in omnia corpora circumiacentia, ad locum et spatium easdem exserit efficientias, easdem habet relationes, ac si adhuc esset panis. Supposita autem doctrina et fide, quod substantia panis et vini non amplius est, sed tantum *apparens panis* et *apparens vinum*, illud sensibile remanens praeeuntibus ipsis Scripturis (supra p. 50.) sine periculo erroris potest et solet adhuc dici panis et vinum. Sicut autem realitatem obiectivam illius sensibilis ita et eius distinctionem a corpore Christi Patres iidem urgere solebant partim ad suum illum scopum contra haereticos de quo mox dicemus, partim ne rudiores fideles sensibile ipsum confunderent cum corpore Christi praesenti non sensibus percipiendo sed fide credendo.

Ad hos Patres pertinent imprimis illi, qui prae oculis habuerunt haeresim Gnosticorum regno tenebrarum et malo accensentium, quidquid materiale est et sensibile. Ita Irenaeus l. IV. c. 18. n. 5. ait, « Eucharistiam constare duabus rebus, terrena et coelesti » (supra p. 83.) (1); ita Origenes in Matth. tom. 11. n. 14. Opp. T. III. p. 499. 500 dicit, sanctificatum cibum esse digestioni obnoxium secundum id, quod est materiale (κατ' αὐτο το ὑλικον) et quod distingui-

(1) Interpretationem aliam verborum Irenaei, secundum quam *res terrena* esset natura humana, *res coelestis* natura divina, vide apud Massuetum Praefat. ad Opp. Iren. p. 143; Du Perron De Euchar. p. 188 sq. etc.

tur ab eo, quod in cibo illo effectum est per precem sanctificantem (cf. supra p. 94.).

Apud Augustinum satis frequens est consideratio directa et expressa partis sensibilis in Sacramento, ita ut corpus Christi, idque in statu sacramentali et cum distinctione a corpore eodem in suo statu connaturali, solum spectetur in obliquo. Una ex causis ad hunc modum considerandi et loquendi Augustino fuisse videtur, ut indicaret diversissimam rationem, qua Christiani corpus Domini sub speciebus panis praesens fieri crederent ab insania Manichaeorum, qui omnes herbas et spicas et fructus atque ex his confectum panem et vinum, ita ut sunt res materiales et sensibiles, naturale corpus sui patibilis Iesu fingebant (cf. contr. Faust. l. XX. c. 11.-13). Atque ita illud sensibile in Eucharistia distinctum a corpore Christi, S. Doctor dicit signum corporis Christi sed corporis praesentis l. contr. Adamant. Manich. c. 12. n. 3. Explicans enim quomodo Deut. XII. 23. sanguis animalis dici potuerit anima tamquam signum praesentis animae, et ut loquitur in Lev. l. III. q. 57. n. 3. « per id quod continet, significando id quod continetur, quoniam anima sanguine tenetur in corpore », adhibet contra Manichaeum etiam hoc exemplum: « non dubitavit Dominus dicere: hoc est corpus meum, cum signum daret corporis sui, » videlicet signum visibile corporis praesentis sed invisibilis. Alibi declarat, in theophaniis veteris Testamenti species illas visibiles, ut ignem vel nubem, non utique fuisse ipsam propriam formam Dei sed signa eius praesentiae, quae signa aliquando diutius permanebant aliquando « peracto mysterio transierunt, sicut panis (panis visibili specie) ad hoc factus in accipiendo Sacramento consumitur ». Nec etiam certo novimus, quomodo species illae fuerint factae, illud tamen certo tenendum est, « substantiam seu essentiam Patris et Filii et Spiritus Sancti per se ipsam nullo modo posse esse visibilem ». Iam ad declarationem illarum visionum veteris Testamenti utitur exemplo rei, quae in celebratione Eucharistiae est visibilis et signum corporis Christi praesentis sed invisibilis: « sicut infantes non noverunt quod in altari ponitur et peracta pietatis cele-

bratione consumitur, unde vel quomodo conficiatur, unde in usum religionis assumatur. Et si numquam discant experimento vel suo vel aliorum, et numquam illam speciem rerum videant nisi inter celebrationes Sacramentorum, cum offertur et datur, dicaturque illis auctoritate gravissima, cuius corpus et sanguis sit, nihil aliud credent, nisi omnino in illa specie Dominum oculis apparuisse mortalium, et de latere tali percusso liquorem illum (de latere in tali specie panis liquorem in tali specie vini) omnino fluxisse ». De Trin. l. III. c. 10. n. 19. 21. cf. c. 4. n. 10.

Hunc modum considerandi directe id quod est sensibile in Eucharistia et sacramentum *tantum,* aliqui alii Doctores Africani secuti sunt. Facundus Hermianensis dum conatur in sanum aliquem sensum interpretari, quod dixerat Theodorus Mopsuestenus, Christum adoptionem filiorum suscepisse, imprimis ait, sacramentum baptismi institutum ad conferendam nobis adoptionem posse recte appellari adoptionem; unde quamvis praepostere infert: « Christus quoque sacramentum adoptionis non ad utilitatem suam sed ad ipsius sacramenti confirmationem in circumcisione et baptismo suscipiens, potuit ab antiquis Ecclesiae doctoribus recte dici, quod adoptionem susceperit filiorum ». Iam ut confirmet hunc modum loquendi, quo sacramentum visibile adoptionis appelletur adoptio, utpote conferens et iuxta formulam ecclesiasticam (Conc. Trid. sess. VII. can. 6.) continens gratiam adoptionis, Facundus (rectene an secus, nunc non quaerimus) se recipit ad id, quod est sacramentum visibile in Eucharistia, et quod licet in se non sit corpus Christi, dici tamen potest corpus Christi, quia continet mysterium corporis Christi, seu quia est sacramentum et sacrum signum corporis Christi sub his speciebus latentis: « Potest sacramentum adoptionis adoptio nuncupari; sicut *sacramentum corporis et sanguinis eius, quod est in pane et poculo consecrato,* corpus eius et sanguinem dicimus, non quod proprie corpus eius sit *panis* (species visibilis) et *poculum* sanguis, sed quod in se mysterium corporis eius sanguinisque contineant. Hinc et ipse Dominus benedictum panem et calicem, quem discipulis tradidit,

corpus et sanguinem suum vocavit. Quocirca sicut Christi fideles sacramentum corporis et sanguinis eius accipientes, corpus et sanguinem Christi recte dicuntur accipere; sic et ipse Christus sacramentum adoptionis filiorum cum suscepisset, potuit recte dici adoptionem filiorum suscepisse». Facund. pro defens. trium Capitul. l. IX. c. 5. p. 144. Cf. August. ep. 98. n. 9. ad Bonifac.

Prae ceteris vero huic sensibilium specierum obiectivae realitati et simul distinctioni a corpore et sanguine Christi, ita ut species sensibiles cum corpore et sanguine Christi sub iis contento unum sacramentum constituant, insistere solent Doctores non pauci, qui adversus monophysitas realitatem duplicis naturae in Verbo incarnato, naturae divinae invisibilis et naturae humanae visibilis explicant et illustrant ex sacramento Eucharistiae, quod secundum fidem christianam *unum* est sacramentum sed constans duplici elemento, aliqua scilicet realitate sensibili permanente etiam post consecrationem et corpore Christi invisibili. Sicut ergo, aiunt, in mysterio Eucharistiae illud sensibile est et manet aliquid reale (species panis et vini) distinctum a corpore et sanguine Christi, ita in mysterio Incarnationis naturales proprietates humanae naturae per unionem hypostaticam et etiam post glorificationem non sunt absorptae a divinitate sed manent in sua propria realitate impermixtae et inconfusae, quamvis una sit hypostasis seu persona.

Monophysitae ipsi ad suam adstruendam conversionem humanae naturae Christi in naturam divinam frequenter argumentabantur ex mysterio Eucharistiae, ut apparet ex Anastasio Sinaita (supra p. 96) et luculentius ex Theodoreto mox citando. Videntur autem, sicut humanam visibilem naturam dicebant esse iam naturam divinam, ita et ipsum id, quod in Eucharistia visibile est, putasse corpus Christi (1). Scopus itaque ipse Patribus praefixus causa

(1) Saeculo XII. adhuc Abbaudus Abbas et Gualterus Victorinus videntur ipsum quod in Eucharistia sensibile est, putasse corpus Christi, et ideo ipsum corpus Christi in se frangi, dentibus atteri etc. non vero solum ratione specierum ita dici aiebant. Vide Analecta Mabillonii T. III. p. 442 sq. cf. etiam in Thesaur. Zaccar. T. X. opusc. XVII. p. 1001.

fuit, cur sensibilium specierum realitatem et identitatem secum ipsis, ut fuerant ante consecrationem, expressius designarent, et earum a corpore Christi distinctionem urgerent. De hac igitur obiectiva specierum realitate non autem de natura substantiali panis et vini intelligi debent, quando in illis contextibus aiunt, naturam, essentiam sensibilem (φυσιν, ὀυσιαν αἰσθητην) panis et vini manere, sicut fuerat ante consecrationem

Posse ita intelligi, constat ex significatione, qua nomen *natura,* φυσις apud scriptores ecclesiasticos non raro adhibetur de proprietatibus seu qualitatibus sensibilibus, quibus natura substantialis se manifestare et vulgo discerni solet. Sic Gregorius Nyssenus (in antirrhet. n. 57. Galland. Bibl. VII. p. 574. cf. ib. n. 53); Athanasius (or. 3. in Arian. n. 48. T. I. p. 598) *naturam* corporis Christi φυσιν του σωματος in resurrectione mutatam esse dicunt in aliquid divinius, explicantes deinde *naturam* de proprietatibus quibusdam corporis; Chrysostomus loquens de pueris servatis in fornace babylonica (ad popul. Antiochen. hom. 4. n. 3, et in Ps. X) ait, *naturam* ignis (την των πραγματων φυσιν, των στοιχειων ὀυσιαν) esse mutatam; Tertullianus de anim. c. 32: « substantia, inquit, est lapis, ferrum; *duritia* lapidis et ferri *natura* substantiae est; » in sacra Scriptura ipsa dicitur « aqua exstinguentis suae *naturae* (gr. της σβεστικης δυναμεως) oblita » Sap. XIX. 9. (Vide Harduin. de Sacr. altar. in ep. ad Caesar. c. 3. 4).

Porro Patres illos non solum posse sed debere intelligi de sensibilibus tantum speciebus, non autem de substantia in sensu philosophico huius vocis, quando manere dicunt *naturam* panis, demonstratur indirecte ex doctrina communi, quacum hi in re tali pugnare non possunt, et directe ex ipsis contextibus, in quibus simul docent, et panem mutari in corpus Christi iamque non esse duo corpora panem et corpus Christi sed solum corpus Christi, et tamen naturam panis manere, quae manifesto essent contradictoria, si non eo quo diximus sensu, natura panis intelligeretur.

Patres qui in suis argumentationibus adversus monophysitas ita locuti sunt, occurrunt sequentes: Theodoretus

dialog. 2.° (Inconfusibilis) T. IV. p. 85; Gelasius de duabus naturis contr. Eutych. Bibl. Max. T. VIII. p. 703; Ephrem Antiochenus apud Photium Cod. 229. ed. 1611. p. 793; Auctor epistolae ad Caesarium Chrysostomo adscriptae (inter Opp. Chrys. ed. Maur. T. III. p. 744). Apud Theodoretum Eranistes (monophysita) ex sacramento Eucharistiae probare instituit contra orthodoxum, « corpus Domini in aliam, divinam scilicet mutatum esse naturam ». Conveniunt primo collocutores ambo, ante consecrationem esse panem et vinum, tum pergit interrogare haereticus: « post sanctificationem vero quomodo haec appellas? *Orthodoxus:* Corpus Christi et sangninem Christi. *Eranistes:* Et credis utique, te corpus Christi et sanguinem percipere? *Orthodoxus:* Ita credo. *Eranistes:* Sicut ergo symbola Dominici corporis et sanguinis alia sunt ante sacerdotis invocationem, post invocationem vero transmutantur et fiunt alia; ita et Dominicum corpus post ascensionem in divinam essentiam transmutatum est. *Orthodoxus:* Captus es retibus, quae ipse texuisti. *Neque enim post sanctificationem mystica symbola recedunt a sua natura; manent enim in prioris essentiae et figura et forma aspectabili, et visibilia sunt et tangibilia, qualia erant prius: intelliguntur autem esse ea quae facta sunt, et creduntur et adorantur, utpote quae sint id quod esse creduntur* (1)... Ita etiam illud corpus (post ascensionem, de qua quaerebatur) priorem habet formam et figuram et circumscriptionem, et, ut uno verbo dicam, corpo-

(1) *Οὐδε γαρ μετα τον ἁγιασμον τα μυστικα συμβολα της ὀικειας ἐξισταται φυσεως. μενει γαρ ἐπι της προτερας ὀυσιας και του σχηματος και του ἐιδους, και ὁρατα ἐστι και ἁπτα, ὁια και προτερον ἠν. νοειται δε ἁπερ ἐγενετο και πιστευεται και προσκυνειται, ὡς ἐκεινα ὀντα, ἁπερ πιστευεται.* Verba *ἐπι της προτερας ὀυσιας κ. λ.* in versione Herveti redduntur: « manent enim in priori substantia, et figura, et forma », quam equidem versionem cum Cardinali du Perron (l. II. c. 11-14. p. 537-550.) puto correctione indigam; attamen etiam ea admissa, non sequitur, Theodoretum a communi fide dissentire; *ὀυσια* enim saepe usurpatur in laxiori significatione de eo quod *reale* est, ut Plato dixit, a quibusdam non initiatis « actiones et generationes et quidquid non est aspectabile, non poni *ἐν μερει ὀυσιας* » h. e. inter realia (apud Clement. Alex. Strom. V. p. 562), et ipse Theodoretus definit *ὀυσιαν* id, quod est, *το ὀν* (dialog. I. T. IV. p. 4).

ris essentiam etc. » In hoc multum vexato textu Theodoreti Orthodoxus evidenter discernit speciem sensibilem, quae realis est et manet eadem ac antea fuerat, et rem illam quae solum cognitione fidei intelligitur esse corpus Christi, cum antea esset panis. Nam id quod symbolis visibilibus exhibetur, inquit, antea panis erat, nunc intelligitur et creditur et adoratur corpus Christi. Ergo illud sensibile non est amplius substantia panis sed est solum panis apparens seu sunt sensibilia phaenomena panis, de quorum *natura* sermo est ad exprimendam obiectivam eorum realitatem.

Idem est modus loquendi idemque sensus aliorum Patrum, quos citavimus. Gelasius Pontifex, si tamen is est auctor libri contra Eutych. et Nestor, illustrat realitatem humanae naturae a Verbo assumptae eiusque distinctionem a natura divina l. c. hoc exemplo: « Certe sacramenta, quae sumimus, corporis et sanguinis Christi, divina res est, propter quod et per eadem divinae efficimur consortes naturae (cf. Cyrill. Hieros. supra p. 90), et tamen esse non desinit *substantia vel natura panis et vini* (1). Et certe imago et similitudo corporis et sanguinis Christi (ut existebat redemptionem complens in propria specie connaturali) in actione mysteriorum celebrantur. Satis ergo nobis evidenter ostenditur, hoc nobis in ipso Christo Domino (de incarnatione et natura assumpta) sentiendum, quod in eius imagine profitemur, celebramus, et sumimus, ut sicut *in hanc scilicet in divinam* (i. e. Verbo unitam hypostatice) *transeant Sancto Spiritu perficiente substantiam*, permanente tamen in *suae proprietate naturae* (2), sic illud ipsum mysterium principale (incarnationem), cuius nobis efficientiam virtutemque veraciter repraesentant, ex quibus constat (naturis) proprie permanentibus, unum Christum... demonstrant (demonstrent) ».

(1) « Substantia vel natura » sumuntur evidenter ut synonyma, *ὀυσια ἤγουν φυσις*. Totus hic locus et alia plurima in libro sane videntur persuadere, eum graece scriptum esse.

(2) Forte: permanente tamen in sua proprietate naturâ *μενουσης δε ἐπι της ἀυτης ἰδιοτητος της φυσεως*.

Ad eundem scopum Ephrem Antiochenus: « sic etiam, inquit, corpus Christi quod a fidelibus sumitur (sacramentum spectatis simul corpore Christi et speciebus panis), et *a sensibili essentia non excidit* et *ab intelligibili gratia* (quae est corpus Christi in statu sacramentali) *indivisum manet* (1). »

Nihil denique aliud quam apud hucusque citatos habetur in epistola ad Caesarium, quae ubi primum in lucem edita est, ridiculos excitavit Protestantium applausus et quasi de parta victoria triumphales acclamationes. (Vide de hac epistola Scipion. Maffei in opuscolis ed. Tridenti 1742 p. 41; Harduin. in dissertat. in epist. ad Caesar., Maurinos in praefat. Opp. Chrys. T. III. p. 736; Stilting in commentario de S. Io. Chrysost. §. 82 T. IV Sept. Bollandian. et in Thesauro Zaccar. T. X. P. II. opusc. XI etc.). Locus qui latine tantum exstat, sequens est: « Unus Filius, unus Dominus, idem ipse procul dubio unitarum naturarum unam dominationem, unam potestatem possidens, etiamsi non consubstantiales existunt (duae naturae)... propter hoc quod inconfusa sunt duo. Sicut enim antequam sanctificetur panis, panem nominamus, divina autem illum sanctificante gratia, mediante sacerdote, liberatus est quidem ab appellatione panis, *dignus autem habitus Dominici corporis appellatione* (cf. Ambros. supra p. 103), *etiamsi natura panis in ipso permansit, et non sunt duo corpora* (panis et corpus Christi) *sed unum corpus Filii praedicamus* » (cf. Damascen. supra p. 98).

II. Hac distinctione duplicis partis, visibilium specierum et invisibilis corporis Christi supposita, Patres considerant frequenter tum relationem inter species et corpus Christi, tum ipsum corpus Christi sacramentale (seu sacramentum constans speciebus panis et corpore Christi) in relatione ad Christum in modo suo existendi connaturali et ad mysteria redemptionis ab ipso completa, vel in relatione ad fruitionem futuram nobis promissam in patria. Secundum has relationes corpus Christi in statu sacramentali di-

(1) Ὁυτω και το παρα των πιστων λαμβανομενον σωμα Χριστου και της ἀισθητης ὀυσιας ὀυκ ἐξισταται και της νοητης ἀδιαιρετον μενει χαριτος.

ci potest et a Patribus dicitur *antitypum, typicum, symbolicum, figura, imago* pluribus modis significationum, quarum nulla realitatem corporis Christi in sacramento excludit, sed immo omnes eam exigunt et supponunt.

1°. Si corpus Christi conferatur cum speciebus, hae sunt τυπος et signum, corpus autem est ἀντιτυπον h. e. significatum et exhibitum per species. Ita Cyrillus Hierosolymitanus Cat. mystag. IV. n. 3. ait: « *in figura* (ἐν τυπω) *panis* dari corpus Christi, » et ex adverso Cat. V. n. 19: « gustare iubemur non panem et vinum sed *antitypum corpus et sanguinem* » (supra p. 89).

Simili *antitypi* significatione Epiphanius (De resurrect. T. II. p. 278) Eucharistiam appellat veteris paschatis *antitypa mysteria;* ipsa videlicet Eucharistia per figuras veteris Testamenti protendebatur, estque earum significationis obiectum et πλήρωμα. Hoc sensu mihi videtur a Tertulliano Eucharistia dici *figura corporis Christi* h. e. *figura adimpleta corporis*, quia corpus Christi in veteri Testamento appellatione panis figuratum seu adumbratum est, ut futurum sub speciebus panis, quam figuram Christus adimplevit in institutione Eucharistiae. In omnibus tribus contextibus, in quibus Tertullianus ita loquitur (contr. Marc. l. III. c. 19; l. IV. c. 40; contr. Iud. c. 11), propositum habet demonstrare, figuras et prophetias veteris Testamenti in Christo et a Christo fuisse adimpletas. Inter has plurimas, quas adfert, una est illa Ier. XI. 19: « Mittamus lignum in panem eius. » Nomine panis, ait, in figura veteris Testamenti designatum fuisse corpus Christi; sensus enim est: mittamus crucem in corpus eius; hanc autem prophetiam, quatenus nomen panis apud Ieremiam significat corpus, Christus realiter interpretatus est et figuram adimplevit, quando in ultima coena dixit: hoc est corpus meum, et « acceptum panem corpus suum fecit » h. e. panem convertit in corpus suum ita, ut ipsum corpus sit in statu cibi sub specie panis. Iam in tali contextu et prae tali scopo demonstrandi figuram veteris Testamenti adimpletam in re significata novi Testamenti videntur non adeo difficiles locutiones Tertulliani: « corporis sui figuram pani dare, » et Chri-

stum dixisse : « hoc est corpus meum, id est figura corporis mei. » Nihil aliud sibi volunt, quam quod diximus, corpus Christi sub specie panis esse adimpletam figuram veteris Testamenti, seu antitypum veteris typi. Verba Tertulliani sunt: « hoc lignum (crucis) et Hieremias tibi insinuat , dicturis praedicans Iudaeis: venite, mittamus lignum in panem eius; utique in corpus. Sic enim Deus in Evangelio quoque vestro (S. Lucae, quod quamvis truncatum Marcionitae retinuerant) revelavit, panem corpus suum appellans, ut et hinc iam eum intelligas *corporis sui figuram pani dedisse* (in ultima coena dedisse pani corporis sui figuram adimpletam), cuius *retro corpus in panem Prophetes figuravit,* ipso Domino hoc sacramentum (propheticam adumbrationem futuri) postea interpretaturo (per realem adimpletionem) » (1) contr. Marc. l. III. 19 et contr. Iud. c. 11. « Professus itaque se concupiscentia concupisse edere Pascha ut suum, indignum enim ut quid alienum concupisceret Deus , acceptum panem et distributum discipulis, *corpus illum suum fecit, hoc est corpus meum dicendo, id est figura corporis mei* (2). Figura au-

(1) Locum simillimum habes apud Cyrill. Hieros. Cat. XIII. n. 19: « Dicet mihi quispiam : crucis lignum mihi ex propheta demonstra.... Audi igitur ex Ieremia:... venite et iniiciamus lignum in panem eius. Si te Dominus dignum fecerit (loquitur catechumeno), in posterum cognosces , quod corpus eius iuxta Evangelium figuram ferebat panis» ὁτι το σωμα ἀυτου κατα το ἐυαγγελιον τυπον ἐφερεν ἀρτου; i. e. a propheta recte designatum fuisse corpus per figuram panis, cognosces ex mysterio Eucharistiae, ubi iuxta revelationem Evangelii corpus Christi continetur sub specie panis.

(2) Potest sine dubio his verbis saltem per se spectatis dari alia adhuc explicatio , qua Tertulliani sensus communi omnium Patrum doctrinae et fidei totius nominis christiani non repugnans ostendatur. Card. Du Perron l. II. p. 208 sq. explicat per constructionem , quae dicitur a grammaticis ὑπερβατον : « hoc est corpus meum , id est figura corporis mei = hoc, id est figura corporis mei (hoc quod fuit apud Ieremiam figura corporis mei), est corpus meum. » Sicut idem Tertullianus dicit: « Christus mortuus est , id est unctus » contr. Prax. c. 29; « aperiam in parabolam os meum , id est similitudinem » contr. Marc. l. IV. c. 11. Auctores « Perpetuitatis Fidei » T. III. l. II. c. 2 censent, posse intelligi Tertullianum eo modo, quo Patres non raro corpus Christi sacramentale, seu formaliter ut est sub speciebus et cum speciebus panis, considerant tamquam sacramentum et figuram in relatione ad Christum ipsum

tem (talis) non fuisset, nisi veritatis esset corpus; ceterum vacua res, quod est phantasma, figuram (talem) capere non posset. Aut si propterea panem corpus sibi finxit, quia corporis carebat veritate, ergo panem debuit tradere pro nobis. Faciebat ad vanitatem Marcionis, ut panis crucifigeretur. Cur autem panem corpus suum appellat, et non magis peponem, quem Marcion cordis loco habuit? non intelligens *veterem fuisse istam figuram corporis Christi* dicentis per Hieremiam... venite coniiciamus lignum in panem eius, scilicet crucem in corpus eius. Itaque illuminator antiquitatum (per adimpletionem prophetiarum et figurarum) *quid tunc (apud Ieremiam) voluerit significasse panem, satis declaravit corpus suum (in coena ultima) vocans panem*: Sic et in calicis mentione testamentum constituens sanguine suo obsignatum, substantiam corporis confirmavit; nullius enim corporis sanguis potest esse, nisi carnis... Ut autem et *sanguinis veterem figuram in vino* recognoscas... lavabit, inquit, in vino stolam suam (Gen. XLIX, 11). *Ita et nunc sanguinem suum in vino consecravit, qui tunc vinum in sanguine figuravit* » contr. Marc. l. IV. 40.

A sensu hucusque exposito nominis *antitypus*, quo ipsum corpus Christi aliquando appellatur ut res significata, probe distinguendus est sensus alius, quo *antitypus* sumitur pro *typo vel signo*. Hoc sensu panis et vinum ante consecrationem vel etiam species sacramentales dicuntur ἀντιτυπα corporis Christi in Concilio VII, a Ioanne Damasceno, ab Eutychio (apud Nicetam Choniat. in Alexio Comnen. l. III. c. 3. p. 333) aliisque.

2°. Secundum duplicem statum et modum existendi, secundum existendi modum scilicet connaturalem et sacramentalem distinguitur a Patribus corpus et sanguis Christi ita, ut idem in statu sacramentali dicatur aliquando repraesentatio, figura, et typus seu antitypus corporis et sanguinis Christi quatenus est in modo existendi connaturali. Di-

ut est in suo statu connaturali, de qua re mox dicemus. Maranus in Praefat. ad Opp. S. Iustini P. II. c. 9. n. 6. Tertulliani figuram intelligit de externa forma et de speciebus panis, ut sensus sit: hoc sensibile est figura ac forma externa, qua corpus meum exhibetur.

stinctionem hanc inter duplicem diversum modum existendi diserte proponunt Patres. Ita S. Hieronymus in Eph. I. 7 (T. VII. p. 553 ed. Vallarsi): « dupliciter, inquit, sanguis Christi et caro intelligitur; vel spiritualis illa (cf. supra p. 103) atque divina, de qua ipse dixit: caro mea vere est cibus: et nisi manducaveritis carnem meam...; vel caro et sanguis, quae crucifixa est, et qui militis effusus est lancea.» Videlicet distinguitur caro et sanguis in statu cibi ac potus, atque aliter in statu connaturali, in quo caro crucifixa, in quo sanguis effusus est militis lancea. Patet etiam ex sequentibus, distinctionem intelligi non secundum substantiam sed secundum modum; pergit enim S. Doctor: « iuxta hanc divisionem et in sanctis eius diversitas carnis et sanguinis accipitur, ut alia sit caro quae visura est salutare Dei, alia caro et sanguis quae regnum Dei non queant possidere. » Cf. Clem. Alex. Paedagog. l. II. c. 2; Aug. de Trin. III. c. 10. n. 21.

Iam hoc duplici diverso statu supposito ait Lanfrancus (de corpore et sang. Domini c. 14): « Caro videlicet carnis et sanguis sacramentum est sanguinis, carne et sanguine utroque invisibili, intelligibili, spirituali significatur Redemptoris corpus visibile, palpabile, manifeste plenum omnium virtutum et divina maiestate » (1). Secundum eandem distinctionem non modo celebratio et sacrificalis oblatio Eucharistiae dicitur « *typus* passionis » a S. Hieronymo contr. Iovin. II. c. 11; « *figura* passionis, *imago* propriae passionis » a S. Gaudentio serm. ad Neophyt; « *symbolum* eius, qui pro nobis mortuus est » a S. Chrysostomo in Matth. hom. 83; « semel

(1) Solent haec verba citari velut Augustini ex decreto Gratiani de consecr. dist. 2. can. 48. Vide Card. Du Perron Refut. obiect. ex August. c. 8. Ceterum qui negant, Eucharistiam esse et dici posse signum corporis Christi et sanguinis, ut Haimo Halberstadiensis (De corp. et sang. Domini, in Spicilegio D'Achery T. XII. p. 28) data opera id confutat, ii intelligendi sunt negare distinctionem corporis Christi in Eucharistia, et in statu connaturali, quasi duo essent corpora, aut quasi in Eucharistia esset signum tantummodo et non ipsum corpus Christi. Et sane modus loquendi hic exortis iam haeresibus periculo non caret, nec sine explicatione adhiberi iam potest; non tamen ideo animadvrsio Lanfranci minus vera est et utilis ad obscuriores textus Patrum intelligendos. (Cf. Harduin. Dissert. de Sacr. altaris p. 186-187).

immolatus Christus *in se ipso,* qui tamen *in sacramento* omni die populis immolatur » a S. Augustino ep. 98. al. 28. n. 9 ad Bonifac. cf. contr. Faust. XX. c. 18; sed etiam ipsum sacramentum permanens et corpus Christi in statu sacramentali sub speciebus visibilibus panis et vini vocatur figura et antitypus corporis Christi spectati in propria specie. « Typicum et symbolicum corpus » Origen. in Matth. tom. 11. n. 14. T. III. p. 500; « si quid uspiam *antityporum pretiosi corporis aut sanguinis* manus acceperat, id (cogitatione mentis) lacrymis admiscuit » S. Gregor. Nazianz. de Gorgonia sorore or. VIII. al. XI. n. 18; inter ea quae non ascenderunt in cor seu intellectum hominis, etiam illud est, « quod in Ecclesia offertur panis et vinum *antitypum* carnis Christi et sanguinis, et qui participant de apparente pane (ἐκ τῶν φαινομένων ἄρτων), spiritualiter (i. e. ut cibum supernaturalem ad effectum spiritualem, atque in statu non connaturali sed sacramentali) carnem Domini manducant » Macar. Ægypt. hom. 27. n. 17. Galland. Bibl. VII. p. 108; « invocamus Spiritum Sanctum, ut exhibeat hunc panem corpus Christi et calicem sanguinem Christi, ut *qui haec antitypa percipiunt,* consequantur remissionem peccatorum etc. Fragm. II nomine S. Irenaei edit. a Pfaffio (vide Scipionem Maffei epp. ad Bacchinium); « si realiter existentis corporis *antitypa* sunt divina sacramenta, ergo etiam nunc corpus Domini est (vere) corpus » Theodoret. dial. 2. contr. Eutychianos T. IV. p. 84; « *imago et similitudo corporis et sanguinis Christi* in actione mysteriorum celebratur... hoc nobis *in ipso Christo Domino* (in propria specie) sentiendum, quod *in eius imagine* profitemur, celebramus et sumimus » (cf. August. *in se ipso* = *in sacramento*) Gelas. contr. Eutych. Bibl. Max. T. VIII p. 703. Vide Constitut. apost. l. V. c. 14; VI. c. 30; VII. c. 25. Cum igitur hic non una res sit signum rei alterius, sed idem secundum unum modum existendi sit expressio sui ipsius secundum modum alium considerati, verissime ἀντίτυπον idem valet ac ἰσότυπον, ut monet Elias Cretensis in scholiis ad or. I. Nazianzeni n. 161: « ἀντίτυπον cogita esse ἰσότυπον, si eo intelligis magna mysteria, sacratissimum corpus et pretiosum sanguinem Christi;

ita enim magnus Basilius appellavit. Nam haec praepositio (ἀντι) aliquando idem valet ac ἰσον. Si vero ad futura mysteria relationem habent; sunt enim qui vocabulum etiam ita accipiant, antitypa dicuntur non quasi non vere corpus et sanguis Christi essent, sed quod nunc quidem per ipsa participes sumus divinitatis Christi, ut qui nostris corporibus suscipitur, tunc vero intelligibiliter per solam visionem. » (Vide Damascen. supra p. 99; cf. Allatium de Consensu etc. l. III. c. 15. n. 28 sq.).

Quia Augustino haec distinctio sicut etiam consideratio relationis ad corpus Christi mysticum, de qua mox dicemus, maxime familiaris fuit, occurrunt apud ipsum saepius modi concipiendi et loquendi, qui aetate alia, ubi ob exortas haereses multo magis identitas corporis Christi quam distinctio status diversi prae oculis habenda est, non possunt non obscuri videri, nisi ad ea quae diximus adtendatur. Praeter ea quae adtulimus supra (p. 121 sq.) ex l. contra Adamantium et ex Facundo Augustini imitatore, huc pertinet, quod habet in Ps. XCVIII. n. 9. Postquam clarissime docuit, eam carnem, quam Christus sumpserat de Maria Virgine, a nobis manducari, et a nemine manducari quin illam adoret (sup. p. 79.), declarat ibi, Iudaeos Io. VI. non recte intellexisse modum manducationis carnis Christi putantes, « quod praecisurus esset Dominus particulas quasdam de corpore suo et daturus illis. » Unde Dominum inducit loquentem: « spiritualiter intelligite quod locutus sum: non hoc corpus quod videtis (in hoc scilicet visibili modo existendi), manducaturi estis, et bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt qui me crucifigent; *sacramentum* aliquod vobis commendavi ». Pariter in Ps. III. n. 1. miratur Domini patientiam, qui Iudam traditorem « adhibuit ad convivium, in quo *corporis et sanguinis sui figuram* discipulis commendavit et tradidit; » quod tamen ipsum clarissime dixit, quantum arcani disciplina ferebat, epist. 43. n. 23. ad Glor. et Eleus: « tolerat ipse Dominus Iudam... sinit accipere inter innocentes discipulos, *quod fideles noverunt, pretium nostrum.* » Eodem sensu aliquoties appellat Eucharistiam *corpus Christi secundum quemdam modum.* Sic in loco,

ex quo Facundus supra citatus suum modum loquendi expressit, scribit Augustinus ep. 98. n. 9 ad Bonifac: « sicut ergo secundum quemdam modum sacramentum corporis Christi corpus Christi est, sacramentum sanguinis Christi sanguis Christi est; ita sacramentum fidei fides est. » Similiter postquam in Ps. XXXIII. enarrat. I. n. 10. simpliciter dixit: « ferebatur Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum ait: hoc est corpus meum; ferebat enim illud corpus in manibus suis; » tamen in enarrat. II. immediate sequenti n. 2. ait: « quomodo ferebatur in manibus suis? quia cum commendaret ipsum corpus suum et sanguinem suum, accepit in manus suas quod norunt fideles, et ipse se portabat *quodam modo*, cum diceret: hoc est corpus meum ». (Vide Card. Du Perron Refutat. obiect. ex S. August. Paris. 1624; Philippi Bovii opusc. IX. in Thesaur. Zaccar. T. X. P. II.).

3.io Postremo in relatione ad fruitionem remotis symbolis futuram Eucharistia appellatur « typus nostrae salutis, » ut a Gregorio Nazianzeno or. XVII. n. 12; « antitypa futurorum, » ut a Damasceno De Fide orthod. l. IV. c. 13 cf. Dionys. Eccles. Hierarch. c. 3. n. 3. §. 2.

III. Tertius modus considerandi apud Patres animadversione dignus est, quando corpus Christi sub speciebus sacramentalibus et in statu cibi spectant ut sacramentum significans et perficiens unionem membrorum in corpore Christi mystico (1), fidelium scilicet in Ecclesia, cum ipso ca-

(1) Corpus Christi *mysticum* dicitur Ecclesia in distinctione ad corpus physicum; attamen apud veteres saepe ipsum corpus Christi physicum in Sacramento appellatur corpus mysticum. Ita disputat Harduinus (De Sacr. altar. p. 133): « Mystica enim vero dicitur res quaeque sacra, quae vel celatur nec est cuivis exposita sive nota, ut corpus Christi mysticum in ara, quod *soli norunt fideles;* vel rem sacram celat et continet, ut vasa mystica Christi sanguinem, panis mysticus Christi carnem, vel denique rem sacram significat... Corpus Christi *mysticum* qui illud appellarit, quod pane consecrato significatur, (i. e. corpus Christi quod est Ecclesia) ante Ratramnum (saec. IX) vix quisquam occurret. Peculiaris apud veteres haec appellatio est proprii Christi corporis in mensa Dominica, ubi et corpus est et alterum corpus (Ecclesiam) significat, non illius corporis quod significatur, h. e. Ecclesiae. »

pite Christo et inter se invicem 1 Cor. X. 17; reddimur enim per participationem corporis Christi ei concorporei et consanguinei (συσσωμοι και συναιμοι), ut loquitur Cyrillus Hierosolymitanus Cat. mystag. IV. n. 3. Vide Nyssenum, Chrysostomum, Cyrillum utrumque, Hilarium, Marutham etc. citatos in th. VIII. Nulla utique oritur obscuritas, quando Patres simul haec duo declarant: rationem propriam Sacramenti in se, corporis nempe Christi physici sub specibus panis, et corporis mystici unionem cum illo ac per illud perficiendam, ut Chrysostomus hom. XXIV. in 1 Cor., Cyrillus in Io. l. X. p. 862 aliique. Verum Augustinus in publicis sermonibus secundum disciplinam arcani supponit praecedentem institutionem privatam de mysterio, quid sit in se; atque ideo hoc paucis fere indicato solet transire ad declarandam rem significatam in corpore mystico, unionem scilicet membrorum cum capite Christo et inter se ipsos significatam et perficiendam per corpus Christi in Sacramento; haec enim unio etiam propter haereses et schisma Donatisticum in Africa S. Doctorem maxime habebat sollicitum. Imprimis de rigore, quo Augustinus servabat arcanum in publicis concionibus, passim occurrunt indicia manifesta. Confer paulo ante citata ex ep. 42. et enarrat. II. in Ps. 33. et lege e. g. sermonem 132. n. 1. 2. Porro constat de mysterio ipso neophytos privatim et remotis catechumenis instrui consuevisse, cuiusmodi institutiones sunt Catecheses mystagogicae Cyrilli, Ambrosii, Gaudentii. Ipse Augustinus serm. 228. n. 3. excusat brevitatem sermonis publici et communis, quia adhuc « sermonem ad altare Dei debebat eo die infantibus (recens baptizatis) *de Sacramento altaris.* »

Huiusmodi « sermones ad infantes » sunt 227, 229, 272 habiti post percepta iam sacramenta baptismi, chrismatis et Eucharistiae. Quamvis vero ipse Episcopus tum primo eis loqueretur de mysterio Eucharistiae, supponit tamen necessario etiam ibi praecedentem institutionem cateche-

Verumtamen Ecclesia omnino rectissime appellatur *corpus Christi mysticum,* quia ut corpus Christi in ipsis Bibliis describitur, et Christo capiti coniungitur « per omnem iuncturam subministrationis » vinculis arcanis fide credendis. Eph. IV.

ticam ab aliis inferioribus Clericis traditam. Hinc poterat etiam in his ipsis sermonibus ceteroquin brevissimis solum paucis commemorare dogma fundamentale de corpore Christi reali in Sacramento, et dein paulo amplius explicare significationem et fructum eius in membris Christi seu in fidelibus. Tria ibi distinguit, 1°. id quod *videtur,* h. e. speciem panis et vini; 2°. id quod *creditur* esse, videlicet corpus et sanguis Christi; 3°. id quod fide illa supposita *intelligitur,* scilicet esse illud corpus Christi non iam in eo statu et modo existendi quo natus est de Maria Virgine, versatus in terris, mortuus, resurrexit, ad coelos ascendit etc. sed in statu sacramentali, in quo est corpus Christi ipsum « mysterium » seu signum efficiens unionis fidelium cum Christo et inter se ad unum corpus morale (1). « *Quod ergo videtis,* panis est et calix, quod vobis etiam oculi vestri renuntiant. Quod autem *fides vestra postulat* instruenda, panis est *corpus Christi,* calix *sanguis Christi.* Breviter quidem hoc dictum est, quod *fidei forte sufficiat:* sed fides instructionem desiderat; dicit enim propheta, nisi credideritis, non intelligetis. Potestis enim modo dicere mihi: praecepisti ut credamus, *expone ut intelligamus....* Corpus ergo Christi si vis *intelligere,* audi Apostolum dicentem fidelibus: vos autem estis corpus Christi et membra. Si ergo vos estis corpus Christi et membra, *mysterium vestrum* in mensa Dominica positum est, *mysterium vestrum* accipitis. Ad id quod estis, *Amen* respondetis et respondendo subscribitis. Audis enim: Corpus Christi; et respondes: *Amen.* Esto membrum corporis Christi, ut verum sit *Amen* » etc. Serm. 272. Fere eadem habet serm. 227. 229 cf. etiam de Civ. Dei l. XX. c. 25. n. 2. Prolixam horum sermonum explicationem vide, si vacat, apud Hardui-

(1) A SS. Patribus Augustino, Gregorio Magno etc. res et facta in Scripturis considerari solent dupliciter, 1° ut res in se sunt, ad quas refertur *fides;* tum 2° quatenus aliud significant, et sub hac ratione est rerum *intellectus.* « Domini quippe facta non sunt tantummodo facta sed signa. Si ergo signa sunt, praeter in quod mira sunt, aliquid profecto significant; quorum factorum significationem invenire aliquando est operosius quam ea legere vel audire » August. in Io. tract. XLIX. n. 2.

num de Sacr. altar. c. 10. p. 118. seqq.; Du Perron Refutatio etc. c. 9.

IV. Postremo ad dicta quaedam Augustini rite intelligenda magni refert animadvertisse eius modum sentiendi et loquendi de manducatione corporis Christi. Distinguit enim 1°. manducationem mere sacramentalem citra effectum, et manducationem coniunctam cum effectu. « Hoc totum, inquit, (quod Dominus dixit Io. VI.) ad hoc nobis valeat, ut carnem Christi et sanguinem Christi *non edamus tantum in Sacramento*, quod et multi mali, sed *usque ad spiritus participationem manducemus et bibamus*, ut in Domini corpore tamquam membra maneamus » In Io. tr. XXVII. n. 11. « Tunc vita unicuique erit corpus et sanguis Christi, si quod *in Sacramento visibiliter sumitur, in ipsa veritate spiritualiter manducetur, spiritualiter bibatur* » Serm. 131. n. 1. Iam vero Christus cum praecepit sui corporis manducationem et promisit manducantibus gratiam ac vitam aeternam, hunc solum modum manducationis, quocum effectus coniunctus est, prae oculis habuit. « Illud quod ait: qui manducat carnem meam et bibit sanguinem meum, in me manet et ego in illo, quomodo intellecturi sumus? Numquid etiam illos hic poterimus intelligere, de quibus dicit Apostolus, quod iudicium sibi manducent et bibant, *cum ipsam carnem manducent et ipsum sanguinem bibant?*... Non ergo quocumque modo quisquam manducaverit carnem Christi et biberit sanguinem Christi, manet in Christo et in illo Christus, sed *certo quodam modo, quem modum utique ipse videbat, quando ista dicebat* » Serm. 71. n. 17. Quapropter licet innumeris locis affirmet, etiam malos sumere corpus Christi, sed sibi ad iudicium, ut e. g. de Baptism. l. V. c. 8.; aliquando tamen negat peccatores manducare corpus Christi, ut De Civ. Dei l. XXI. c. 25. n. 3; in Io. tr. XXVI. n. 18; scilicet negat, peccatores manducare eo modo, quem Christus in suo praecepto spectabat; nam hoc a Domino commendatum « manducare refici est, hoc bibere quid est nisi vivere? » Serm. 131. n. 1; et « signum quia manducavit (isto modo), hoc est, si manet et manetur, si habitat et inhabitatur, si haeret ut non deseratur » in Io. tr. XXVII. n. 1.

Hinc ulterius aliquando effectus ipse, ipsa scilicet unio cum Christo per gratiam ab Augustino dicitur manducatio et potio corporis ac sanguinis Christi. Vide de peccator. meritis et remiss. l. I. c. 30; contr. duas epp. Pelagianor. l. II. c. 4. n. 7; ep. 186. n. 28. 29 ad Paulin; in Io. tr. XXVI. n. 15. 17-19. Haec autem manducatio, sufficienter iam facta in baptismo atque perfectior completa per sacramentum Eucharistiae illa est, quae absolute necessaria esse docetur ad vitam aeternam tam ab Augustino, quam ab aliis Patribus (cf. Innoc. I. ep. 25. ad Concil. Milevitan.; Gelas. I. ep. 3. ad Episcopos Piceni. Harduin. Coll. Concil. T. I. p. 1029; T. II. p. 890). Vide sup. p. 27. Hunc in sensum explicat S. Fulgentius absolutam necessitatem manducandi et bibendi corpus ac sanguinem Domini, tum quatenus ea deducatur ex verbis Christi Io. VI., tum quatenus ab aliis Patribus et nominatim a S. Augustino asseritur. « Nullus, inquit, debet moveri fidelium in illis, qui etsi legitime sana mente baptizantur, praeveniente velocius morte carnem Domini manducare et sanguinem bibere non sinuntur, propter illam videlicet sententiam Salvatoris qua dixit: nisi manducaveritis etc... Quod quisquis non solum *secundum veritatis mysteria* (secundum manducationem sacramentalem in actu), sed *secundum mysterii veritatem* (secundum rem significatam et efficiendam per sacramentum) considerare poterit, in ipso lavacro sanctae regenerationis hoc fieri providebit. Quid enim agitur sacramento sancti baptismatis, nisi ut credentes membra Domini nostri Iesu Christi fiant?... *Qui ergo membrum corporis Christi fit, quomodo non accipit quod ipse fit* (i. e. quomodo non unitur Christo tamquam capiti, cum fiat membrum eius corporis mystici?), quando utique fit verum corporis (mystici) membrum, cuius corporis est in sacrificio sacramentum (i. e. cuius corporis mystici symbolum et uniens causa est ipsum Christi corpus sacramentale)... Quod etiam SS. Patres indubitanter credidisse ac docuisse cognoscimus. » Inserit deinde totum sermonem Augustini ad infantes, qui in ed. Maurina est 272, et concludit: « Arbitror non cuiquam esse aliquatenus ambiguum, tunc unumquemque fidelium *corporis sanguinisque Dominici*

participem fieri, quando in baptismate membrum corporis Christi efficitur, nec alienari ab illo panis calicisve consortio (a consortio et participatione Christi), etiamsi antequam panem illum comedat et calicem bibat, de hoc saeculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat » S. Fulgent. ep. 12. ad Ferrand. diacon. n. 24-26. Hoc etiam sensu manducationis spiritualis et spectato effectu, qui est finis sacramenti, dicit Augustinus, Israelitas in deserto eandem ac nos escam manducasse, eundem potum bibisse; nam tum eadem illis ac nobis necessaria erat et offerebatur gratia unionis cum Deo, tum idem ibi erat Christus in figura, qui nobis datur in se ipso. Vide in Io. tr. XXVI. n. 12; serm. 352. n. 3. etc.

Praeterea 2°. Patres etiam alii et Augustinus nominatim manducationem *proprie dictam* vel manducationem corporalem intelligunt quandoque manducationem communem cum omnibus functionibus animalibus scissionis, attritionis dentium, gustus sensualis, digestionis, quam sibi fingebant Iudaei Io. VI.; unde dici solet manducatio *capharnaitica.* Hoc sensu Cyrillus Hierosolymitanus Catech. myst. IV. n. 4.; Cyrillus Alexandrinus in Io. l. IV. p. 374. quibus nemo disertius realis et substantialis corporis Christi manducationem in Eucharistia docere potest (cf. th. VIII.), reiiciunt tamen *manducationem carnis* σαρκοφαγιαν. Et Tertullianus postquam dixit: « caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur » de Resurrect. carnis c. 8. nihilominus in eodem libro c. 37. ait, sermonem Christi Io. VI. durum visum esse Iudaeis, « quasi vere carnem suam illis edendam determinasset. » Simili ratione S. Augustinus de doctr. christ. l. III. c. 16. n. 24. docet in verbis Christi, quibus iubet manducari suam carnem et bibi sanguinem, esse *figuram;* quia si absque figura acciperentur, Christus « facinus vel flagitium videretur iubere » (cf. sup. pagg. 30. 31.). Excludit itaque Augustinus eam manducationem carnis Christi, quae esset flagitium et quam declarat in Io. tr. XXVII. n. 2: « non crediderunt (Capharnaitae) aliquid magnum dicentem et verbis illis aliquam gratiam cooperientem, sed prout vo-

luerunt ita intellexerunt, et *more hominum*, quia poterat Iesus aut hoc disponebat Iesus carnem, qua indutum erat Verbum, *velut concisam distribuere* credentibus in se » (cf. ib. n. 3. 5.; in Ps. XCVIII. n. 9; serm. 131. n. 1.).

Non excludi autem ab Augustino manducationem sacramentalem, patet ex ipsis verbis negantibus solum manducationem flagitiosam et ex locis plurimis, ubi verba Christi Io. VI, quibus hîc figuram subesse dicit, declarat dissertissime de manducatione reali corporis Christi in Sacramento: « Cum Dominus dicat: nisi manducaveritis carnem meam et biberitis meum sangninem, non habebitis in vobis vitam; quid sibi vult, quod a sanguine sacrificiorum, quae pro peccatis offerebantur, tantopere populus prohibetur, si illis sacrificiis unum hoc sacrificium significabatur, in quo vera fit remissio peccatorum, a cuius tamen sacrificii sanguine in alimentum sumendo, non solum nemo prohibetur sed ad bibendum potius omnes exhortantur (passive), qui volunt habere vitam »? Quaest. in Lev. q. 57. n. 4. Porro cum adversarius Legis veteris facta quaedam et dicta veteris Testamenti obiiceret ut polygamiam Abraham, quae ei turpia videbantur, Augustinus ea et in se vera esse fatetur, simulque defendit illa in se ipsis non reprehendenda esse, quia a Deo ordinata erant, et figuras fuisse rerum spiritualium. Ad hoc autem declarandum inducit ex novo Testamento mandatum Christi, ut manducemus eius carnem et bibamus eius sanguinem, quod quamvis flagitium videbatur Iudaeis, tamen reipsa fit; non solum enim illa verba Christi fideli corde, sed iuxta illa verba Christum ipsum *fideli ore* suscipimus ad effectum spiritualem. Qui sane est praeclarissimus commentarius ab ipso Augustino suppeditatus ad illustrandum locum obscuriorem ex l. III. de doctr. christ. « Eat plane iste retro, inquit, cum suis similibus sociis qui dixerunt: durus est hic sermo, quis eum potest audire (Io. VI, 61.). Nos autem et intelligamus duo Testamenta in duobus filiis Abrahae duabusque mulieribus; sicut duos in carne una, Christum et Ecclesiam, istis nolentibus, sine ulla obscoenitate cognoscimus; *sicut mediatorem Dei et hominum hominem Christum Iesum car-*

nem suam nobis manducandam bibendumque sanguinem dantem fideli corde atque ore suscipimus, quamvis horribilius videatur humanam carnem manducare, quam perimere, et humanum sanguinem potare, quam fundere » contr. adversar. Legis et Prophetar. l. II. c. 9. n. 33. Vide Du Perron Refutatio. etc. c. 10.; Perpetuit. Fidei T. III. l. VI. c. 7.

Corollarium. Ex dictis in thesi n. II. 2. intelligitur, quo modo nonnulli homines catholici saec. IX absque errore in fide potuerint contendere, non recte dici in Eucharistia esse idem corpus Christi, quod natum est de Maria Virgine. Cum scilicet Paschasius in suo libro de corpore et sanguine Domini ita locutus fuisset allato etiam testimonio S. Ambrosii (de myster. c. 9.); aliquibus ut Ratramno, Rhabano, duobus Anonymis Gemplacensibus (quorum unum Mabillonius putat esse ipsum Rhabanum), tum saec. X Herigero (Anonymo Cellotiano) modus hic loquendi visus est novus et inauditus; in quam sane opinionem non venissent, si plurium omnino SS. Patrum dicta perspecta habuissent (Vid. th. VIII.). Opponebant itaque contra Paschasium, a S. Hieronymo dupliciter, a S. Augustino etiam tripliciter Christi corpus dici, atque ideo non simpliciter corpus Christi in Eucharistia esse dicendum idem corpus, quod natum est de Maria Virgine. Attamen et ipsi fatebantur, vere ac realiter in Eucharistia esse corpus et sanguinem Domini. Ut ergo distinctionem illam Hieronymi et Augustini declararent, et salvo dogmate impugnarent modum loquendi Paschasii, quem ipsi licet falso novum putabant, dicebant, esse quidem corpus Christi natum ex Maria Virgine et corpus Christi in Eucharistia *idem naturaliter* non tamen idem *specialiter*. « Hoc profecto fidelissime confirmo, inquit unus ex duobus Anonymis (Rhabanus), quod sicut veritas est Christus et vere agnus Dei, qui quotidie pro vita mundi mystice immolatur; ita procul dubio ex pane vera caro, et ex vino verus sanguis eius consecratione Spiritus Sancti potentialiter (potentia divina) creatur ». Tum commemorata distinctione, quod iuxta Augustinum corpus Christi tripliciter dicitur, subdit: « manifestissime cognoscetis, *non quidem quod absit, naturaliter,* sed *specia-*

liter aliud esse corpus Domini quod ex substantia panis ac vini pro mundi vita quotidie per Spiritum Sanctum consecratur, et aliud *specialiter* corpus Christi, quod natum est de Maria Virgine, in quod illud transfertur. » Pariter Anonymus alter: « *Aliud specialiter* corpus Domini, quod glorificatum sedet ad dexteram Dei, et *tamen naturaliter unum est,* ipso Domino dicente: hoc est corpus meum etc. » Mabillon Acta SS. Ord. S. Benedicti T. VI. p. 593. 596 et ibid. Praefat. n. 51 seqq.

Quando dicunt *naturaliter* esse unum corpus Christi, quod natum de Maria Virgine et quod est in Eucharistia, *specialiter* vero esse aliud, non possunt alio modo intelligi, quam quod unum agnoscunt secundum substantiam, et diversitatem asserunt secundum *species visibiles* et secundum modum existendi unum connaturalem, alterum sacramentalem. Insistebant huic distinctioni eo magis, quod videntur adscripsisse suis adversariis sententiam, quasi hi ipsas species visibiles putassent esse corpus Christi. Ratramnus enim (nescio quam recte) quaestionem cum suis adversariis hanc esse ait: « utrum (Eucharistia) aliquid secreti contineat, quod oculis fidei solummodo pateat, an sine cuiusque velatione mysterii hoc aspectus intueatur corporis exterius, quod mentis visus inspiciat interius, ut totum quod agitur, in manifestationis luce clarescat » Vide Mabillon in praefat. cit. n. 91. (Exstat haec praefatio etiam in Thesauro Zaccariae T. X. P. II. opuscul. 13.).

Scholion. Quod apud Tertullianum contr. Marcion. I. c. 14. Christus dicitur « pane corpus suum repraesentare, » posset utique eadem distinctione duplicis modi existendi explicari, quam in thesi satis declaravimus; sed quia Tertulliano vox *repraesentare* saepissime idem significat ac *praesens sistere,* ut contr. Marc. IV. c. 9.; V. c. 12.; de Resurrect. carn. cc. 14. 17. 23. 63, hic sensus sine dubio est genuinus, quo etiam Graecis solemne est *ἀναδειξαι, ἀποφαινειν το σωμα.* Cf. S. Hieronym. in Matth. XXVI. 26. T. VII. p. 216.

THESIS XI.

Totus Christus sub utravis specie et sub quavis parte specierum realiter praesens est.

« Totus Christus sub utravis specie, et totus sub quavis parte spe » ciei panis vel vini praesens credendus est, sub partibus quidem se- » paratis ex diserta Conciliorum definitione, sub partibus etiam continuis » ante separationem ex manifesta ratione theologica. Ad modum porro » existendi sacramentalem quadamtenus declarandum pertinet, quod ad » distinctionem a modo existendi connaturali Sancti Patres corpus Chri- » sti in Eucharistia appellare solent *spirituale*, *spiritualemque* sangui- » nem. Vix enim mens fide illustrata mirabilem hunc ac supernatura- » lem existendi modum aliter concipere posse videtur quam *ad analo-* » *giam modi existendi spirituum.* Sub visibili quippe symbolo Christus to- » tus in toto et totus in singulis partibus praesens est. Unde neces- » sario corpus Christi concipi debet in ordine aliquo altiori modi exi- » stendi supra leges naturales, quibus corpora subsunt tum quoad ex- » tensionem in spatio tum quoad restrictionem suae praesentiae ad unum » locum. »

I. Totum Christum praesentem esse sub utravis specie, 1°. continetur iam implicitum in ipsis verbis consecrantibus: hoc est *corpus meum;* hic est *sanguis meus*, ut dogma de quo agimus, his ipsis verbis revelatum censeri debeat, et simplici consideratione rei significatae per verba *corpus meum, sanguis meus* intelligi possit. Dum enim dicitur hoc est *corpus meum,* hic est *sanguis meus*, intelligitur sub speciebus panis esse *illud ipsum unum numero corpus,* et sub speciebus vini esse *illum ipsum unum numero sanguinem*, quod tum, quando verba dicuntur, est corpus Christi *cum omnibus suis perfectionibus intrinsecis,* et qui tum est sanguis Christi pariter *cum omnibus suis perfectionibus intrinsecis*, solo modo existendi diverso, qui sub symbolis panis et vini est sacramentalis sub specie aliena mox explicandus, extra sacramentum est connaturalis in propria specie. Atqui corpus Christi nunc quando verba dicuntur, est corpus humanum cum suo sanguine, informatum et vivificatum sanctissima Christi anima, unitum hypostatice Verbo, atque adeo est pars actualis et iam inseparabilis totius humanae naturae Christi, inseparabiliter unitae Ver-

bo ut hypostasi cuius est natura. Ergo nunc, quoties per illa verba significatur et efficitur praesens sub speciebus panis *hoc* corpus Christi, praesens efficitur corpus cum suo sanguine, informatum anima, hypostatice unitum Verbo i. e. efficitur praesens sub speciebus panis totus Christus. Idem omnino, ut patet, dicendum est de Christi sanguine et de verbis, quibus significatur praesentia sanguinis sub speciebus vini. Brevius idem dici potest: Verbis *hoc est corpus meum* significatur sub symbolo panis praesens corpus Christi, quod nunc est pars actu et pars inseparabilis totius Christi, habens suam perfectionem in toto et a toto, cuius est pars. Atqui dum praesens fit talis pars in toto, eo ipso praesens fit totum cuius est pars. Ergo dum sub specie panis praesens fit *hoc* corpus Christi, praesens fit totus Christus. Idem valet de Christi sanguine.

Distinctio inter *significationem* et *demonstrationem*, quam supra th. VI. p. 63. sq. agentes de pronomine *hoc* declaravimus, potest etiam hic applicari ad nomen *corpus meum*. *Significatio* est tantum *corporis Christi*, non autem *significatur* corpus cum sanguine aut absque sanguine, informatum vel non informatum anima; phrasis etiam complexa cum pronomine *meum* non vi verborum *significat* corpus hypostatice unitum Verbo (cf. Suarez disp. 51. sect. 6). At vero terminus, qui subest *demonstrationi*, est corpus *tale* ut tum exstat, quando verba dicuntur; adeoque *a*) ratione personae dicentis « *corpus meum* », et ratione unionis indissolubilis, verbis *demonstatur* semper et necessario corpus hypostatice unitum personae Verbi. *b*) In ultima coena *demonstrabatur* corpus vivum cum sanguine, informatum anima, sed adhuc mortale, nunc autem *demonstratur* idem corpus cum sanguine et anima iam glorificatum. *c*) In triduo mortis Christi verba « *corpus meum* », *demonstrassent* corpus exsangue, inanimatum, sed unitum hypostasi Verbi; altera « *sanguis meus* », *demonstrassent* sanguinem separatum a corpore, qualis tum erat, Verbo hypostatice unitum (1). Iam

(1) Aliqui Scholastici veteres opinabantur quidem, sanguinem in triduo mortis non fuisse unitum hypostasi Verbi, cuius sententiae refutationem vide apud Vasquez in 3. P. T. I. disp. 36. c. 3 sqq. et apud ce-

vero quia verba sunt efficacia secundum modum, quo significant, patet *vi verborum* praesens fieri id, quod *significant*, adeoque corpus sub speciebus panis, sanguinem sub speciebus vini; quae vero cum illo significato sunt inseparabiliter unita, ea subsunt *demonstrationi* verborum, atque propter eam unionem fiunt praesentia *per concomitantiam* (Conc. Trid. sess. XIII. cap. 3. can. 1. 3.).

Confirmatur 2°. eadem veritas ex verbis promissionis Io. VI. Declarat enim Dominus, dum manducatur caro et bibitur sanguis eius, manducari *ipsum Christum*: « Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem .... qui manducat *me* » Io. VI. 57. 58. (Cf. supra p. 28.). Hinc etiam Apostolus promiscue ponit tum *coniunctive* « manducare panem hunc *et* calicem bibere », tum *disiunctive* « manducare panem hunc *vel* bibere calicem Domini » 1. Cor. XI. 26. 27.

3°. Explicatum est idem in constanti praedicatione ecclesiastica et perpetua traditione. Vide sententias Patrum et liturgiarum in th. VIII. relatas additis testimoniis Augustini (p. 134. 140.), quibus praedicatur in Eucharistia esse *corpus Christi vivum*, *corpus cum sanguine sub utravis specie*, *corpus unitum divinitati*, *corpus idem quod sedet ad dexteram Patris, totus Christus*. Huc etiam pertinet constans doctrina, quod corpus Christi in Eucharistia prorsus est incorruptibile et indivisibile, nec aliud est in Sacramento quam ipse ille Christus, qui regnat in coelis; atque ideo divisionem non nisi ratione symbolorum posse intelligi, in quorum partibus idem est Christus totus in singulis ὅλος ἐν ὅλοις (vide citatos Patres th. VIII. p. 84. 98. 107. etc.

In controversia, quam alias commemoravimus, labente saec. XII. Constantinopoli excitata dogma de cor-

teros Scholasticos. Vasquez cum aliis hanc fert censuram: « Ego vero existimo usque adeo verum esse, sanguinem humanitatis Christi non solum primarie fuisse unitum Verbo Dei hypostatice, dum viveret Christus, sed etiam in triduo, quando sanguis effusus fuit, atque post resurrectionem hoc etiam modo permanere, ut oppositum asserere notam temeritatis et erroris digne mereatur » ib. c. 4.

poris Christi in Eucharistia incorruptibilitate praeclaris Patrum testimoniis confirmatum est, quae omnia etiam valent ad praesentiam totius Christi sub utravis specie et sub quavis speciei panis vel vini particula demonstrandam. « Aiebant (defensores dogmatis), incorruptibile esse (corpus Christi in Eucharistia) iuxta magnum in theologia Cyrillum, quod, *quamcumque partem quis accipiat, suscipit illum totum quem Thomas palpavit;* et vero manducari Christum *iam resurrectione glorificatum*, ut aureus lingua Ioannes testatur sequentibus: o rem miram, *qui ad dexteram Patris sedet,* in nostrûm peccatorum manibus invenitur. Rursum: floruit in lege, crevit in prophetis, maturuit in cruce, *comeditur post resurrectionem.* Ad haec.... *immortale Dei corpus* nostris corporibus susceptum, totum in se transmutat et transfert. Item alii luminaris Ecclesiae Eutychii illa proferebant: *integrum igitur ac totum corpus et pretiosum sanguinem Domini accipit homo, etiamsi horum partem quis acceperit; distribuitur enim impartibiliter* per immixtionem (intimam coniunctionem) in omnibus, sicut et sigillum unum omnes suas expressiones et formationes communicat rebus recipientibus eas, et unum manet etiam post communicationem, neque minutum neque mutatum in iis, in quibus expressum est, etiamsi plura sint (1). Vel etiam sicut vox una a quopiam emissa atque in aerem fusa, tota manet et in eo qui illam profert et tota per aerem auribus omnium incidit, nemine audientium plus vel minus altero percipiente, sed tota est indivisa et integra in omnibus, etiamsi decem millia vel plures sint audientium. *Nemo igitur dubitationem admittat, ne forte post mysticam sacrificationem et sanctam resurrectionem incorruptibilis et immortalis et sacer et vivificus sanguis Domini, per consecrationes antitypis impositus, minus quam praedicta exempla*

(1) **Eutychii verba graeca sunt:** όλον ὀυν το άπαν άγιον σωμα και το τιμιον άιμα του κυριου δεχεται, κἀν ἐι μερος τις τουτων δεξηται. μεριζεται γαρ ἀμεριστως ἐν άπασι δια την ἐμμιξιν, καθως και σφραγις μια παντα τα ἐκτυπωματα ἀυτης και μορφωματα τοις μεταλαμβανουσιν μεταδιδωσι, και μια μενει και μετα την μεταδοσιν, ὀυκ ἐλαττουμενη ὀυδε ἀλλοιουμενη προς τα μετεχοντα, κἀν ᾗ τῳ ἀριθμῳ πλειονα κ. λ.

*

suas exserat virtutes ; sed totus in omnibus et singulis (antitypis) reperitur (1) ». Apud Nicetam Choniat. in Alexio Comnen. l. III. p. 333.

II. Porro quisque facile videt, eadem fere argumenta quibus totus Christus praesens esse probatur sub alterutra specie panis vel vini, etiam demonstrare eiusdem Christi Domini praesentiam sub singulis specierum partibus. Imprimis in ipsa institutione Christus Dominus divisit consecratas species panis et vini Apostolis. Si quis contendat, Christum Dominum ante consecrationem panem fregisse, saltem quoad calicem evidens est, ex eo consecrato singulos bibisse. Singuli autem sub utravis specie ex dictis susceperunt totum Christum. Ergo totus praesens est sub singulis partibus specierum, saltem separatione facta. Idem demonstratur ex constanti et perpetua praxi totius Ecclesiae inde ab illa ultima coena et a temporibus apostolicis. Quoniam ad usum practicum satis est novisse praesentiam Christi sub singulis specierum partibus *separatione facta,* et sub hac saltem addita restrictione dogma in ipso facto ultimae coenae et in universali ac perpetua praxi et in solemni attestatione omnium liturgiarum immediate continetur; Concilia quoque Florentinum (decret. pro Armenis) et Tridentinum (sess. XIII. can. 3.) sub eadem saltem restrictione dogma fidei definiverunt.

Ceterum fundamenta doctrinae sunt huiusmodi, ut in dogmate realis praesentiae etiam praesentia in singulis partibus speciei continuae et ante separationem implicite revelata censeri debeat. Hinc theologi aliqui cum Dominico Soto putant, contrarium asserere esse haeresim; alii tamen melius, inquit Vasquez, negant esse hanc sententiam haereticam, quamvis sit erronea vel errori proxima. Quam censuram hac ratione confirmat: « ego vero existimo id, quod diximus de partibus ante separationem, non esse ab

(1) Μηδεις ὀυν ἀμφιβολιαν ἐχετω, το ἀφθαρτον μετα την μυστικην ἱερουργιαν και την ἁγιαν ἀναστασιν και ἀθανατον και ἁγιον και ζωοποιον ἁιμα του κυριου τοις ἀντιτυποις ἐντιθεμενον δια των ἱερουγιων, ἐλαττον τον προειρημενων παραδειγματων τας ὀικειας ἐναπομοργνυσθαι δυναμεις, ἀλλ' ὁλον ἐν ὁλοις ἑυρισκεσθαι.

Ecclesia usquam tamquam de fide definitum, et ita illud negare non esse haeresim manifestam, esse tamen non solum temerarium sed etiam errorem, eo quod optima ratione ex principiis fidei eam negantes ad absurdum deduci possint. » Vasquez disp. 188. c. 3. n. 16; Suarez disp. 52. sec. 2; Lugo disp. 8. sect. 3. n. 41. Imo Concilium Tridentinum ipsum quamvis in citato can. 3. addat illam restrictionem « separatione facta, » in cap. 3. tamen eiusdem sess. XIII. simpliciter docet: « totus et integer Christus sub panis specie et *sub quavis speciei parte,* totus item sub vini specie et *sub eius partibus* existit. »

Sane verbis Christi: hoc est corpus meum; hic est sanguis meus, directis ad panem et vinum, significatur et efficitur, ut sub ea specie, sub qua hucusque erat et nostrae cognitioni exhibebatur substantialis natura panis ac vini, iam sit et nostrae cognitioni fidei exhibeatur corpus et sanguis Christi, atque iuxta dicta superius totus Christus. Atqui natura panis et vini sub quavis parte speciei exhibetur, sive ea sit continua cum aliis partibus sive separata. Insuper in verbis Domini « panis quem ego dabo caro mea est », et in verbis Apostoli « panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? » caro Christi et consequenter totus Christus dicitur *panis,* quatenus in statu cibi continetur *sub specie panis.* Unde ita concluditur: de quacumque parte symboli consecrati verificatur designatio « *hic panis* », « *panis quem Christus dat in cibum animae* »; sub ea etiam praesens est caro Christi et consequenter totus Christus. Atqui ea designatio verificatur de quavis parte symboli sicut post ita etiam ante separationem. Ergo sicut sub quavis parte symboli separata, ita sub quavis parte continua totus Christus continetur. Praeterea separatione facta contineri totum Christum sub singulis partibus separatis, fide certum est ex dictis. At praesentiam Christi non efficit separatio specierum sed verbum consecratorium; si ergo hoc verbum non efficit, ut totus Christus praesens sit sub singulis partibus continuis, neque esset praesens sub iisdem separatione facta.

Maneat igitur omnino indubitatus hic mirabilis existendi modus Christi Domini in Eucharistia, quo sicut anima in toto corpore informato et in singulis eius partibus substantialiter praesens est, ita corpus et sanguis Christi ac consequenter totus Christus substantialiter praesens est sub toto symbolo et sub singulis partibus specierum panis et vini. Hoc est quod ait S. Thomas 3. q. 76. a. 3: « Corpus Christi est in hoc sacramento per modum substantiae, id est per modum quo substantia est sub dimensionibus... Manifestum est autem, quod *natura substantiae* (homogeneae) tota est sub qualibet parte dimensionum, sub quibus continetur, sicut sub qualibet parte aëris est tota natura aëris, et sub qualibet parte panis est tota natura panis; et hoc indifferenter sive sint dimensiones actu divisae vel etiam sint actu indivisae, divisibiles vero potentia ».

Eo ipso quod corpus Christi et totus Christus praesens est sub singulis partibus specierum, etiam consequitur, esse *totum in toto symbolo et totum in singulis partibus,* ut iam diximus. Huius tamen locutionis sensus explicatione indiget. Tria scilicet per illam dicuntur: *a*) nulla est totius symboli pars sub qua corpus Christi non sit praesens, sub unaquaque vero parte symboli non est solum pars corporis, sed totum corpus Christi. Excluditur ergo imprimis ille modus existendi connaturalis corporibus, quo totum corpus est in toto spatio sibi commensurato et pars in parte. *b*) Sicut anima in corpore informato est ut *in uno toto,* ita corpus Christi est sub speciebus continuis ante divisionem partium symboli sicut *in uno toto.* Hinc *c*) sicut eo ipso quod anima informat corpus, exigitur ut informet omnes partes, atque adeo praesentia eius in una parte exigit praesentiam in aliis partibus, et tamen omnes illae informationes partium constituunt unam informationem adaequatam totius corporis, quia corpus unum est; ita eo ipso quod corpus Christi praesens est sub toto symbolo, exigitur (iuxta actualem institutionem) ut praesens sit sub omnibus partibus symboli; sed praesentia haec est *una continua,* non plures praesentiae adaequatae et invicem independentes. Quamvis ergo demonstrata quavis parte debeat affirmari

Christi praesentia, non tamen potest dici Christus praesentiâ adaequatâ pluries praesens esse *in symbolo,* quatenus *unum totum* est, sicut anima praesens in singulis partibus corporis humani non ideo praesentiâ adaequatâ pluries praesens est *in toto corpore.* Ita S. Thomas post declarationem paulo ante citatam, quod corpus Christi est sub speciebus per modum substantiae totum in toto et totum in singulis partibus, subiicit: « numerus sequitur divisionem; et ideo quamdiu quantitas manet indivisa actu, neque substantia alicuius rei est pluries sub dimensionibus propriis, neque corpus Christi sub dimensionibus panis, et per consequens neque infinities, sed toties in quot partes dividitur » 3. q. 76. a. 3. ad 1; 4. dist. 10. q. 1. a. 3. sol. 3. ad 1. Confer Card. De Lugo disp. 5. sect. 7. n. 168, 169; praesertim vero Lessium de perfect. divin. l. XII. c. 16. n. 124. 126.

III. Iam hic modus praesentiae est omnino analogus modo praesentiae spirituum; nec alia ratione quam secundum hanc analogiam a nobis concipi aut declarari potest. Sane SS. Patres prae oculis habentes statum modumque existendi sacramentalem in comparatione ad existendi modum naturalem, propter modum illum supernaturalem, nullis sensibus pervium et praesentiae spirituum analogum appellant corpus Christi, formaliter ut existit in Sacramento, *corpus intelligibile* (νοητον) Chrysost. in Matth. hom. 83. n. 4; Hesychius in Lev. lib. II. ad c. 8; l. VI. ad cap. 22; *cibum et potum incorporeum* S. Ephrem serm. 10. de Fide (apud P. de Benedictis in Antirrhetico Opp. S. Ephrem T. II. p. 11, si tamen vera est Petri Benedicti explicatio cf. Asseman. Bibl. Orient. T. I. p. 101) cf. Macar. Aegypt. hom. 27. n. 17. Galland. Bibl. VII. p. 108; *agnum spiritalem* Liturgiae apud Murator. T. I. p. 205. cf. Cyrill. Hierosol. Cat. myst. V. n. 6; *corpus spiritale, sanguinem spiritalem* Clem. Alexand. Paedagog. l. II. c. 2; S. Ambros. de myster. c. 9; S. Hieronym. in Ephes. I. 7; Lanfranc. de corp. et sang. Domini c. 14. et ex eo Algerus l. I. c. 18.

Huic itaque rationi concipiendi mysterium insistendum est. Unde imprimis patet, hunc modum praesentiae sicut

non est obiectum sensuum, ita nec posse esse obiectum imaginationis, nec posse velut secundum leges mechanicas intelligi aut explicari, supra quas corpus Christi in Eucharistia omnino elevatum et exemptum est. Quis umquam conabitur colores auditu et sonum visu percipere, cum non horum sensuum illa sint obiecta? Sine dubio igitur falluntur, qui hîc ut imaginationi aliquatenus satisfaciant, sufficere putant explicationes repetitas ex compenetratione elementorum materialium quibus corpus physice componitur, sive iam ea elementa physica dicant atomos extensione aliqua non carentes, sive entia materialia simplicia absque ullis partibus extra partes. Altiori sane modo et magis spiritali supra physicas leges materiae haec praesentia concipienda est. Iam ex charismatibus, quae Deus adhuc in hac vita mortali aliquando per intervalla velut ex anima sanctificata transfundit in corpora Sanctorum, multo magis ex dotibus communicandis corporibus glorificatis, et quod etiam propius ad rem pertinet, ex communicationibus et quodammodo dimanationibus a gloriosa anima Christi atque in supremo fastigio ab ipso Verbo in suum sanctissimum corpus assumptum; ex his inquam plane discimus, supra hunc infimum ordinem materialem esse quemdam ordinem supernaturalem, ad quem etiam corpora elevari possint, et in quo, quin desinant esse corpora, participent tamen miras quasdam spirituum proprietates. Cf. 1. Cor. XV. 42. sq. Non haec ideo commemoro, quasi cum istis corporum dotibus, quae « glorificationem » constituunt vel ex ea connaturaliter sequuntur, eiusdem rationis essent prodigia ad statum corporis sacramentalem pertinentia; possunt tamen priores illae ad modum existendi et agendi supernaturalem corporum elevationes nos manuducere, ut « cognitione per fidem illustrata » (Conc. Trid. sess. XIII. cap. I.) facilius assequamur, dari etiam, si ita loqui fas est, divinam quandam et supernaturalem mechanicam, qua corpus a connaturalibus relationibus ad locum et ad spatium eximatur, et in modo suam praesentiam exhibendi imitetur modum existendi spirituum.

Analogia postulat et similitudinem et diversitatem. Similitudo cum modo existendi spirituum, quam corpus

sequitur in sua praesentia sacramentali, in eo est, quod *a*) totum est in toto symbolo et totum sub singulis partibus; quod propterea *b*) non existit per modum extensi ad spatium, sed *modo indivisibili,* h. e. ita ut nullae possint assignari partes divisibiles spatii, quibus diversae partes corporis respondeant, sed totum corpus cum omnibus suis partibus habeat prorsus unam eandemque indivisibilem, nulli extenso spatio commensuratam praesentiam (1). Habet

(1) Nemo forte accomodatius mirabilem hanc analogiam descripsit, quam Lessius vir sapientia et eloquii facilitate non magis quam pietate insignis: « Quartum miraculum, inquit, est modus existendi spiritualis ipsius corporis cum omnibus suis corporalibs qualitatibus sub speciebus panis et vini. Corpus enim cum tota sua mole (intellige substantiam non extensionem actualem) suisque qualitatibus divina virtute supra conditionem corporalem elevatur et accipit modum existendi spiritalem, quo veluti in punctum contrahitur et simul continue per speciem ita diffunditur, ut instar substantiae spiritalis sit totum sub tota specie panis et totum sub singulis eius partibus, sicut anima rationalis est tota in toto corpore et tota simul in singulis eius partibus, et natura angelica est tota in totius spatii (sibi competentis) complexu et tota in singulis spatii partibus. Duo enim ad modum essendi spiritalem, quem substantiae incorporeae habent, requiruntur. Alterum est, ut res tota sit veluti collecta in punctum indivisibile, ita ut nihil illius sit, quod in illo indivisibili non reperiatur. Si enim aliquid esset extra illud indivisibile, quod etiam intra illud non sit, haberet potius modum existendi rerum corporearum, quarum est habere partem extra partem, quam rerum spiritualium, quae totam entitatem suam in punctum indivisibile collectam obtinent. Alterum est, ut illud indivisibile continue sit extensum vel diffusum, non per partes, hoc enim est rerum corporalium, sed per suas, ut ita dixerim, totalitates, alioquin non posset aliquod spatium continuum simul totum et continuo modo occupare, quod etiam est contra modum existendi rerum spiritalium. Requiritur itaque, ut totum sit intra punctum indivisibile, et totum extra absque tamen discontinuatione. Utrumque hoc reperitur in modo existendi, quo corpus Christi existit in hoc sacramento; nam totum est sub quovis puncto indivisibili et totum est continue absque intercisione diffusum per totam specierum quantitatem, sicut substantiae spiritales sunt diffusae per totum spatium quod occupant. Valde stupendum et insolens est hoc miraculum, numquam alias factum, numquam faciendum extra hoc mysterium, ut res extensa per partes accipiat modum rerum spiritalium existendi inextense: et cum substantia et existentia sit corporalis, modus tamen essendi sit spiritalis. » Lessius De perfect. divin. l. XII. c. 16. n. 124.

tamen corpus in omnibus partibus spatii extensi praesentiam per se totum ita, ut in una parte posset cessare praesentia quin ideo cessaret in aliis, et ita potest dici habere plures praesentias in partibus spatii invicem divisibiles. In quo etiam sequitur analogiam animae in corpore extenso, vel angeli intra limites spatii sibi connaturales, in quibus potest suae substantiae praesentiam exhibere latius vel restrictius.

Diversitas autem huius modi praesentiae corporis a modo existendi spirituum satis per se patet. Spiritus enim nullas habet partes, secundum quas commensurari posset spatio extenso, unde et praesentia citra extensionem velut in puncto indivisibili et indivisibilitas subiecti ei essentialis est ex ipsa sua simplicitate (quatenus haec excludit partes extra partes); illa autem suae praesentiae velut diffusio intra certos limites spiritui naturalis est non vi ipsius simplicitatis, sed ex sua intrinseca spirituali virtute (1). Contra vero corpus essentialiter habet partes distinctas, quae connaturaliter exigunt modum existendi in distinctis partibus spatii, et nullam habet connaturalem virtutem exhibendi suam praesentiam extra singularem suum locum ac velut replicatam per continuum. Hinc manet in corpore, etiam dum existit supernaturali modo ut in sacramento, utraque illa naturalis exigentia in actu primo, licet hic et nunc non reducatur ad actum secundum; et quamvis in hoc sacramentali modo praesentiae existat citra extensionem *indivisibiliter* relate ad spatium, manent tamen absolute loquendo partes ad invicem divisibiles seu, ut dici solet, manet *divisibilitas subiecti*. Cf. S. Th. 4. dist. 10. q. 1. a. 3. sol. 3. ad 3.

(1) Dico hanc virtutem propriam spiritibus creatis esse distinctam et diversam a simplicitate per se spectata; profecto enim enti materiali simplici i. e. quod nullas habeat partes, quibus possit extendi in spatio, huic, inquam, enti licet simplici nulla probabili ratione possumus asserere alium naturalem modum existendi, quam ut sua substantia existat in puncto indivisibili absque ulla suae praesentiae extra hoc punctum diffusione. Si neges entium materialium simplicium existentiam, non multum nunc contendam; dummodo concedas eorum possibilitatem, quae sane est evidens.

Hic iam sistendum esset et simpliciter fatendum, Deum omnipotentem creatorem naturae rerum omnium quae sunt, et fontem supremum omnium legum, quibus reguntur, plura posse facere quam nos cogitando assequi (1), qua fere sola omnipotentiae Dei et ordinis rerum infirma nostra ratione superioris confessione SS. Patres uti solent ad praecidendas quaestiones de intrinseca rei possibilitate et natura (cf. supra p. 9.). Nihilominus prudens et sobria investigatio in intrinsecam naturam rei, quae sicut in aliis mysteriis ita etiam in hoc praelucente semper ac dirigente veritate revelata instituatur, non solum non reprehendenda est, sed etiam desideranda tum ad aliquam, quantum fieri potest, explicatiorem cognitionem mysterii, tum ad distinctiorem intelligentiam limitum humanae rationis, tum maxime ad necessariam defensionem dogmatis et clariorem solutionem difficultatum, quae opponi possunt; unde etiam haec inquisitio post exortam haeresim Berengarii a theologis catholicis amplius vel strictius semper est instituta et ab ipsa Tridentina Synodo non obscure videtur commendari sess. XIII. cap. 1.

Ad aliquam igitur ulteriorem explicationem veteres theologi Suarez, de Lugo, Ysambertus etc. iuxta communem sententiam docent haec, quae sequuntur. Imprimis fide certum est, Christum Dominum cum omnibus intrinsecis sanctissimae suae humanitatis proprietatibus, cum suo corpore et omnibus partibus corporis eundem esse in Eucharistia, qui est in coelo; « non enim duo sunt sed unum est corpus Christi » (vid. Patres th. VIII). Certum est etiam ex dictis, relationes partium diversarum ad spatium et ad diversas partes spatii in modo existendi sacramentali esse sublatas, adeoque non esse partes extra partes in ordine ad spatium, sed ubi est una pars ibi esse omnes partes et totum corpus. Iam quaeritur, quomodo in hoc modo existendi adhuc intelligi possit corpus et corpus organicum, cui essentiale est ut constet partibus extra partes certo ordine inter se

(1) What do I know of substance or matter? just as much as the greatest philosophers, and that is nothing at all. Dr. Newman p. 375, Apologia pro vita sua 1864.

connexis; seu distinctius quaeritur, quid sit dicendum in hoc existendi modo supernaturali de corporis quantitate, organismo, partium ordine ac figura.

Respondemus: distingui debere quantitatem, organismum, partium ordinem ut in se et intrinsece se habet, et dein ut refertur ad extensionem et situm in spatio. Iam 1° essentiale est corpori, ut plures habeat partes inter se distinctas, nec una sit alia. Tum quaevis pars et proinde totum corpus eius est naturae, ut quaevis pars a suo loco et spatio omnem aliam partem et generatim omne aliud corpus excludat. *Exigentia* huius exclusionis est corpori essentialis, non tamen *actualis exclusio* essentialis est; sed haec ex illa naturaliter quidem consequitur; ita tamen, ut si per divinam omnipotentiam hoc consequens seu hic effectus suspendatur, corpus in se non desinat esse eiusdem naturae; sicut igni essentialis est exigentia et aptitudo ad urendum, effectus tamen et actus secundus potest a Deo auctore naturae suspendi, quin desinat natura ignis. Haec partium distinctio et haec exigentia seu radix impenetrabilitatis, ut *naturâ* licet non *situ* pars sit extra partem, constituit corporis *quantitatem intrinsecam*. Actualis exclusio partis unius a loco partis alterius constituit extensionem extrinsecam ad spatium. Illa prior quae essentialis est, manet in modo exitendi sacramentali; unde corpus suae naturae permissum continuo etiam iuxta singularum partium exigentiam obtineret relationes ad spatium et extensionem sibi connaturalem. Actualis autem non essentialis exclusio partis unius a loco partis alterius a divina omnipotentia secundum constantem legem supernaturalem in hoc modo existendi suspensa est.

2°. *Organismus corporis intrinsecus* essentialiter postulat imprimis ut conditionem necessariam haec duo, quae diximus constituere quantitatem intrinsecam, et insuper tamquam rationem sui formalem habet, ut partes sint heterogeneae, et certo ordine ex ipsa sua natura ad se invicem referantur ad unum totum constituendum, et unionem exigant non mechanicam sed vitalem una cum altera immediatam, cum tertia mediatam, et sic porro. Haec intrinseca

omnium partium natura et unio corpori organico essentialis est, ea enim sublata adhuc concipere corpus organicum evidens esset contradictio. Ex hoc ipsius naturae organismo essentiali sequitur tamquam immediatus effectus correspondens *partium dispositio in spatio,* quae tamen a Deo salva intrinseca corporis natura impediri potest, ut diximus de extensione extrinseca. *Organismus intrinsecus* igitur corporis Christi aeque ac quantitas intrinseca manet in modo existendi sacramentali idem omnino, quem habet in coelo in modo existendi connaturali.

3[io]. Consequenter in corpore Christi secundum modum existendi sacramentalem est ordo et dispositio partium, figura ac pulchritudo, si haec sumuntur secundum partes et naturam partium in se ipsis. Si autem ordo sumitur secundum dispositionem in spatio ac situm localem, ita nec ordo est, nec figura et pulchritudo dispositionis extrinseca, neque tamen confusio; deest enim ipsum suppositum huius ordinis vel confusionis, situs scilicet ac dispositio partium corporis secundum diversas partes spatii (1): « dicendum, quod confusio opponitur ordini partium, qui pertinet ad rationem situs; et quia corpus Christi non est situaliter sub sacramento, ideo non sequitur ibi aliqua confusio partium

(1) « Excludit quidem hic modus existendi figuram extrinsecam et modum extensivum, quem Christi corpus habet in coelo secundum naturalem conditionem; haec enim dicunt ordinem et commensionem ad locum vel spatium. Non tamen excludit aliquid molis aut realis quantitatis illius corporis (nomine *molis* ne, quaeso, intelligas extensionem extrinsecam et quod physici dicunt *volumen*, sed intelligas substantiam et quam supra diximus quantitatem intrinsecam), nec figuram ut ita dicam intrinsecam (quam Suarez et de Lugo appellant figuram organicam), quae in temperamento et dispositione ac continuatione partium intrinseca, ex qua naturaliter resultat figura externa, sita est. Figura enim extrinseca est ab intrinseca rei partiumque dispositione maxime in viventibus, non ab extrinseca tantum formatione ut in statuis signisque sculptis vel fusis. Est igitur ibi corpus Christi sine partium commixtione aut confusione. Etsi enim omnes simul et in eodem puncto sint, quaelibet tamen retinet suum temperamentum, suam unionem, suam connexionem, suum ordinem, et omnem internam dispositionem quae a respectu et commensione loci non pendet » Lessius l. c.

ex hoc, quod in quolibet signato hostiae est totum corpus Christi et quaelibet pars eius. Quamvis enim non sit accipere ordinem partium corporis Christi secundum comparationem ad partes hostiae, tamen est accipere ordinem ipsarum partium ad invicem in corpore Christi secundum propriam (intrinsecam) quantitatem » S. Th. 4. dist. 10. q. 1. a. 3. sol. 3 ad 2.

Tota fere explicatio proposita nititur hoc velut fundamento: distinguendam esse in corpore proprietatem essentialem, qua aptum et natum est ad extensionem in spatio, ab actuali extensione in spatio, quae ex illa priori aptitudine sit quidem naturaliter consequens, sed quae tamen manente corporis essentia per Dei omnipotentiam impediri et suspendi possit. Iam quamvis haud illibenter demus, corporis naturam et essentiam non ita nobis perspectam esse, ut hanc distinctionem realem et posterioris a priori separabilitatem lumine rationis positive demonstrare possemus; nulla tamen suppetit evidens ratio, ex qua evidenter possit demonstrari illius distinctionis et separabilitatis repugnantia. Ergo fatendum est, ex humanae rationis lumine et ex principiis naturaliter cognitis non constare, utrum modus existendi citra extensionem in spatio essentiae corporis repugnet vel non repugnet. Cf. S. Th. 4. dist. 10. q. 1. a. 4. sol. 5. At ex revelatione certum omnino est, corpus Christi organicum cum omnibus suis partibus illud ipsum, quod est in coelo, hoc modo inextenso revera existere in Eucharistia. Ergo ex hoc eodem mysterio discimus, talem revera esse substantiae corporis considerati cum omnibus suis partibus et cum toto organismo intrinseco distinctionem a relationibus ad spatium et a connaturali modo existendi extense in spatio, ut *prior* sit quantitas intrinseca, quae a nobis explicata est, ac organismus intrinsecus; atque ex his velut effectus posterior resultet extensio extrinseca nobis empirice cognita, qui tamen effectus per omnipotentiam divinam possit suspendi. Quia vero modum supernaturalem, quo id efficitur, in se non intelligimus, et quia ea quae in se ipsis concipere non possumus, non aliter quam per comparationem seu per analogiam ad alia nobis notiora con-

cipimus; nihil est reliquum quam ut mirabilem hunc corporis modum existendi intelligamus et explicemus ad analogiam modi existendi spirituum. Vide Suarez disp. 48. sect. 1; de Lugo disp. 8. sect. 2; Ysambertum in 3. q. 76. disp. 1. art. 6.

IV. Neque magis simultanea praesentia unius corporis in pluribus locis potest demonstrari repugnans metaphysice corporum essentiae, ita ut affirmatio huius multiplicatae praesentiae sit negatio essentiae corporis. Potest quaeri de hac multiplicatione praesentiae seu de hac velut replicatione corporis tripliciter: 1° supposito supernaturali modo existendi citra extensionem de quo diximus, potest esse quaestio de praesentia *continua* corporis per se totum in multis seu potius in omnibus partibus alicuius spatii determinati; 2° potest esse sermo de corporis praesentia in multis locis disiunctis secundum eundem existendi modum inextensum; 3° denique potest quaeri de possibilitate replicationis in multis locis secundum modum existendi extensum corpori connaturalem. Quaestio prima et secunda, ut patet, non autem tertia ad mysterium pertinet, de quo agimus.

Quoad primum repugnantia absoluta nulla demonstrari potest. Ea enim vel deduceretur inde quod substantia *una* est, vel ex eo quod est corpus *materiale*. Atqui *ex unitate* substantiae non sequi repugnantiam illius velut replicationis, probat evidenter modus praesentiae spiritibus non solum non repugnans sed etiam naturalis, ut praesens est una simplex animae substantia omnibus partibus corporis extensi. Ex ratione entis *materialis* poterit quidem *a posteriori* spectatis legibus physicis demonstrari, hunc modum praesentiae enti materiali non esse naturalem, sed nulla poterit assignari essentialis nota demonstrans absolutam repugnantiam, ut neque Deus enti materiali possit tribuere hanc replicatam praesentiam, quae entibus spiritualibus nobis cognitis naturalis est.

Iam si conceditur, nullam esse vel nullam demonstrari posse repugnantiam in illa velut replicata praesentia continua, consequitur nullam etiam demonstrari posse repu-

gnantiam praesentiae replicatae in locis disiunctis. Si enim non repugnat ipsa multiplicatio praesentiae, ut corpus unum et idem possit esse praesens simul uni et alteri loco, propinquitas vel distantia locorum nihil refert, ubi agitur non de naturali praesentia, sed de ea, quae sit per operationem divinae omnipotentiae. Sicut enim immensitas divina supereminet omnes locorum et spatii relationes, et sicut propterea divina praesentia complectitur omnia spatia velut unum punctum indivisibile (cf. Tract. De Deo); ita divina operatio una ac eadem comprehendit omnia spatia et omnes locorum differentias, non secus ac si omnia essent unum punctum indivisibile. Si ergo replicata praesentia corporis continua non repugnat, etiam non inducet absolutam repugnantiam interposita distantia inter loca, quibus per operationem divinam praesentia exhibenda est.

Poterit etiam haec replicata in multis dissitis locis praesentia non minus quam illa prior replicatio continua illustrari ex analogia praesentiae animae in omnibus diversis partibus corporis, quamvis fundamentum comparationis utriusque non sit idem. Sicut enim natura exigit praesentiam animae in omnibus partibus corporis quod ab anima vivificatur, ita in supernaturali ordine gratiae voluit divina misericordia, ut corpus Christi vivificum tamquam principium vitae non quidem eodem modo, quo anima, sed secundum specialem institutionem praesens esset in toto corpore mystico, quod est Ecclesia. Praeclare hac analogia usus est Guitmundus l. I. de verit. Euch. adversus Berengarium: « Ipsam certe animam nostram corpore quod corrumpitur aggravatam, non particulatim per singula corporis membra dividi sed in singulis portiunculis totam atque integram contineri, beatus Augustinus validissime probat. Qui ergo hanc nostrae animae potentiam praebuit, ut una eademque indivisa in singulis quibusque particulis sui corporis eodem tempore tota consistat, quare suae propriae carni id dignitatis, si vult, dare non valeat, ut ipsa in diversis sui cuiusdam corporis, quod est Ecclesia, partibus tota simul indivisa possit haberi; cum sicut anima nostra vita est corporis, ita sit

Ecclesiae imo multo melius per Dei gratiam vita caro Salvatoris..... Cum vero sapientissimus Salomon cunctas res esse difficiles dixerit, ita ut explicare eas homo non possit, nonne insanienti quam simillimus est, qui haec divina arcana discutere ad oculum violenter quaerit? Omnes enim creaturae Dei miracula nobis inexplicabilia sunt; Christus vero inter omnia aut prae omnibus miraculum singulare. Si igitur potest Christus efficere, sicut diximus, ut unaquaeque separata particula sit totum Christi corpus, et tamen omnes separatae non plura sint corpora sed unum corpus, quemadmodum vox mille hominum percutit aures, et apud unumquemque una est, nec tamen plures dicuntur sed una sola (cf. Eutychium supra p. 147), et quemadmodum tota anima mille corporis humani replet particulas, et cum se totam praebeat singulis, non plures tamen sed una est anima; ita iam nulla ratio propter huiuscemodi quasi partitiones obstare videtur, ut non possit, aut velle non debeat Christus panem et vinum, sicut ipse docuit et Ecclesia credidit, transferre in corpus et sanguinem suum ». Bibl. Max. PP. T. XVIII. p. 443.

Quoad tertiam quaestionem de replicatione corporis in multis locis secundum modum existendi extensum profecto mirum est, fuisse theologos catholicos non paucos et graves, qui concessa utique possibilitate existentiae unius corporis in multis locis modo inextenso, quae in ipso dogmate de reali praesentia Christi in Eucharistia includitur, affirmabant tamen absolute repugnare replicationem corporis in pluribus locis secundum modum existendi extensum et quantitativum, ut loquuntur. Vide hos theologos citatos apud Suarez disp. 48. sect. 4, in quorum sententiam concessit etiam Vasquez disp. 189. c. 5. 6.

At omnino evidens esse videtur, nullam posse adferri rationem *a priori* et ex corporis vel praesentiae natura, cur absolute repugnet multiplicatio relationum ad loca et spatia diversa corpore manente uno, si corpus in locis omnibus servet suam connaturalem extensionem ad spatium; cum tamen multiplicatio praesentiae, ut omnes Catholici fatentur, non repugnet, si corpus in uno loco servet suam

extensionem ad spatium, in locis aliis vero idem existat modo inextenso. Imo ad illud prius sufficit unum miraculum replicationis, ad hoc alterum requiritur illud ipsum miraculum et insuper adhuc aliud seu potius, ut se habet praesentia in Eucharistia, requiruntur multa alia miracula (1). Rationes autem repugnantiae quas adferunt *a posteriori* ex absurdis, quae ipsis posita tali replicatione praesentiae extensivae in spatio sequi videntur quoad contradictorias actiones et passiones unius corporis in locis diversis, non probant repugnantiam replicationis; sed ad summum probarent impossibilitatem talium passionum et actionum sibi invicem repugnantium, seu potius probant replicationem ab his auctoribus non rite explicari. Omnes enim illae rationes, si efficaces essent, fere aeque valerent contra replicationem cum modo existendi inextenso, quam tamen omnes Catholici fide certissimam esse confitentur. Verum, ut praemonui, haec postrema controversia ad praesens institutum, saltem per se et directe, non spectat.

Ut praecaveatur replicationis, de qua nunc agimus, praepostera intelligentia, et ex hac promanantes difficultates amoveantur, prae oculis haberi debet duplex principium: *a*) replicatio est vera multiplicatio habitudinis ad locum et relationum ad spatium, in quibus una substantia seu nominatim unum corpus constituitur. Unde haec habitudo et hae relationes eaque omnia, quae ab habitudine ad locum et spatium pendent, revera ita se habent ac si multa essent corpora. Contra vero *b*) quia res manet una numero, etiam una manet et non multiplicata omnis perfectio independens a relationibus ad locum et spatium. Sicut ergo eadem numero res quae est in uno loco, est etiam in altero, ita pariter omnis perfectio independens a relatione ad locum, quae inest rei replicatae in uno loco, eadem numero inest in aliis locis omnibus. Omnes fere difficultates reales ex neglecta consideratione duplicis huius

(1) Miraculum hîc intelligimus tantummodo effectum in corpore supra vel contra leges naturae; ne sophista aliquis opponat, miraculum debere esse sensibile et ordinatum ad demonstrationem veritatis distinctae ab ipso miraculo.

principii oriuntur; aliae sunt mere verbales et ex ambiguitate vocum confictae.

Difficultates *a priori* fieri solent huiusmodi: 1° quod esset corpus unum in se et simul divisum a se; 2° quod esset vel esse posset immensum; 3° quod esset circumscriptum loco et simul non circumscriptum. Difficultas *a posteriori:* quod 4° corpus idem simul posset moveri et non moveri; quod 5° homo idem simul subesse posset affectionibus contrariis; posset enim in uno loco odisse in alio idem obiectum amare; proinde hic peccare, illic non peccare; hic mori, illic vivere etc.

Respondebis facile ad 1um, non corpus esse divisum a se ipso, sed loca esse inter se divisa, et relationes ad locum multiplicatas adeoque non quidem unam relationem a se ipsa divisam, sed unam divisam et diversam ab alia. Ad 2um: corpus non est immensum. Immensitas divina a nobis imperfecte explicatur per comparationem ad alia existentia, ut sit ea divinae naturae perfectio, vi cuius nihil possit existere, quod Deus intima sua praesentia non contineat. Corpus non habet hanc exigentiam, ut praesens sit omnibus quae existere possunt in indefinitum; potest tamen Deus corpus per replicationem reddere praesens semper pluribus existentibus in indefinitum, et proinde etiam absolute loquendo omnibus actu existentibus et aliis aliquando exstituris, postquam ea extiterint. Haec autem non est immensitas corporis sed immensitas divinae omnipotentiae. Lutherani absurde tribuebant communicatam immensitatem divinam corpori Christi, quia docebant, vi unionis hypostaticae exigi et connaturale esse humanitati ac corpori Christi, ut sit ubique, ubi est Verbum cuius est humanitas. Noluerunt scilicet intelligere, quantum inter se differant haec duo, Verbum *quod est homo,* esse ubique, et Verbum *quatenus est homo*, seu humanitatem, per quam est homo, esse ubique. Verbum est ubique non tamen ubique est Verbi humana natura, eo fere modo, quo divinus actus creans et conservans est ubique, non tamen ubique est res creata et conservata seu creatio et conservatio, quatenus est in creatura. Ad 3^ium^ respondetur declarando ambiguitatem vocabuli,

in qua ludunt adversarii. *Circumscripte* existere proprie et ex usu communi scholarum significat modum existendi per extensionem in spatio ita, ut totum corpus respondeat toti alicui determinato spatio et partes partibus eiusdem spatii. Repugnat utique, ut corpus secundum unam et eandem praesentiam existat simul circumscripte et non circumscripte; sed si multiplicantur praesentia et relationes ad loca diversa, nulla est contradictio, ut secundum unam praesentiam in uno loco existat circumscripte, secundum aliam praesentiam in loco alio incircumscripte. Ceterum adversarii in hac obiectione *circumscriptionem* sumunt alio sensu, ut existentia circumscripta idem sit ac existentia in uno tantum loco, quae alias dicitur modus existendi *definitivus*. Iam hoc sensu dicunt: corpus existeret *circumscripte,* quia hoc est corpori essentiale, et simul *non circumscripte* vel *incircumscripte.* Verum hîc assumunt ut principium probationis illud ipsum, quod probare volunt et quod nos negamus, esse scilicet corpori essentiale existere in uno tantum loco. Negamus ergo, hoc sensu corpus Christi existere *circumscripte*, et concedimus existere hoc sensu *non circumscripte*, dum simul est in coelo et sub speciebus eucharisticis; non tamen ideo dici debet existere *incircumscripte,* quia hoc vocabulo posset significari non solum praesentia in pluribus locis, sed *omnipraesentia*, in oppositione non solum *contradictoria* sed *contraria* ad circumscriptionem in sensu ab adversariis usurpato. Ad 4um patet responsio: posset simul moveri et non moveri secundum unam praesentiam in eodem loco, *nego;* posset moveri secundum praesentiam in uno loco et non moveri secundum praesentiam in alio loco, *concedo*. Ad 5um aliqui theologi non recte intelligentes replicationem totum concesserunt, ex absurdo autem, quid mirum, si sequantur absurda? Ex principiis positis totum est negandum; ea enim omnia quae non pendent a loco et relationibus ad spatium, non multiplicantur, sed sunt eadem numero in re replicata, ubicumque illa sit, sicut res ipsa replicata manet una numero. Quidquid intelligit aut vult anima per replicationem praesens e. g. Romae simul et Neapoli, id intelligit et vult una numero anima, sicut ergo

non potest Romae simul idem amare et odisse, ita nec potest idem amare praesens Romae et odisse praesens Neapoli. Ceterum cum non nisi Deus, sicut infinita potentia ita infinita bonitas et sapientia, hoc prodigium replicationis possit operari, illud etiam effici non potest nisi modo digno hac infinita bonitate et sapientia; ideoque huiusmodi inquisitionum nimiae subtilitates minus sobriae et minus utiles mihi videntur. Si vacat, legi possunt, cum grano tamen salis, Suarez disp. 48. sect. 4; De Lugo disp. 5. sect. 1, 2 etc.

Corollarium 1. Corpus Christi in Eucharistia non est sicut *in loco,* si hac phrasi intelligitur praesentia *circumscriptiva,* ut partes corporis respondeant distinctis partibus spatii; est tamen in loco seu magis proprie *praesens loco,* quatenus realiter et substantialiter *hîc* est, et non est ubique. Item non est in Eucharistia *definitive,* si hoc nomine intelligitur definitio ad hunc locum, ita ut non sit etiam alibi. Potest tamen dici praesentia *definitiva* eo sensu, quod corpus Christi necessario est intra spatium definitum et non est ubique. Lugo disp. 5. sect. 7. n. 183; cf. S. Th. 3. q. 76. a. 5; 4. dist. 10. q. 1. a. 3. sol. 1.

Hoc eodem sensu, quod corpus omne, si existit, necessario est alicubi et non est ubique, in comparatione ad Dei omnipraesentiam non autem ad negandum modum existendi inextensum corporis Christi in Eucharistia S. Augustinus dixit: « spatia locorum tolle corporibus, et nusquam erunt; et quia nusquam erunt, non erunt » ep. 187. n. 18. ad Dardan. Pariter quia Manichaei in suo pantheismo statuebant, omnia quae sunt, duplici tantum constare substantia, una bona ex regno lucis, altera mala ex regno tenebrarum, atque ideo etiam concipiebant corpus Christi naturaliter « ubique diffusum », Augustinus contra hanc *naturalem* corporis Christi praesentiam in multis locis, non vero ad exclusionem praesentiae sacramentalis statuebat: « secundum praesentiam corporalem simul et in sole et in luna et in cruce esse non posset » contr. Faust. l. XX. c. 11.

Corollarium 2. Ex modo existendi inextenso in thesi declarato consequitur: *a*) nullum corpus posse naturali virtute

agere in corpus Christi, prout existit in Eucharistia, et nullis sensibus corpus in statu sacramentali naturaliter posse percipi; haec enim omnia necessario supponunt impenetrabilitatem et resistentiam ad alia corpora in actu secundo exercitam, et consequenter modum existendi extensum (1). Propter eandem rationem sequitur *b*) Christum Dominum, formaliter ut « dilectione in finem » (Io. XIII. 1.) in hoc modo existendi sacramentali se constituit, non posse *naturali* virtute suae humanitatis exercere actus transeuntes in alia corpora, nec posse, *spectata solum naturali virtute*, animam Christi agere in proprium corpus sive ad motum sive ad exercitium sensuum externorum. Hoc theorema omnino consequitur ex modo existendi sacramentali inextenso corporis Christi. Et quod in tali re gravissimum est, docent ita « cum Doctore Angelico, Seraphico et Subtili prope omnes » teste Cardinali Cienfuegos (in opere mox citando p. 46); excipiendi videlicet sunt complures ex schola Nominalium, qui fuerunt in alia sententia. Quamvis haec ita sint, quando agitur de virtute *naturali;* videtur tamen dignitas ss. humanitatis exigere vel certe eius dignitatem decere, ut Verbum supernaturali modo tribuat suae humanitati etiam in hoc statu exercitium sensuum corporis, quantum id mysterio fidei et fini sacramenti congruit. Hanc supernaturalem communicationem actuum visionis et auditionis per sensus ipsos sacratissimi corporis in statu sacramentali quamvis communior sententia theologorum non ad-

(1) S. Thomas 3. q. 76. a. 7 ad 2 ait: « oculus corporalis Christi videt se ipsum sub Sacramento existentem... Non tamen est simile de alio oculo glorioso, quia etiam ipse oculus Christi est sub hoc Sacramento, in quo non conformatur ei alius oculus gloriosus. » Videtur ergo S. Thomas omnino asserere, corpus Christi in statu sacramentali esse visibile oculo corporali ipsius Christi. Propter difficultatem huius doctrinae Suarez (disp. 53. sect. 4 ad finem) conatur verba S. Thomae ita interpretari, ut obiectum visionis non sit corpus *quatenus* est in statu sacramentali, sed corpus *quod est* quidem in Sacramento, sed simul est in statu connaturali in coelo, atque adeo solum secundum hunc connaturalem non secundum sacramentalem statum sit Christo ipsi obiectum visionis corporalis. Interpretatio ingeniosa fateor; sed minus vera videbitur, si conferas ipsum S. Th. 4. d. 10. q. 1. a. 4. sol. 1. ad 1.

mittat, ut fatetur Card. Cienfuegos amplissimus eius assertor ac defensor l. c. p. 50; affirmant tamen S. Bonaventura 4. dist. 10. P. 1. a. 1. q. 2 in *contra est;* Ysambertus in 3. q. 76. disp. 4. a. 2. et alii non pauci saltem ut probabilem; simpliciter ut veram Lessius 3. q. 76, a. 7. dub. 2. n. 51; Cornelius a Lapide in Cant. Cantic. II. 9; Gamachaeus, Martinonus, Tannerus etc., prae ceteris vero tota ingenii contentione, quem nominavi, Card. Cienfuegos, qui ad huius sententiae defensionem integrum opus praegrande scripsit (Vita abscondita seu speciebus eucharisticis velata. Romae 1728). Mihi certe haec sententia non propter diserta testimonia Scripturae et Patrum, quae proferuntur parum efficácia, sed propter eius connexionem cum dignitate sacratissimae humanitatis et cum scopo ac fine Sacramenti, quo Christus cum suis fidelibus non solum spirituale sed etiam corporale commercium inire voluit, ut loquitur Lessius l. c., videtur probabilissima et pia (1); dummodo tamen non ita

(1) Hanc in rem ita scribit Card. Cienfuegos: « Harum operationum notitia acuit miro modo devotionem, nutrit fiduciam, accendit incredibiliter amorem, alit reverentiam, solatium ingerit orantibus in conspectu illius et fovet commercium divinum animarum cum sponso praesente. Etenim quanto confidentius accedet oraturus in templo, ubi patet latenter vivus thesaurus iste, si noverit Christum Dominum ex throno illo audire sensibiliter gemitus suos et videre fletum? Dum non licet vicissim prospicere amatum nec audire sensibiliter gratissimum illius vocis sonitum, quam iucundum debet esse amanti, nosse ab eo se saltem perspicue videri et penitus audiri? » etc. Vita abscond. Praefat. et disp. 2. sect. 1. §. 1. n. 9. Cavendum tamen valde, ne haec exaggerentur et ita accipiantur, ac si ab ista opinione penderet id quod est fide certissimum, esse scilicet nos cum omnibus nostris affectibus cognitioni Christi Domini, etiam quatenus homo et quatenus in statu sacramentali est, intime praesentes et perspectos. Sensus corporei nobis sunt instrumenta necessaria immediate ad cognoscendas res sensibiles, potest tamen cognitio etiam talium rerum haberi nobilior citra perceptiones sensiles, ut patet in puris spiritibus. Huiusmodi igitur superior et nobilior modus cognoscendi independens a sensibus, qui Christi animae etiam quatenus est in Sacramento a nemine sanae mentis negatur, per se plane sufficit ad eas omnes cognitiones, quarum causa a Cardinali ad devotionis augmentum exercitium sensuum in statu sacramentali urgetur. Haec nisi teneantur, possent verba Eminentissimi auctoris urgeri ultra limites, usque ad absurda fere et superstitiosa.

defendatur, ac si ea non admissa Christus in Sacramento non vivens sed instar mortui concipi deberet, quod quam falsum sit, ex sequentibus apparebit. Nam *c*) actus immanentes, qui a sensibus non pendent, anima Christi beatissima, in qua sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae, haberet omnes in Eucharistia, etiamsi Christus alibi in statu connaturali et in propria specie non existeret. Propter identitatem vero humanitatis, quae una numero simul est in coelo et in Eucharistia, insunt animae etiam in statu sacramentali omnes perceptiones, quas Christus alibi in propria specie existens habet ex sensuum exercitio. *d*) Sicut beata humanitas Christi omnia, quae sunt, erant, et erunt, ipsa visione beatifica videt in essentia divina ut in omnium causa exemplari, et videt ea omnia in se ipsis per eam amplitudinem scientiae infusae, quae Redemptori generis humani ac Iudici vivorum et mortuorum, Primogenito omnis creaturae, et centro totius historiae coelestis et terrestris debetur (vide Tract. de Incarnat.), ita profecto omnes hi thesauri beatificae visionis et infusae scientiae sunt in anima Christi, etiam quatenus est in Eucharistia. At praeter has rationes speciali titulo, formaliter ut existens in Eucharistia, ex ipso fine instituti mysterii videt omnia corda hominum, omnes cogitationes et affectus, omnes virtutes et peccata, omnes tum totius Ecclesiae tum singulorum membrorum eius indigentias, labores et angores, persecutiones et triumphos, totam denique vitam externam et internam sponsae suae Ecclesiae, quam carne sua et sanguine suo pretioso nutrit ac fovet; titulo autem triplicato (si fas est ita loqui) in eodem statu sacramentali videt et divino quodam modo sentit cogitationes omnes et affectus, cultum et obsequia, sed etiam iniurias et peccata omnium hominum et velut propinquius suorum fidelium ac proxime ministrorum et sacerdotum suorum, quae immediate ad ipsum hoc ineffabile mysterium amoris referuntur.

Corollarium 3. Sicut Dei Filius in Incarnatione exinanivit semeptisum secundum personam divinam non aliquid amittendo, sed assumendo formam servi (Phil. II. 7); ita modum reperit admirabilem exinanitionis etiam secundum humanam

naturam iam exaltatam et glorificatam, non deponendo suam gloriam, sed permanens in gloria simul propter nimiam dilectionem se constituens in mysterio et in modo existendi, quo non solum maiestas divinitatis sed ipsa etiam forma assumpta humanitatis occultatur, ut, sicut hic homo Iesus sola fide credi potest verus Deus, ita sub speciebus eucharisticis in hoc modo existendi sacramentali sola fide credi possit vera caro et verus sanguis, verus Deus–homo Christus Iesus (cf. S. Th. 3. q. 75. a. 1). Analogias alias nonnullas inter Incarnationem et mysterium Eucharistiae habes apud Lessium de perfect. divin. l. XII. c. 16. n. 129.

CAPUT II.

DE TRANSSUBSTANTIATIONE

THESIS XII.

De dogmate transsubstantiationis distincto ab utroque articulo realis praesentiae corporis Christi et absentiae substantiae panis ac vini.

« Catholica doctrina de efficacia consecrationis eucharisticae non ab- » solvitur professione a Synodo Pistoriensi his verbis comprehensa: Chri- » stum post consecrationem vere, realiter et substantialiter esse sub » speciebus, tuncque omnem panis et vini substantiam cessare solis re- » manentibus speciebus; sed praeterea fide credendus est modus ipse, » quo corpus et sanguis Domini fiat praesens, per mirabilem scilicet » et singularem conversionem totius substantiae panis in corpus et totius » substantiae vini in sanguinem, quam conversionem catholica Ecclesia » aptissime *transsubstantiationem* appellat. »

I. Scopus huius theseos, ut patet, non est polemica demonstratio dogmatis catholici sed dogmatis explicatio, ut constet quid ex fidei catholicae praescripto credendum sit; nondum de veritate doctrinae polemice agimus, sed sensum catholicae doctrinae postea demonstrandae determinamus. In Bulla dogmatica Pii VI « Auctorem fidei » adversus Pistorienses n. XXIX haec continetur censura: « Doctrina Synodi, qua parte tradere instituens fidei doctrinam de ritu consecrationis, remotis quaestionibus scholasticis circa modum quo Christus est in Eucharistia, a quibus parochos

docendi munere fungentes abstinere hortatur, duobus his tantum propositis: 1°. Christum post consecrationem vere, realiter, substantialiter esse sub speciebus, 2°. tunc omnem panis et vini substantiam cessare, solis remanentibus speciebus, prorsus omittit ullam mentionem facere transsubstantiationis seu conversionis totius substantiae panis in corpus et totius substantiae vini in sanguinem, *quam velut articulum fidei Tridentinum Concilium definivit, et quae in solemni fidei professione continetur;* quatenus per inconsultam istiusmodi suspiciosamque omissionem notitia subtrahitur *tum articuli ad fidem pertinentis,* tum etiam vocis ab Ecclesia consecratae ad illius tuendam professionem adversus haereses, tenditque adeo ad eius oblivionem inducendam, quasi ageretur de quaestione mere scholastica: *perniciosa, derogansque expositioni veritatis catholicae circa dogma transsubstantiationis, favens haereticis.* »

Declarat igitur Pontifex, haec tria capita ad fidem spectantia esse inter se distincta, quod Christus substantialiter praesens est in Eucharistia, quod ibi non amplius substantia panis et vini sed eorum tantummodo species sunt, et quod haec corporis sanguinisque praesentia et substantiae panis ac vini desitio fit *per conversionem* totius substantiae panis in corpus et totius substantiae vini in sanguinem Domini seu *per transsubstantiationem,* ita ut qui primum tantummodo et secundum caput proponeret omisso tertio, mancam traderet doctrinae fidei explicationem; qui vero putaret, duo illa capita priora sufficere et tertium posse accenseri quaestionibus liberae disputationis, ut a Pistoriensibus factum esse videtur, is negaret ad fidem pertinere articulum fidei diserte definitum in Tridentino Concilio. Pistorienses enim non tantum *affirmando* proponunt duo illa capita, quae utique etiam ad fidem pertinent, sed diserte hortantur, ut in explicatione doctrinae fidei de efficacia consecrationis ea *sola* proponantur fidelibus. Unde merito colligitur, congregatos in illo conventu habuisse duo priora *sola* tamquam pertinentia ad fidem de efficacia consecrationis, tertium vero a Tridentino Concilio et deinceps in catechesibus catholicis declaratum articulum de

modo, quo fiat realis praesentia corporis et sanguinis Christi sub speciebus panis ac vini per transsubstantiationem, quatenus aliquid superaddit duobus prioribus, non ad veritates fidei numerasse sed ad quaestiones scholasticas non attingendas in institutione fidelium. At hac exclusione sane « subtrahitur notitia articuli ad fidem pertinentis, » praeterquam quod formula ecclesiastica ad veritatem fidei contra errorem haereticum asserendam solemniter consecrata eliminatur; ac proinde « derogatur expositioni veritatis catholicae circa dogma transsubstantiationis. » Quia vero de dogmate agitur et de modo illud exprimendi ab haereticis omni contentione et perpetuis calumniis impugnato, talis subtractio veritatis catholicae ab institutione fidelium « favet haereticis. » Haec autem duo abunde sufficiunt, ut doctrina dici debeat « perniciosa. » Quae ipsae sunt tres censurarum notae expositioni Pistoriensi a Pontifice inustae.

In definitionibus Concilii Tridentini contineri tres hos articulos distinctos, ipsa docet vel obvia inspectio canonis 1^i^. et 2^i^. sess. XIII. Primus enim dirigitur contra Sacramentarios negantes Christum vere, realiter et substantialiter praesentem in Eucharistia; in secundo duae sunt partes, quarum priore proscribuntur asserentes, manere substantiam panis et vini una cum corpore et sanguine Domini, in parte altera demum damnantur, qui negant conversionem totius substantiae panis in corpus et totius substantiae vini in sanguinem, simulque probatur ut aptissima appellatio *transsubstantiationis.*

Ut autem trium propositionum distinctio intelligatur, qualis sit, in singulis tum haereticae negationis tum catholicae affirmationis complexio consideranda est. Affirmatio catholica est: 1ª. in Eucharistia substantialiter praesens est corpus et sanguis Christi; 2ª. corpus et sanguis Christi praesens est ita, ut non remaneat substantia panis et vini sed remaneant tantummodo horum species; 3ª. praesentia corporis et sanguinis Christi sub speciebus panis et vini efficitur per conversionem totius substantiae panis et vini in corpus et sanguinem Domini, quae aptissime dicitur transsubstantiatio. In prima affirmatur res una, realis scilicet

praesentia Christi; in secunda affirmatur veritas eadem cum alia superaddita, realis scilicet praesentia Christi et absentia substantiae panis et vini; in tertia affirmantur eaedem duae veritates cum superaddita tertia et cum sanctione formulae ecclesiasticae, affirmatur scilicet praesentia corporis Christi, absentia substantiae panis, modus quo id fit per conversionem, quae recte dicitur transsubstantiatio. Hinc patet, quomodo harum propositionum affirmationes et negationes sibi subordinentur. Qui affirmat primam, non ideo etiam affirmat secundam et tertiam, sed potest negare utramque; qui affirmat secundam eo ipso affirmat primam, sed potest negare tertiam; affirmatio tertiae includit affirmationem etiam primae et secundae. Proinde negationes haereticae ordine inverso se habent. Negatio primae propositionis includit negationem etiam duarum sequentium; in negatione secundae continetur negatio tertiae, sed potest consistere cum affirmatione primae; negatio tertiae non includit negationem primae et secundae, sed potest consistere cum affirmatione utriusque. Hinc Concilium Tridentinum in affirmante enuntiatione cap. 4, et eodem modo professio fidei a Pio IV praescripta, posuit tertiam propositionem de conversione substantiae panis in corpus Christi, in qua propositio secunda de cessatione panis continetur. Contra in enuntiatione negativa canone 2 utramque propositionem distincte posuit: « si quis dixerit remanere substantiam panis... negaveritque mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiae panis etc., anathema sit. »

Sane, ut de subordinatione tantum agamus directe huc spectante, qui profitetur utrumque articulum a Pistoriensibus propositum, « post consecrationem praesentem esse Christum, et tunc omnem panis et vini substantiam cessare; » non eo ipso etiam affirmat ut articulum fidei, illud utrumque fieri per conversionem, quae aptissime dicatur transsubstantiatio. Potest enim dicere, se de modo, quo id fiat, sive per conversionem sive aliqua alia ratione, nihil velle affirmare; et tum recusat credere ut fide certum, quod Concilium sub anathemate definivit omnibus ut fidei articulum credendum (sess. XIII. cap. 4. can. 2). Vel potest dicere, id

fieri aliquo alio modo nobis incomperto non tamen fieri aut fieri posse per conversionem substantiae panis et vini in corpus et sanguinem Domini; vel denique potest determinate affirmare, id fieri annihilatione panis et vini et positione corporis Christi eo modo, quo Deus posset annihilare e. g. lapidem et ibi creare angelum vel hominem, non autem fieri conversione. Hac vero utraque ratione affirmans primam et secundam propositionem a Pistoriensibus commendatas ut unice docendas, non solum negaret esse de fide, sed etiam directe negaret verum esse, quod Concilium Tridentinum definivit pertinere ad fidem catholicam. Sapienter et graviter Suarez post demonstratum dogma transsubstantiationis: «infero, ait, si quis confiteatur praesentiam corporis Christi et absentiam panis, neget tamen veram conversionem unius in aliud, in haeresim labi; quia Ecclesia catholica non solum priora duo sed etiam hoc tertium definit ac docet... Si quis tamen confitendo rem totam, vocem transsubstantiationis abiiceret, ut ineptam et barbaram, in re ipsa non existimo esse haereticum, quia usus vocis per se non pertinet ad obiectum fidei, esset tamen valde temerarius, scandalosus, ac pias aures offenderet, ac denique in foro externo habendus esset vehementer de haeresi suspectus» Suarez disp. 50. sect. 1. ad finem.

Ex his colliges, quid sit respondendum, si quis contenderet, in utraque propositione praesentiae realis corporis Christi sub speciebus panis, et cessationis substantiae panis iam implicite contineri affirmationem transsubstantiationis, et ideo ad fidei integritatem sufficere explicitam professionem duplicis illius veritatis, vel certe supposita hac professione explicita silentium quoad propositionem tertiam non debere esse suspectum.

Imprimis falsum est, in affirmatione praesentiae realis corporis Christi et absentiae panis iam contineri etiam modum enuntiatum, quo illud fiat, cum modus non unicus per conversionem sed etiam aliquis alius esse possit. Deinde etiamsi verum esset, quod de comprehensione implicita conversionis in duplici priori illo capite asseritur, ne tum quidem consequens foret, ut enuntiatio explicita huius tertii

articuli tuto omitti posset. Necessitas, ut Ecclesia identidem explicite proponat credendas veritates, quae continentur implicitae in aliis veritatibus revelatis, inde oritur, vel quia, quamdiu sunt implicitae, nondum sunt sufficienter pro omnibus propositae, vel etiam quia ab haereticis impugnantur et ita depositum fidei in discrimen adducitur. Sic e. g. duplex voluntas et duplex operatio Christi, divina et humana, iam continetur implicite revelata in veritate duplicis integrae naturae Verbi incarnati; nihilo tamen secus explicitam definitionem et instantiorem praedicationem duarum voluntatum Christi necessariam reddidit monotheletarum oppugnatio. Tum vero imperatores suasu ac impulsu Praesulum haereticorum extorquere conabantur ab orthodoxis Episcopis et Doctoribus, ut duae tantummodo praedicarentur naturae Christi, sileretur autem de una vel duplici eius operatione ac voluntate. Huc tendebat *Ecthesis* Heraclii et maxime *Typus* Constantis. Utrumque vero decretum damnatum est in Concilio Lateran. sub Martino I. can. 14 et 18. Iam antea legato Constantis Gregorio, qui sub conditione silentii de una vel duabus voluntatibus Christi conabatur unionem Ecclesiarum persuadere, respondit S. Maximus: « impossibilis est, ut opinor, ista molitio; non enim sinunt Romani una cum impurorum haereticorum vocibus simul auferri lucidas SS. Patrum voces... Iuxta sacram Scripturam silentium ipsum ablatio est » Act. S. Maximi p. 32. Quando scilicet caput aliquod doctrinae continetur in explicita praedicatione vel est explicite definitum, praesertim si idem ab haereticis impugnatur, non potest sub praetextu comprehensionis implicitae in aliqua alia doctrina commendari silentium in institutione populi christiani, quin silentium ipsum « deroget expositioni veritatis catholicae et faveat haereticis. » Atqui omnino hic esset status quaestionis circa expositionem doctrinae de efficacia consecrationis a Pistoriensibus commendatam, si revera in duobus capitibus ab eis propositis contineretur implicite dogma transsubstantiationis; at haec ipsa implicita comprehensio falsa est. Non ergo solum iusta sed etiam necessaria erat eiusdem expositionis condemnatio a Pontifice decreta.

Per se patet, non esse praepostere confundendas duas quaestiones diversas, ut Francisco Xaverio Feller in suis adnotationibus ad hanc Bullam Pii VI accidit: utrum ad fidem pertineat modus, quo Christus *praesens est* in Eucharistia; et alteram: utrum ad fidem pertineat modus, quo *praesens fit* in Eucharistia. Ceterum de modo utroque aliqua pertinent ad fidem definitam, et aliqua non pertinent. Pertinet ex dictis ad fidem, fieri Christi praesentiam *per conversionem* totius substantiae panis et vini in corpus et sanguinem Domini; non tamen ideo fide credendae sunt *omnes* notiones, quibus vel conversio generatim vel haec *singularis conversio* constituatur. Ad fidem explicitam quoque huius veritatis sufficit notio *confusa* conversionis, quam omnes habent; analysis autem et distinctio singularum notarum conversionis huius singularis ad scientiam quidem pertinet theologicam, ita tamen, ut in hac ipsa notarum determinatione plura sint in opinione posita, in quibus salva fide locum habere potest sententiarum diversitas; sicut etiam de modo, quo Christus *praesens est* in Eucharistia, plura definita sunt de fide in Concilio Tridentino sess. XIII. cap. 1. 3. can. 1. 3. 4; sess. XXI. cap. 3. can. 3., quin tamen omnes rationes, quae a theologis ex ipso mysterio deducuntur vel ad eius explicationem planiorem proferuntur in medium, ad fidem definitam pertineant.

Lege Card. Gerdilii Animadversiones in Notas cl. Feller Opp. Gerdilii ed. Romae 1809 T. XIV. p. 306 sqq.

II. Ad nomen *transsubstantiationis* quod pertinet, illud ad dogma catholicum exprimendum sane est aptissimum, ut nullis artibus in alienum sensum detorqueri possit; atque ideo merito usu ecclesiastico et sanctionibus Conciliorum (Lateran. IV. Trident. Profess. Fid. Pii IV) consecratum est tamquam tessera, qua distinguatur catholica professio de Eucharistia ab erroribus oppositis Novatorum. Nomen *mutationis* quemvis transitum ab uno statu ad alium significat, non solum a termino positivo in alium positivum, sed etiam a negativo in positivum aut vicissim. *Conversio* proprie dicta minus late patet; significatur enim hoc nomine mutatio a termino positivo in alium positivum.

Transformatio est species conversionis, quae sensu stricto accepta intelligitur transitus ab una forma in aliam. Quia *forma* dicitur dupliciter, *substantialis* scilicet constituens ipsam specificam rei perfectionem, et *accidentalis* tribuens qualitatem seu perfectionem superadditam perfectioni essentiali, hinc etiam species *transformationis* duplex est, vel *substantialis* vel *accidentalis,* ad quam posteriorem pertinet *transfiguratio.* Ad analogiam horum nominum *transformatio, transfiguratio* etc. ea species conversionis, qua terminus non iam solum secundum figuram remanente substantia vel secundum formam remanente materia, sed secundum totam substantiam remanentibus tantum sensibilibus accidentibus transit in aliam substantiam, proprie et aptissime dicitur *transsubstantiatio.* Proprium, inquam, hoc nomen est, quia nulli alii conversionis speciei convenire potest. Est etiam aptissimum, quia sua significatione ac etymologia exhibet ipsam rei significatae definitionem, «transitum totius substantiae in aliam substantiam;» quia deinde ipsa sua proprietate hanc conversionem a quavis alia apertissime distinguit, et propterea (in re praesenti) dogma catholicum exprimit in oppositione ad conceptus praeposteros et erroneos haereticorum. Hic vero ipse finis est formularum ecclesiasticarum, et simul est ratio cur illae Novatoribus semper sint molestissimae, ut non modo in hac tessera *transsubstantiatio* sed etiam in aliis videre est, cuiusmodi sunt exempli gratia· ὁμοουσιος, Θεοτόκος, unio *hypostatica*, sacramentorum efficacia *ex opere operato etc.*

Quod spectat ad historiam huius appellationis *transsubstantiatio,* non mirum esse debet, quod illa non ante necessitatem oppugnandi haeresim Berengarianam in usum venerit; huiusmodi enim formulae dogmaticae directe oppositae certis quibusdam erroribus, et non sine studio scientifico diligentius expolitae ad dogma undequaque muniendum contra adversarios, non iam tempore tranquillae possessionis, sed fere tempore belli adversus haereses adhiberi et in publicum usum induci solent. At vero rem ipsam illa formula designatam in Scripturis ipsis et in traditione apostolica contineri, ut ea in scriptis Patrum et in publicis

Liturgiis manifestatur, paulo post demonstrabimus. Itaque hic etiam valet plenissime quod saepe Patres inculcarunt adversus veteres haereticos ecclesiasticas formulas calumniantes velut novas, vetus scilicet et apostolicum dogma designari novis nominibus, hancque ipsam necessitatem ortam esse ex haereticorum novis erroribus. Cf. Athanas. de decret. Nicaen. n. 21; August. in Io. tract. 97. n. 4 etc.

Imo quamvis apud Patres ipsum vocabulum *transsubstantiatio* non occurrat, sunt tamen apud eos formulae, quae ipsam nominis circumscriptionem et rei designatae definitionem exhibent, ut quando dicunt: « ea quae sunt, in id mutantur, quod non erant »; « quae erant, in aliud mutantur »; « Christus visibiles creaturas in substantiam corporis et sanguinis sui secreta potestate evertit »; « primariae creaturae in Dominici corporis transeunt naturam etc. » (th. VIII). Berengarius deinceps in Concilio Romano sub S. Gregorio VII. profiteri iussus est: « panem et vinum *substantialiter converti* in carnem et sanguinem Domini. » Vocabulum ipsum transsubstantiationis licet solemniter adhibitum primum sit ab Ecclesia in Concilio Lateran. IV. cap. *Firmiter* (Harduin. T. VII. p. 18.), diu tamen ante hoc tempus iam in usu erat apud catholicos scriptores. Dixerunt *transsubstantiationem, transubstantiare, transsubstantialiter mutare* saec. XI. Hildebertus (creatus episcopus Cenomanensis anno 1097) serm. 93 (de diversis VI.) Opp. ed. Maur. p. 689; Stephanus Eduensis (creatus episcopus Augustodunensis anno 1112) de Sacram. altar. c. 13. Bibl. Max. PP. T. XX. p. 1878; saec. XII. S. Hildegardis ep. ad praelatos Moguntin. Bibl. Max. PP. T. XXIII. p. 565 col. 2; Petrus Blessensis ep. 140. ad Petr. clericum Regis Angliae, et serm. 38. Opp. ed. Busaeo 1600. p. 256. 435; in litteris encyclicis Petrus Cardinalis Sedis Apostolicae legatus adversus Albigenses apud Baronium an. 1178. n. 26. (T. XIX. ed. 1746); imo etiam in communi usu theologorum saeculi XII. fuisse hanc loquendi formam, apparet ex epistola Gaufredi discipuli S. Bernardi ad Cardinalem Albanensem apud Baronium ibid. ann. 1188. n. 28.

THESIS XIII.

De propria notione transsubstantiationis.

« Ad conceptum *conversionis* generatim requiri videtur et sufficere, » ut 1° duplex sit terminus, unus *a quo* alter *ad quem*, ille desinens » hic succedens secundum aliquam rationem entis pro diversitate con- » versionis diversam; ut 2° inter desitionem unius et successionem al- » terius mutuus sit nexus et ordo, quo successio exigat prioris desi- » tionem, et desitio ordinetur ad successionem alterius; praeterea 3° con- » versio, transsubstantiatione quoque non excepta, saltem *magis proprie* » *dicetur,* si in utroque termino maneat reale aliquod *tertium commune,* » quod cum termino *formali* constituat terminum *totalem;* 4° denique » licet *productio* simpliciter dicta termini formalis *ad quem* non aeque » postuletur sicut desitio termini *a quo*, videtur tamen ad conversio- » nem *maxime propriam*, respectu etiam habito ad conversionem eucha- » risticam secundum Patrum explicationem, postulari, ut positio ter- » mini *ad quem* actione fiat productioni magis quam adductioni analoga, » quam *replicationem* dicere possumus (Lessius l. XII. c. 16). »

Haec thesis, ut patet, tota est in notionum declaratione, adeoque non tam argumentis demonstrantibus opus habet, quam potius (fide tamen praelucente) analysin requirit conceptus communis, quo omnes qui aliquid cogitant, saltem in confuso intelligunt *conversionem*. Nomine conversionis (obiectivae) generatim spectatae (1) omnes intelligunt transitum unius rei in aliam secundum aliquam rationem entis, vel accidentalem vel substantialem. Sic quando stipes convertitur in statuam, non transit in aliud secundum substantiam seu secundum quod lignum est, sed solum secundum figuram extrinsecam et accidentalem, a cuius diversitate habet lignum, ut sit stipes vel statua. Manet in hac et in omnibus aliis conversionibus accidentalibus substantia eadem seu idem subiectum accidentium, et solum desinente figura vel generalius accidente quod erat prius, succedit figura vel accidens aliud diversum. Contra dum convertitur aqua in vinum, aqua secundum rationem aquae transit in aliud, quod est vinum. Manet ibi vel saltem potest manere eadem materia, sed desinit perfectio illa spe-

(1) Conversio *active* sumpta est ipsa actio, qua fit conversio *obiectiva.*

cifica, qua est *aqua,* et succedit in connexione cum desitione prioris alia perfectio specifica, qua est *vinum.* Non disputabo de diversis sententiis philosophiae naturae, ut eam nunc adpellant; illud saltem concedent omnes, secundum usum vitae communis aquam et vinum existimari et dici aliam et aliam substantiam, adeoque saltem secundum hunc usum talem conversionem esse substantialem. Quia *conversio* intelligitur transitus rei in rem aliam, et quia substantia magis res est quam accidens; patet, magis proprie nomen conversionis adhiberi de transitu substantiali quam de accidentali, id quod etiam in communi usu loquendi observatur. Ex eodem conceptu intelligitur, eo amplius esse ac dici *conversionem,* quo plus substantiae desinit in uno termino, et quo simul perfectior substantia succedit in altero termino, dummodo ceterae conditiones necessariae ad conversionem non desint.

Iam si fiat analysis huius communis conceptus *conversionis,* facile reperientur in eo omnes et solae notiones, quas in enuntiatione theseos indicavimus. Manifesto enim 1°. dum unum dicitur converti in aliud; requiruntur duo termini. Terminus prior non dicitur converti, nisi quatenus saltem secundum aliquid sui desinat esse quod prius erat, et vice rei desinentis succedat aliqua alia ratio entis; hoc autem quod succedit priori, dicitur et est terminus in quem fit conversio. Ille prior compendii gratia dicitur terminus *a quo,* hic posterior terminus *ad quem.* Si spectetur tota res illa concreta, quae dicitur converti, is est *terminus totalis a quo;* ratio autem entis quae desinit, est *terminus formalis a quo.* Eodem modo potest distingui terminus *totalis et formalis ad quem.* Sic e. g. in transsubstantiatione eucharistica terminus *totalis a quo* est substantia panis cum suis accidentibus, terminus *formalis* est sola substantia panis; terminus *totalis ad quem* est Sacramentum Eucharistiae i. e. corpus Christi sub speciebus panis velut unum compositum ex corpore Christi et speciebus, terminus *formalis* est corpus Christi.

Porro ad conversionem requiritur 2°. ut *successio* sit propria et realis, h. e. debet esse non solum extrinsecus ordo

temporis, sed intrinsecus nexus inter desitionem unius et successionem alterius, ita ut vi huius successionis exigatur desitio prioris, et unius desitio ordinetur ad hoc, ut eius vice alterum succedat. Sine hoc nexu intrinseco poterit quidem res una desinere et alia eodem tempore incipere, sed non ideo erit transitus unius in alteram. Hoc tamen non ita intelligendum est, ac si terminus *formalis ad quem* ex natura sua deberet excludere terminum *formalem a quo* eiusque desitionem efficere, sicut se mutuo excludunt e. g. actus contrarii amoris et odii; sed sufficit ut *propria ratio actionis*, quae efficit conversionem, per positionem unius termini exigat desitionem alterius; conversio enim non denominat naturam intrinsecam terminorum, sed actionem et effectum.

Insuper 3°. in conversione terminus *formalis a quo* ex dictis desinit, ac proinde etiam desinit terminus *totalis* esse qualis fuerat, non tamen oportet eum desinere *secundum se totum*, ut statim dicemus. Terminus *totalis ad quem* spectatus in suo complexu per conversionem incipit esse, non tamen est necessarium, ut terminus *formalis ad quem* simpliciter novam existentiam acquirat, quod quidem ex conversione eucharistica evidens fit. Potest id etiam declarari ex generatione in hypothesi praeexistentiae animarum, quae licet ut thesis sit falsa et haeretica, non tamen absolute et per se esset impossibilis; ea autem supposita adhuc esset vera generatio hominis, licet anima, quae ut forma perfectionem et *esse* humanum tribuit, non tum primum inciperet, sed iam praeexstitisset. Analogia sublimior et mysterio eucharistico propinquior potest considerari in generatione Filii Dei secundum naturam suam alteram assumptam ex Virgine Matre. Quamvis enim Filius Dei praeexstiterit ab aeterno, est tamen vera eius secunda generatio, qua incepit non quidem esse simpliciter, sed esse homo. (Vide tractatum de Incarnatione). Si autem vera generatio potest consistere, licet substantialis forma generati, imo licet ipsa persona quae generatur, non tum simpliciter esse incipiat, sed iam praeexstiterit; haud difficulter intelligitur, posse esse veram conversionem, etiamsi terminus *for-*

malis ad quem non simpliciter esse incipiat, sed secundum aliam rationem iam praeexstiterit. Attamen non videtur intelligi posse vera conversio per meram *adductionem* termini iam praeexistentis, sed videtur requiri, ut terminus, licet iam in alio statu praeexistens, ponatur et praesens sistatur per actionem, quae sufficeret ad eius productionem « praeciso quolibet esse quod iam habebat antea » (Pallavicin. Curs. theol. l. VI. c. 19. n. 255.), et quae ideo solet dici *reproductio,* melius forte a Lessio (de perfect. divin. l. XII. c. 16. n. 119.) appellatur *replicatio.* Ita sentiendum videtur respectu etiam habito ad mirabilem et singularem conversionem eucharisticam, ut a Patribus et Doctoribus declaratur, qui corpus Christi in Eucharistia fieri, effici, confici, creari, recreari docent. Sed de his infra distinctius dicemus.

4°. Nolim equidem negare, quod Cardinalis Pallavicinus (l. c. n. 257) adversus Cardinalem De Lugo (disp. 7) et alios affirmat, posse esse veram conversionem, etiamsi terminus *a quo* secundum se totum desinat, nihilque reale ex componentibus terminum totalem *a quo* perseveret et maneat ad componendum terminum totalem *ad quem.* Etiamsi enim supponatur totum id, quod erat reale e. g. in virga Moysis, desiisse et nihil eius permansisse in serpente ut in termino *ad quem,* non tamen posset negari vera conversio virgae in serpentem. *Commune tertium,* quod scilicet maneat idem in utroque termino, ait Pallavicinus, in tali conversione esse, quod terminus *convertendus* sit « pars universi, » et in eius vicem sub identicis adiunctis extrinsecis itidem ut « pars universi » succedat terminus *conversus;* vel, ut alii dicunt, *commune tertium* esset « conceptus rei praesentis. » Quae quamvis concedamus, simul tamen negari nequit, conversionem fore sensu *magis proprio,* si commune tertium in utroque termino totali sit aliquid reale et intrinsecum. In omni enim conversione oportet vere dici posse: hoc quod erat A, nunc est B; seu, ut loquitur S. Ambrosius, in conversione « ea quae sunt, in id mutantur, quod non erant » De myster. c. 9. Id autem certe magis proprie dicitur, si maneat aliquod reale intrin-

secum utrique termino totali. In conversione eucharistica hoc *commune tertium* reale (species panis et vini) reperiri, Pallavicinus utique fatetur et ipse (l. c. n. 259). Realitas obiectiva huius tertii communis tum ex hac ratione conversionis *magis propriae* suadetur, tum ex aliis argumentis suo loco demonstrabitur.

Sicut haec quatuor, quae enumeravimus, requiri ita eadem sufficere atque *sola* requiri ad veram conversionem, fere non aliter quam ex analysi communis notionis, qua omnes concipiunt conversionem, et, si lubet, inductione demonstrari potest.

Corollarium 1. Terminus *a quo* etiam formalis non rite dici potest annihilari; neque enim simpliciter desinit subtracta conservatione divina, sed desinit ad exigentiam actionis qua ponitur terminus *ad quem,* nec desitio est in nihilum, sed ad hoc directa, ut sit aliquid aliud.

Corollarium 2. Ens simplex, in quo nec partes ullae sint, nec ulla accidentia separabilia, non potest esse terminus *a quo* conversionis saltem magis proprie dictae, quia licet tale ens creatum possit desinere secundum se totum, non tamen potest desinere ita, ut aliquid eius remaneat tamquam tertium commune utrique termino.

THESIS XIV.

Demonstratio dogmatis de transsubstantiatione ex traditione divino-apostolica, ut ea exhibetur in universitate et antiquitate consensus christiani.

« Supposita conversionis notione quam saltem in confuso omnes concipiunt, affirmandum est, in divina revelatione contineri modum ipsum, quo in Eucharistia praesens fit corpus et sanguis Domini per conversionem totius substantiae panis et vini in pretiosum corpus et sanguinem; tum enim 1° universitas consensus, quando primum orta est innovatio, tum 2° antiquitas consensus eiusdem ex Patrum scriptis et Liturgiis omnium Ecclesiarum manifesta hoc dogma una cum altero praesentiae realis ab Apostolis traditum esse demonstrat. Quae quidem demonstratio contra fallacias Professoris Anglicani D. Pusey speciatim vindicatur. »

Duplex praemittenda est animadversio. Quamvis imprimis absentia substantiae panis ac vini in SS. Eucharistia, et modus quo desinat panis ac vinum per transsubstantiationem, per se dogmata sint distincta (th. XII.), cohaerent tamen inter se ita, ut cum haereticis de priori potissima sit controversia, et illo demonstrato etiam dogma alterum iisdem omnino testimoniis facillime persuadeatur. Unde non fas quidem est cum Pistoriensibus commendare silentium de transsubstantiatione, proposito tantum duplici dogmate de praesentia reali corporis Christi et de absentia substantiae panis; attamen certum omnino est, veteres omnes Doctores ac theologos qui docebant desitionem substantiae panis ac vini, etiam docuisse transsubstantiationem. Illa ergo panis ac vini desitio maxime in hac thesi nobis prae oculis habenda est. Alterum est quod animadverti debet, fidem universalem totius antiquitatis christianae in realem praesentiam corporis et sanguinis Domini in superioribus demonstratam hîc a nobis praesupponi. Polemice ergo hic non disputamus cum Sacramentariis negantibus realem praesentiam; qui proinde in omnibus testimoniis Scripturae ac Patrum praedicationem *corporis et sanguinis Domini* detorquere coguntur, ut iis tantummodo signum aut virtutem aliquam derivatam a corpore Christi exprimi contendant. Sed disputatio praesens est directe cum iis, qui concedunt verbis Christi Domini, saltem verbis institutionis, et in doctrina Patrum significari, praesens fieri et esse in Eucharistia ipsum reale ac substantiale corpus Domini, simul vero contendunt, substantiam panis manere et cum pane aut sub pane esse corpus Christi, adeoque negant fieri hanc praesentiam per transsubstantiationem. Quamvis enim verum sit, testimonia omnia demonstrantia transsubstantiationem demonstrare eo ipso etiam praesentiam realem, et testimonia saltem pleraque et potissima demonstrantia realem praesentiam etiam demonstrare transsubstantiationem, est tamen ad utramvis demonstrationem alia atque alia consideratio necessaria. Non possunt quidem adversarii quibuscum nunc agimus, impugnare testimonia demonstrantia transsubstantiationem, quin vel inviti simul impugnent

eorum efficaciam ad demonstrandam realem praesentiam, ut Anglicano Doctori Pusey (1) apertissime accidisse videbimus; hoc autem ipsum argumentum est luculentum, dogma realis praesentiae non solum abstracte contineri in revelatione, sed una cum modo, quo praesentia efficiatur per transsubstantiationem; nec tamen hoc impedit, quominus possit ac debeat a nobis praesupponi veritas realis praesentiae, quam iam demonstravimus, et quam adversarii se ultro concedere profitentur. His praenotatis ad theseos probationem accedimus.

I. Imprimis luce meridiana clarius constat, tempore quo Berengariana haeresis orta et damnata est, ac deinceps usque ad innovationes Wicleffi ac Protestantium hanc fuisse fidem ac professionem universae Ecclesiae (dicamus interim occidentalis), quod in Eucharistia non est amplius substantia panis et vini, sed haec substantia desiit per conversionem in corpus et sanguinem Domini.

1°. Sive Berengarius reipsa fuerit in sententia Sacramentariorum (2), sive posteriori saltem tempore admissa reali praesentia solum negaverit absentiam substantiae panis ac vini, et proinde substantiae conversionem; certum est, illum saepe negationi huic posteriori maxime institisse. Iam vero vix dum innotuerat eius doctrina, undique conclamatum est contra innovationem haereticam et contra perversionem catholicae doctrinae non solum quoad primum caput, sed etiam quoad alterum. Scripserunt contra eius haeresim in Gallia, Anglia, Italia Hugo Lingonensis, Adelmannus Brixiensis Episcopus, Durandus Abbas Troarnensis, Lanfrancus, Deodvinus, Guitmundus Aversanus Archiepiscopus, Guilelmus S. Theodorici Abbas, Algerus etc.; Concilia contra eandem coacta sunt plura in Gallia et in Italia. In his autem sive scriptis singulorum, sive Synodorum sententiis praesertim

(1) The doctrine of the real presence as contained in the Fathers etc. 1855.

(2) Opus princeps Berengarii de Sacra Coena repertum a Lessing ostendit, eum negasse etiam realem praesentiam, de qua eius haeresi dubitarunt Mabillon, Martene etc. Vide Staudenmair Philosophie des Christenthums p. 605. 606.

posterioribus, ubi post tot hominis fraudes vel certe repetitos errores professio fidei clarior exigenda videbatur, non minus negatio transsubstantiationis quam ipsius praesentiae realis condemnatur ut contraria fidei totius Ecclesiae et haeretica.

Status totius quaestionis optime intelligitur ex libro B. Lanfranci de Corp. et Sang. Domini. Confutans Lanfrancus libellum Berengarii, quo is suam professionem fidei in Concilio Romano sub Nicolao II. editam retractaverat, ipsa refert eius verba, ex quibus apparet, haereticum ipsum intellexisse, communem Catholicorum fidem et professionem a se in Concilio editam non minus ad transsubstantiationem quam ad realem praesentiam referri. Ita loquitur Berengarius: « erat Burgundus (Card. Humbertus, qui in Concilio tradiderat ei professionem subscribendam) *in sententia imo vecordia vulgi,* Paschasii atque Lanfranci, *minime superesse in altari post consecrationem substantiam panis atque vini.* » Respondet Lanfrancus: « cum catholica Ecclesia dividatur in clericalem ordinem atque laicalem, clericalis vero ordo consistat in Episcopis ac reliquis Christi sacerdotibus, aliisque diversarum dignitatum ecclesiasticis personis, *hos autem omnes praeter paucissimos schismaticos hanc fidem tenere manifestissimum sit,* rectius dixisses: erat autem Burgundus in sententia catholicae Ecclesiae, sed non in mea meorumque sequacium, qui maluimus nos ab ea superbe separare et contra eam ad nostram perniciem schisma facere quam humiliter membra eius esse et *communem cum ea fidem salubriter retinere.....* Nicolaus Papa comperiens, te docere, panem vinumque altaris post consecrationem *sine materiali mutatione in pristinis essentiis remanere,* concessa tibi respondendi licentia, cum non auderes pro tuae partis defensione aliquid respondere, pietate motus ad preces tuas praecepit tradi scripturam tibi (professionem fidei), quam superius posui. » Lanfr. c. 4. 5. Lege ibi reliqua Bibl. Max. PP. T. XVIII. p. 763. sqq. Guitmundus haeresim Berengarianam contrariam fidei catholicae ita describit: « Berengariani omnes quidem in hoc conveniunt, *quia panis et vinum essentialiter non mutantur,* sed ut extorquere a quibusdam

potui, multum in hoc differunt, quod alii nihil omnino de corpore et sanguine Domini sacramentis istis inesse, sed tantummodo umbras haec et figuras esse dicunt; alii vero rectis Ecclesiae rationibus cedentes, *nec tamen a stultitia recedentes,* ut quasi aliquo modo nobiscum esse videantur, dicunt *ibi corpus et sanguinem Domini revera sed latenter contineri, et ut sumi possint, quodammodo, ut ita dixerim, impanari.* Et hanc ipsius Berengarii subtiliorem esse sententiam aiunt » l. I. De Corp. et Sang. Domini Bibl. Max. PP. l. c. p. 441. Utrosque deinde refellit tamquam haereticos dissidentes a fide universali. Singillatim l. III. p. 460. agit contra posteriores, non iam quasi docuissent assumptionem hypostaticam panis, sed unice ex ea ratione illos ut haereticos damnat, quia asserunt panem et vinum manere una cum corpore et sanguine Domini, atque adeo negant transsubstantiationem: « qui, inquit, rationibus Ecclesiae expugnati iam quidem negare nequeunt substantiam corporis Christi cibo inesse Dominico, *panem tamen et vinum per verba Salvatoris in carnem eius et sanguinem verti nequaquam credentes, sed Christum pani et vino commiscentes tamquam subtiliori ratione haeresim alteram condiderunt.* » Imo p. 462 hos impanatores aliquo modo nequiores esse dicit ipsis negantibus realem praesentiam, « qui nequiores nequissimis fratres suos umbraticos prae se iustificaverunt.... et *munitam undique catholicam pietatem bestialiter obstinati ob hoc tantum oppugnare videntur, ne ab ea victi esse videantur.* » Confer etiam Hugonem Lingonens. Bibl. Max. PP. l. c. p. 417 sq.; Durand. Troarn. ib. p. 420 sqq.; Guilelm. S. Theodorici Bibl. PP. Cisterc. T. IV. p. 134; Algerum Bibl. Max. T. XXI. p. 251 sqq. Professionem deinde fidei a Berengario editam sub Nicolao II. fuisse ab ipsomet haeretico intellectam ita, ut per eam damnaretur negatio transsubstantiationis paulo ante vidimus. In professione alia eaque postrema in Concilio Romano edita sub S. Gregorio VII. anno 1079 diserte declaratur: « Ego Berengarius corde credo et ore profiteor, panem et vinum, quae ponuntur in altari, per mysterium orationis et verba nostri Redemptoris *substantialiter converti* in veram et propriam ac vi-

vificam carnem et sanguinem Iesu Christi etc. » (Harduin. T. VI. p. 1585).

Porro in Concilio Lateranensi IV. sub Innocentio III. posita est transsubstantiatio sub ipso hoc nomine in professione fidei catholicae: « (Iesu Christi) corpus et sanguis in Sacramento altaris sub speciebus panis et vini veraciter continentur, *transsubstantiatis pane in corpus et vino in sanguinem potestate divina.* » In Concilio Constantiensi et in Bulla Confirmationis Martini V. damnati sunt articuli Wicleffi, quorum tres primi pertinebant ad negandam transsubstantiationem; in Florentino decreto pro Armenis iterum catholica doctrina confirmata est: « substantia panis in corpus Christi, substantia vini in sanguinem convertuntur, ita tamen quod totus Christus continetur sub specie panis et totus sub specie vini ». Definitio igitur Tridentina non est nisi solemnis et clarissima expressio antecedentis sensus ac consensus Ecclesiae totius.

2°. Iam de consensu omnium theologorum nihil opus esset dicere, nisi nos cogeret incredibilis fallacia Doctoris Anglicani Pusey (1), qui audet affirmare, usque ad saeculum XV iniens opinionem, quod substantia panis ac vini remaneat in Sacramento, fuisse liberam, imo adeo visam fuisse alienam a periculo haereseos, ut potius haberetur commodior ad praecavendas difficultates (l. c. p. 31) (2). Quomodo probat assertionem tantae absurditatis, quantae iam ex paulo ante dictis apparet? Appellat ad eos, contra quos tamquam haereticos scripsit Guitmundus; tum ad Rupertum Abbatem Tuitiensem, cuius sententiam alii aliter interpretantur; ad Innocentium III de Sacrif. Missae l. IV. c. 9; porro ad S. Thomam in 1 Cor. XI. Lect. V, ad S. Bonaventuram,

(1) Quae in sequentibus contra huius Professoris Anglicani disputationes dicturus sum, omnia iam tradideram anno 1865 in lectionibus lithographice editis, ex quibus pleraque auctori catholico, qui eundem Pusey invicte confutavit, usui fuisse gaudeo.

(2) The remaining then of the elements in their natural substances was an open question at the beginning of the XV century, and, so far from being supposed to involve any bad consequence, was rather held to remove difficulties.

Durandum, Ocam, Scotum, Petrum Alliacensem, Caietanum, Hurtadum. Estne horum aliquis, qui negaverit desitionem substantiae panis ac vini eiusque conversionem in corpus et sanguinem Domini? Nullus, fatente ipsomet Doctore Pusey, si excipias illos haereticos a Guitmundo confutatos et Rupertum ex aliquorum interpretatione, qui tribuunt ei opinionem absurdam unionis hypostaticae panis cum Christo (1). Quo ergo pacto homo Anglicanus pervenit ex horum auctorum doctrina ad illam suam mirabilem conclusionem, fuisse usque ad saeculum XV hanc de transsubstantiatione quaestionem liberae disputationis?

Imprimis ait, hos Doctores commemorare sententiam putantium substantiam panis manere, nec tamen eam damnare velut haereticam, idque nominatim asserit de S. Thoma (2). Praeterea insistit modo disputandi Ocami, Durandi, Scoti, Alliacensis, qui fatentur coexistentiam panis cum corpore Christi esse possibilem; transsubstantiationem non posse demonstrari ex Scriptura; multis difficultatibus non futurum fuisse locum, si substantia panis remaneret; nominatim haec tribuit Scoto (3), qui insuper transsubstantiationem solum admittat ut opinionem communiorem. Insuper saeculo adhuc XVI Caietanus commemorat Catholicos, qui verbis tantum non re admittant conversionem panis, et Hurtadus saec. XVII cum aliis defendit possibilitatem coexistentiae panis cum corpore Christi. Haec Anglicanus disputator oratione bene longa et egregie composita ad fallendos homines in principiis doctrinae catholicae, in historia dogmatis et in ipsa historia litteraria parum versatos.

Videamus primum, quomodo loquantur de hac re Doctores, ad quos adversarius appellat. Nominabo Scholae prin-

(1) Vindicavit orthodoxiam Ruperti Gerberonius in opere « Apologia pro Ruperto Abbate etc. » Paris 1669 p. 263 sqq. Cf. Suarez disp. 49. sect. 2. versus finem.

(2) Aquinas mentions and reiects the opinion of the co-existence of the bread and wine with the Body and Blood of Christ, yet without calling it heresy. p. 9.

(3) Scotus nearly a century after the Council of Lateran sets down strongly the principles in favour of the opinion, that the substance of bread remains 4. dist. 11. q. 3. n. 3.

cipes S. Thomam, S. Bonaventuram, Scotum. S. Thomas 3. q. 75. a. 2: « Quidam posuerunt, post consecrationem substantiam panis et vini in hoc Sacramento remanere. Sed haec positio stare non potest ». Adfert quatuor rationes, et concludit: « *unde haec positio vitanda est tamquam haeretica* ». In commentario, ad quem appellat Pusey, S. Thomas ait, *esse impossibile* permanere substantiam panis, absque expressa commemoratione quidem haereseos; sed potuisset eruditus Doctor intelligere, sufficienter reiici in re tali opinionem ut haereticam, quando dicuntur asseri *impossibilia;* si vero id non intellexit, sinceritatis fuisset consulere saltem Angelici Summam utpote princeps eius opus theologicum.

S. Bonaventura primum quaerit, utrum panis convertatur in corpus Christi. Respondet: « sicut dicit Magister, quorumdam fuit positio (scilicet eorum, quos noverat Magister ex controversiis saeculo antecedenti habitis cum Berengarianis et forte etiam ex dubiis S. Anselmo propositis a Waleramo), quod non est ibi aliqua conversio, sed ad invocationem verborum sine conversione fit divina virtute, ut corpus Christi sit ibi. Sed haec positio *contraria est auctoritati Sanctorum* et rationi (theologicae). Rationi quidem, *quia aufert Sacramenti veritatem, congruitatem, et miraculi utilitatem....* Propter haec ergo haec *positio est reprobanda, et neminem habet ex doctoribus defensorem. Immo communiter (communi consensu) tenet Ecclesia, quod est ibi conversio panis in corpus Christi, non inquam in partem corporis sed in totum* ». 4. dist. 11. P. 1. a. 1. q. 1. Descendit deinde Bonaventura ad explicandum modum conversionis et desitionis panis. Supposita communi tunc temporis doctrina philosophica, quod omnia corpora sublunaria componantur ex materia prima et forma substantiali, poterat ante Concilium Tridentinum dubitari, utrum diserta definitione Ecclesiae declaratum sit, non solum desinere substantiam panis ac vini, sed etiam desinere tam materiam quam formam. Pusey videtur parum curare, si semel concedenda sit desitio panis, utrum dicatur remanere illa materia prima necne; fatetur enim p. 12, Durandum tenuisse *transsubstan-*

tiationem, cum tamen neminem lateat, hunc Scholasticum fere solum ex iis quorum scripta supersunt, in illo errore fuisse de permanentia *materiae,* quae fuerat in compositione panis. Et tamen nunc idem Pusey nescio qua fide refert sententias Bonaventurae ex l. c. q. 2, ubi loquitur solum de modo explicandi desitionem panis, ac si ibi ageret S. Doctor de ipsa existentia conversionis, et non immediate ante declarasset, ut vidimus, conversionem panis in corpus Christi ab omnibus theologis et ab universa Ecclesia doceri. Quoad eam igitur opinionem, quod transeat panis manente tamen materia prima vel manente forma, potuit Bonaventura ante Concilium Tridentinum contentus esse mitiori hac censura: « ponunt communiter doctores, quod totum transit in totum, solis accidentibus remanentibus. Et propterea relicta prima opinione quae tollit conversionem materiae, relicta alia, quae tollit conversionem formae, *magis catholicam tenemus,* quod totus panis in corpus Christi convertitur, et optimo iure ista conversio transsubstantiatio dicitur. »

Doctrinam Scoti Professor Anglicanus omnium calumniosissime tractat. Difficultates enim, quas Scotus sibi solvendas obiicit, ita ille proponit, ut lectores existimare debeant, in iis ipsius Scoti sententiam contineri. At vero Scotus in solutione difficultatum et in expositione sententiae tenendae probat ex communi consensu theologorum, ex doctrina Patrum, ex diserta definitione Concilii Lateranensis, credendum omnino esse dogma transsubstantiationis 4. dist. 11. q. 3. n. 13. 14. 15. Ad difficultatem quam sibi obiecerat, « in creditis non esse determinandum modum, qui est difficilior ad intelligendum », respondet: « dico quod non est aliquis articulus arctandus ad intellectum difficilem, nisi ille intellectus sit verus, sed *si verus est et probatur evidenter esse verum,* oportet secundum illum intellectum tenere articulum.... sic autem supponitur de intellectu huius articuli ex auctoritatibus allegatis... Ecclesia declaravit, istum intellectum esse de veritate fidei in illo symbolo edito sub Innocentio III in Concilio Lateranensi: *Firmiter credimus* etc., ubi explicite ponitur veritas aliquorum credendorum, magis

explicite, quam habebatur in symbolo Apostolorum vel Athanasii vel Nicaeni. Et breviter, quidquid ibi dicitur esse credendum, *tenendum est esse de substantia fidei*, et hoc post istam declarationem solemnem factam ab Ecclesia ». Scot. l. c. n. 15.

De reliquis Pusejanis argumentis, quibus suum impudens mendacium de libertate opinandi circa dogma transsubstantiationis usque ad saeculum XV ex Scholasticis persuadere voluit, nihil opus est multis dicere. Non solum hi Doctores censent, sed etiam longe communior theologorum catholicorum sententia concedit, non repugnare per se et ex intrinsecis rerum essentiis, ut corpus Christi praesens constitueretur manente substantia panis (vide Suarez disp. 49. sect. 1). At quando quaeritur, non quomodo Christus hoc Sacramentum corporis et sanguinis sui instituere absolute *potuisset*, sed quomodo actu *instituerit*, omnes consentiunt, non remanere substantiam panis et vini sed eam converti in corpus et sanguinem Domini.

Porro id ita esse, sane non nisi ex revelatione constare potest, aut aliunde constare posse nullus umquam, non dico theologus sed homo sanae mentis putavit. Verumtamen de modis, quibus haec revelatio innotesceret, poterat esse aliqua opinionum diversitas. Consentiunt omnes Catholici, traditionem divinam ab Apostolis Ecclesiae consignatam satis innotescere sensu ac consensu, explicatione ac definitione ipsius Ecclesiae, cui depositum fidei consignatum est sub directione Spiritus Sancti integre custodiendum et infallibiliter explicandum. Fuerunt autem aliqui Scholastici vetustiores, quibus hac sola definitione Ecclesiae, ut ex tempore Berengarianae haereseos est proposita, sensus traditionis apostolicae de transsubstantiatione adversus oppugnatores efficaciter probari posse videbatur, quia nec verba Scripturae nec testimonia Patrum, quae ipsis innotuerant, putabant ita clara esse et per se determinatae significationis, ut praescindendo a definitione Ecclesiae non possent in alium sensum intelligi. At illi omnes Scholastici, ad quos Pusey appellat, ex hoc ipso principio docent, dogma transsubstantiationis credendum esse « propter auctoritatem Ecclesiae ».

Hoc autem profecto non significat, eos hanc doctrinam habuisse ut quaestionem liberae disputationis, ut Anglicanus concludit, sed significat, fuisse diversitatem aliquam opinionum de efficacia aliquorum argumentorum ad theologicam demonstrationem. Solus Alliacensis dubitat, non iam utrum doctrina haec propter communem consensum sit tenenda, sed utrum sit explicite definita ab Ecclesia tamquam dogma fidei. « Quarta opinio, inquit, communior est, quod substantia panis non remanet sed simpliciter desinit esse. Cuius possibilitas patet... Et licet ita esse non sequatur evidenter ex Scriptura nec etiam, videre meo (i. e. quantum ego video), ex determinatione Ecclesiae, quia tamen magis favet ei et communi opinioni Sanctorum et Doctorum, ideo teneo eam etc. » 4. q. 6. a. 2. cf. Vasquez disp. 180. c. 5. n. 47. Ex qua Alliacensis haesitatione, utrum certo constet de sensu definitionis Ecclesiae, manifeste patet, ipsi non satis perspectum fuisse statum quaestionis cum Berengarianis et doctrinam a Conciliis tum declaratam, multoque adhuc evidentius patet, hos commentarios scriptos fuisse ante Concilium Constantiense. Quod postremo Caietanum spectat, is tantummodo agit l. c. de notione conversionis, qualis scilicet debeat intelligi actio qua Christus praesens sistitur, ut sensu proprio dici possit conversio panis in corpus Christi, quam fides docet. In explicatione vero illius actionis omnes Catholici fatemur, posse esse salva fide aliquam opinionum diversitatem.

Iam si consideres, Ecclesiam, quum primum audita est doctrina negans transsubstantiationem, solemnibus definitionibus suum sensum ac consensum non minus in hoc dogma, quam in realem praesentiam manifestasse, theologos omnes etiam eos, quibus sensus Scripturae et Patrum minus perspectus erat, in auctoritate et consensu Ecclesiae conquievisse, agi deinde de dogmate quotidie coram omnibus fidelibus in omnibus totius Ecclesiae sacris altaribus in usum et praxim deducendo, in quo proinde fideles omnes diligenter instituendi erant; facile intelliges, argumentum praescriptionis hîc totam suam vim exserere. Si enim hunc consensum cum omnibus suis adiunctis, praesertim cum indole ac

principiis Ecclesiae Catholicae, spectes primum tantummodo historice et philosophice, videbis repugnantiam in ordine morali maximam, ut haec talis doctrina in tali unanimi sententia umquam induci potuerit per innovationem sive simul et semel uno velut impetu sive paulatim ac velut occulte serpendo, postquam praecessisset communis sententia opposita, in Eucharistia revera esse panem et vinum prout sensus percipiunt. Si autem adiungas principium fundamentale theologicum de custodia depositi sub directione Spiritus Sancti per Pastores et Doctores a Christo in hunc finem institutos, quod principium ex omnibus christianae doctrinae fontibus suo loco luculenter demonstravimus, perspicies eo evidentius absolutam impossibilitatem innovationis et transitus ab antecedente negatione, quae supponi deberet, ad sequentem universalem affirmationem et professionem mysterii. (Vide Tract. de Tradit.).

Quamvis igitur modus loquendi de Eucharistia, ut exstat in monumentis antiquitatis christianae, esset ambiguus et diversos sensus per se spectatus admitteret, quamvis e. g. oratio in omnibus Ecclesiis inde ab antiquissimis temporibus quotidie publice frequentata, ut convertatur panis et vinum per verba Christi et potentiam Dei in pretiosum corpus et sanguinem Domini, et doctrina ab omnibus Doctoribus totius antiquitatis de Eucharistia agentibus multipliciter repetita, panem et vinum mutari, converti, transferri, transelementari in corpus et sanguinem Christi, quamvis, inquam, hae et his similes formae loquendi essent ambiguae; ille tamen, quem diximus, totius nominis christiani consensus per multa saltem saecula manifestissimus, omnem tolleret ambiguitatem doctrinae etiam antecedentis.

3°. Priusquam consideremus modum hunc proponendi dogmatis in antiquitate christiana, quando nullo adhuc instante adversario atque ideo absque scopo polemico simpliciter tradebatur, quid sit de Eucharistia credendum; paulo adhuc amplius et universalius ob oculos habeamus necesse est consensum ipsum aetatis nobis propinquioris, ut eo certior et evidentior sit conclusio ad consensum antecedentem. Neque enim solum in Ecclesia occidentali, de qua hucusque

diximus, sed pari omnino consensione eandem fidem de absentia substantiae panis ac vini et de transsubstantiatione videmus manifestam in Ecclesia orientali a multis saeculis divulsa ab Ecclesia latina, et apud diversas sectas orientales. Polemice vero in oppositione ad certos errores sicut in occidente ita etiam in communionibus orientalibus fides tradita de Eucharistia sese manifestavit, quamprimum innovationes eis innotuerunt vel malis artibus obtrudi coeperunt saeculo XVI. et saeculo XVII.

Primum enim Lutherani Tubingenses, deinde Calviniani per Patriarcham Cyrillum Lucarim aliosque Graecos, paucissimos in suas partes pellectos, ipsis orientalibus persuadere aggressi sunt, fidem a maioribus acceptam revera esse eam, quam Protestantes invexerant. At responsa Ieremiae Patriarchae Constantinopolitani ad Tubingenses, Synodi congregatae ad damnandas haereses Cyrilli Lucaris, attestationes quam plurimae subscriptae ab Episcopis et Clericis tum Graecis tum Monophysitis et Nestorianis, Professio Fidei Ecclesiae orientalis approbata a Patriarchis et Metropolitis demonstrarunt etiam iis, qui studiose facti veritatem negare vel saltem occultare conabantur, sicut circa alia capita a Protestantibus reiecta ita circa doctrinam transsubstantiationis eandem omnino professionem servatam esse ab orientalibus per tot saecula ab unitate Eccclesiae recisis, ac est fides Ecclesiae Catholicae. Vide documenta citata in Tract. de Sacramentis in genere th. XVIII., ubi de numero Sacramentorum egimus; in iis omnibus reperies semper etiam articulum expressum de transsubstantiatione. Quoniam eas omnes attestationes transcribere non vacat, sit ceterarum loco vel una « Professio Fidei Ecclesiae orientalis », quae ab omnibus Patriarchis et a Metropolitis schismatis Graeci ac Russiaci approbata ita habet quaest. CVII: « Eo tempore, quo sacra munera consecrat sacerdos, ita omnino secum statuere debet, quod substantia ipsa panis et substantia vini transmutatur in substantiam veri corporis et sanguinis Christi opera Spiritus Sancti, cuius invocationem tum peragit (sacerdos) rogans, ut mysterium ipse perficiat, et dicens: mitte Spiritum Sanctum tuum etc. Quip-

pe pronuntiatis his verbis transsubstantiatio (ἡ μετουσιωσις) statim fit, transmutaturque panis in verum corpus Christi et vinum in verum sanguinem manentibus tantummodo speciebus, quae apparent etc. » ed. Lipsiae 1695 p. 166. Commentum, quod haec doctrina posteriori tempore a Latinis ad omnes communiones orientales transierit, sponte se prodit ut absurdum ex rei impossibilitate, ex protestatione orientalium, quando id eis a Protestantibus est obiectum (cf. Perpetuit. Fidei T. III. p. 481. sq.), et ex plena concordia quoad hoc caput inter Ecclesiam Romanam et orientales, quoties de resarcienda unitate actum est. Unde etiam illi schismatici, qui ut Marcus Ephesinus ad impediendam unionem quaslibet discrepantias in disciplina ecclesiastica exaggerabant, in hoc articulo fidei plenam agnoscebant consensionem. In professione fidei edita a Michaele Palaeologo in Concilio Lugdunensi II. anno 1274 simpliciter declaratur: « Sacramentum Eucharistiae ex azymo conficit eadem Romana Ecclesia credens et docens, quod in ipso Sacramento panis vere transsubstantiatur in corpus (ἀληθως μετουσιουται εἰς σωμα) et vinum in sanguinem Domini Iesu Christi » Harduin. T. VII. p. 695.

Spectata iam consensione totius nominis christiani in universo orbe terrarum, consensione communionum ex multis saeculis nullo unitatis vinculo inter se cohaerentium, consensione in mysterio, quod hinc quidem est in publica et quotidiana usurpatione et praxi omnium fidelium, inde vero creditu difficillimum et supra rationem ipsique testimonio sensum contrarium videtur, quis non intelligit, quantam vim demonstrationis prorsus ineluctabilem acquirat argumentum praescriptionis. Immediate enim continetur in hac professionis unitate antiquitas eiusdem saltem relativa, quod fides eadem iam universalis erat in oriente et occidente ante exortum schisma; et continetur apostolicitas seu antiquitas absoluta, quia consensus talis est, quem ratione tum philosophica tum theologica intelligimus non posse nisi ex revelatione ab Apostolis tradita originem duxisse. Proinde etiam hic manifestus multis saltem saeculis consensus christiani nominis norma esse deberet interpretatio-

nis, si quid in modo loquendi superiorum aetatum ambiguum esset vel minus explicitum. Quanto vero magis universalis eadem professio saeculorum propinquiorum non modo haeresim sed etiam stuporem animi convincit hominum, qui, ut mox videbimus, obvium sensum ac consensum saeculorum antecedentium in publicis Liturgiis et monumentis SS. Doctorum per omnes Ecclesias manifestum cavillando indigne detorquent, et, ut loquitur Guitmundus, « munitam undique catholicam pietatem bestialiter obstinati ob hoc tantum oppugnare videntur, ne ab ea victi esse videantur ».

II. Imprimis est doctrina constans, perpetua, universalis totius antiquitatis christianae, quod per verba Redemptoris et per omnipotentiam Spiritus Sancti *« panis transmutatur, convertitur, transelementatur etc. in corpus Christi, vinum in pretiosum sanguinem Christi »*; *de pane fit corpus Christi »*; *« panis propositus in altari fit corpus Christi »*; pariterque *« vinum, id quod est in calice, fit sanguis Christi »*. Singillatim sententias Patrum ac Liturgias antiquas, in quibus plane omnibus haec fides a sacerdote, a diacono, ab universo populo publice profitenda continetur, hîc transcribere opus non est, cum testimonia sint notissima et a nobis, quantum satis est, citata in thesi VIII, ubi de reali praesentia egimus. Animadvertatur autem sedulo id quod dixi, hunc non esse modum forte loquendi rariorem et specialibus quibusdam in adiunctis et occasionibus adhibitum, sed esse modum communem et universalem in institutione totius populi christiani, hanc communem, publicam, universalem omnium professionem.

Ut una cum expositione doctrinae totius antiquitatis christianae directe confutemus argumenta contraria a Professore Anglicano nunc iterum ex Calvinianis fontibus inducta, considerabimus in ea, quam praestruxi, professione antiquitatis 1° terminum, *in quem* dicitur fieri conversio, et qui est *corpus Christi;* 2° examinabimus modum, quo Patres loquuntur de desitione termini, *qui convertitur;* 3^{io} denique spectabimus eorum doctrinam de ipsa *conversione substantiali*.

1° *De termino, in quem fit conversio.* In universali illa professione, qua tota antiquitas christiana consentiebat unanimis, « panem converti, transmutari etc. in corpus Christi », Pastores et fideles *corpus Christi* intelligebant corpus ipsum reale et substantiale. Nondum affirmo, intelligi conversionem substantialem ; sed solum aio, in ea solemni formula praedicatum *corpus Christi* retinere suam significationem propriam et non posse sumi in significatione impropria et translata. Id probatur argumentis omnino omnibus, quibus demonstravimus realem praesentiam. Eodem enim sensu dicitur *corpus Christi* in hac formula « panis transmutatur aut convertitur in corpus Christi », et « panis aut de pane fit corpus Christi », quo sensu accipitur in verbis Domini: « hoc est *corpus meum* ». Sane proprietas significationis huius nominis *corpus Christi* in solemni professione: « panis transmutatur in corpus Christi », ita evidens est, ut nulla demonstratione opus esse deberet pro illis, qui profitentur se admittere praesentiam realem substantialis corporis Christi, et qui proinde agnoscunt sensum proprium in verbis institutionis: « hoc est corpus meum ». Profecto enim ex iisdem rationibus absurdum est, ut inde a temporibus apostolicis omnes fideles semper et ubique profitentes « panem transmutari aut converti in corpus Christi », intellexerint *corpus Christi* sensu improprio pro re significante corpus vel elevata ad specialem virtutem derivatam a corpore Christi, ex quibus rationibus in verbis Christi: « hoc est corpus meum », idem hic sensus improprius repugnat, quem Sacramentarii confinxerunt.

Quando Doctor Anglicanus constantem doctrinam Patrum et Liturgiarum de conversione panis in corpus Christi non veretur explicare hoc commentario, quod substantia panis manet, et tamen ipse panis fit « sacramentaliter corpus Christi », fit « spiritualiter, sacramentaliter, supernaturaliter, tamen non carnaliter corpus Christi », « quod panis est in sua naturali substantia et suis qualitatibus, et est (panis idem) ineffabiliter et divine corpus Christi » etc. p. 152. 272. 307; patet terminum *corpus Christi* in locutione interpretanda (« panis mutatur in corpus Christi ») accipi

sensu improprio pro re elevata ad aliquam supernaturalem virtutem et qualitatem, propter quam dicatur corpus Christi, ut ergo non panis convertatur in proprium et substantiale corpus Christi, sed panis *communis* mutetur in panem *benedictionibus cumulatum*. At si panis in tota antiquitate usu universali et non solum nulla addita explicatione metaphorae, sed additis declarationibus, ut videbimus, quae metaphoram in praedicato « *corpus Christi* » excludunt, potuit propter huiusmodi superadditam qualitatem dici *transmutatus in corpus Christi*, idque derivatione immediata ab ipsis verbis Salvatoris « hoc est corpus meum », quibuscum illa professio antiquitatis christianae connectitur; iam absurdum non esset verba Salvatoris, quando accepit panem et dixit: « hoc est corpus meum », intelligere eodem sensu: hoc est corpus meum i. e. panis elevatus ad supernaturalem virtutem, propter quam dicitur corpus Christi. Cur deinde testimonia Patrum, quibus in connexione cum verbis iisdem evangelicis affirmant praesentiam corporis Christi, non in eundem sensum cum Calvinianis detorqueri poterunt? Atqui haec detorsio verborum Christi et SS. Patrum evidenter absurda est, ut a nobis suis locis ostensum est et a Doctore Pusey non negatur, qui librum suum scripsit ad demonstrandam realem praesentiam. Ergo evidenter eodem modo repugnat, ut *corpus Christi* intelligatur sensu improprio in professione solemni: *panis transmutatur in corpus Christi*, quo sensus improprius repugnat in verbis: *hoc est corpus meum.*

Voluit Anglicanus Professor revelationem divinam pro lubitu dispertiri, ut partem eius unam admitteret, alteram negaret, atque ideo coactus est ad negationem veritatis revelatae statuere principia, quibus aeque uti possunt haeretici alii ad negationem etiam alterius partis, quam ipse videt esse necessario affirmandam. Est quippe praesentia realis revelata non abstracte solum et seorsum a modo quo efficitur, sed una cum hoc modo complexa; unde fit, ut revelatio ipsius modi, prout in praedicatione ecclesiastica continetur, impugnari non possit nisi iisdem absurdis principiis interpretationis, quibus Sacramentarii impugnant

praesentiam realem. Nec immerito Calviniani et Zwingliani Lutheranis opponere solebant, adserta praesentia reali substantialis corporis Christi admittendam etiam esse transsubstantiationem; et propter ipsam intimam connexionem veritatum fidei inter se invicem verum pariter est, quod ait ipse Doctor Pusey p. 75, haereses quae etiam videntur sibi contrariae, vinculo aliquo principiorum inter se cohaerere, ut pronus sit lapsus ab una in alteram (1).

Posset forte dici, corpus Christi in universali et constanti illa professione, qua panis et vinum dicitur transmutari et converti in corpus et sanguinem Domini, non significare rem sanctificatam quomodocumque, sed sanctificatam corpore Christi contento et praesente in ea, unde sensus erit: panis communis transmutatur et convertitur in rem continentem corpus Christi. At imprimis hic sensus subiiciendus verbo *corpus Christi* esset saltem aeque improprius; nos autem non solum aliquam specialem significationem impropriam, sed generatim et simpliciter significationem impropriam et translatam demonstramus esse absurdam. Quis porro non videt, aeque esse commentitiam et contra omnium hominum usum loquendi confictam significationem, ut in formula solemni liturgica, a Patribus adhibita velut simplicissima et non indiga explicationibus, imo qua ipsi Patres tamquam propositione adhuc clariori solent explicare, quid efficiatur verbis institutionis: « hoc est corpus meum », ut in tali inquam formula vox *corpus Christi* non retineat suam propriam et obviam significationem, sed detorqueatur ad sensum improprium, petitum e longinquo, qui nemini nisi cavillando possit in mentem venire? Ceterum, ut maneamus in instituto argumento *ad hominem*, si in tam solemni, simplici, universali professione fidei, quid sit Eucharistia, iam asseritur intelligi debere *corpus Christi* sensu improprio non obvio sed difficillimo (talis enimvero est, si iubemur nomine *corpus Christi* intelligere *pa-*

(1) All faith harmonizes together. Every portion of faith bears upon others. Hence heresies, seemingly unconnected, are brought in sudden contact with each other. Or one heresy ramifies into others. They have a secret sympathy with each other.

nem continentem corpus Christi), quomodo, quaeso, persuadebis, esse potius verum hunc sensum quam alium Sacramentariorum pari quidem modo, sed certe non magis improprium et contortum, quo dicitur nomine *corpus Christi* significari panem elevatum ad figuram vel ad virtutem corporis Christi?

Negari igitur sine ridiculis contorsionibus Sacramentariorum nullo modo potest, in professione communi omnibus Ecclesiis antiquitatis, quod panis transmutatur aut convertitur in corpus Christi, quod panis transmutatione fit corpus Christi (vide Liturg. Chrysostomi th. VIII. p. 109. 110.), quod de pane fit corpus Christi; in hac, inquam, professione *corpus Christi* intelligi sensu obvio ac proprio corpus, Christi reale et substantiale. Dicitur ergo unum corpus transmutari aut converti in aliud corpus (panis in corpus Domini). Atqui quoties unum corpus transmutatur in aliud corpus, una substantia in aliam substantiam, semper et necessario intelligitur prior substantia desinere et fieri alia seu in vicem eius succedere alia; est quippe haec essentialis notio conversionis substantiae in substantiam sensu declarato in th. XIII. Cum enim conversio sit desitio unius per successionem alterius *secundum aliquam rationem* entis, qualis sit haec ratio entis, utrum substantia an accidens, designatur non sane verbo *transmuto, converto* etc., quod fere indifferenter se habet ad quamvis speciem transmutationis significandam; sed designatur ratio entis, secundum quam est desitio et successio, per terminum in quem fit conversio, seu per terminum formalem *ad quem*. Si igitur hic terminus formalis *ad quem* est substantia, necessario intelligitur haec substantia succedere in vicem et ad desitionem alterius *esse* specifici, quod ponitur ut terminus convertendus (terminus *a quo*); et proinde si, ut supponitur, etiam hic terminus *a quo* est substantia, necessario intelligitur, unum *esse* substantiale designatum in termino *ad quem* succedere in vicem et ad desitionem alterius *esse* substantialis designati in termino *a quo*. Sic docti et indocti, quando audiunt converti virgam in serpentem, omnes intelligunt, per successionem illius *entis*

substantialis, quod est serpens, desinere alterum *ens substantiale,* quod est virga; sicut vicissim omnes intelligunt, quando dicitur e. g. natura corrupta transmutari in incorruptionem, mutationem esse secundum desitionem imperfectionis et successionem perfectionis accidentalis in eadem permanente substantia. In illa ergo solemni professione: « panis transmutatur in corpus Christi », eo ipso quod terminus *ad quem* est atque ex dictis et adhuc dicendis necessario intelligitur substantiale corpus Christi, manifesto exprimitur conversio substantiae in substantiam, desitio scilicet substantiae quae est panis, per successionem substantiae alterius quae est corpus Christi.

Dixi conversionem substantialem exprimi, quoties terminus formalis *ad quem* seu id, in quod fit transmutatio, est substantia; non tamen dico, semper intelligi conversionem substantialem, quoties terminus *ad quem* designatur nomine substantivo, quod per se quidem et significatione immediata est nomen substantiae, sed tamen ex usu loquendi adhiberi potest et in contextibus reipsa adhiberi intelligitur non ad significandam substantiam, sed sensu improprio ac translato ad significandam qualitatem seu perfectionem accidentalem (ut accidens opponitur substantiae). Videlicet quando terminus formalis *ad quem* est qualitas accidentalis, ex dictis conversio non est secundum substantiam, sed substantia secundum *esse* substantiale manens eadem mutatur secundum *esse* accidentale ab hoc statu in alium, ut corpus corruptibile mutatur in corpus glorificatum, ubi *terminus formalis ad quem* non est corpus, sed sunt qualitates glorificationis succedentes qualitatibus corruptibilitatis. Iam sicut in propositionibus enuntiantibus quid aliquid sit, potest aliquando qualitas exprimi in praedicato metaphorice per nomen designans significatione immediata substantiam et significatione translata qualitatem, ita etiam in propositionibus enuntiantibus mutationem idem et secundum eundem usum loquendi fieri potest in termino formali *ad quem.* At sicut in propositionibus prioribus observandae sunt leges locutionis humanae, ita eaedem omnino leges custodiantur oportet in propositionibus hisce posterioribus,

ne oratio evadat inepta et ad fallendum composita. Lex autem metaphorarum est universim, ut fundamentum translationis sit notum et sponte se offerens intellectui, adeoque in re praesenti postulatur talis similitudo inter rem substantialem a qua nomen transfertur, et inter rem alteram ad quam ob similitudinem ac analogiam qualitatum transfertur, ut facile intelligatur sensus translatus et fundamentum translationis. Sic sine periculo erroris potest dici, homines per gratiam et vitae innocentiam mutari in angelos; in resurrectione corpus transire in naturam animae et fieri spirituale; per gratiam baptismi transmutari fideles in Christum; Christum dum nobiscum unitur in Eucharistia, non transmutari in nos, sed nos in ipsum; Paulum diligentissima imitatione in se ipso expressum ostendisse Christum transmutata animae suae forma ad ipsum exemplar; bonitatem divinam transmutare nos in se ipsam. Sunt haec exempla ex Patribus citata a Doctore Anglicano. Contra vero quod ad scopum peculiarem dixit Gregorius Nyssenus (contr. Eunom. l. IV. p. 161; l. I. p. 56. T. II.), humanam naturam in Christo (per glorificationem) transmutatam esse in divinitatem, vel in divinam naturam (1), obscurum est et indigum multa explicatione ex aliis doctrinae capitibus, et ex ipsius Gregorii aliis sententiis (cf. Petav. de Incarn. l. X. c. 1. n. 6. sq.). Unde talis modus loquendi nec fuit nec esse potuit umquam penes Catholicos communis et tamquam universalis fidei professio, quid de Christo credendum sit; sed propter eandem rationem quia sensu obvio ac proprio verborum exprimit substantialem humanae naturae mutationem, potuit adhiberi et revera est adhibitus sine alia explicatione ad exprimendum dogma Eutychianorum.

Discrimen itaque inter locutiones, ubi formalis terminus conversionis *ad quem* exprimitur per nomen immediate designans qualitatem seu accidens, et inter has alias, ubi idem terminus exprimitur per nomen sensu non immediato

(1) Locutiones aliae Nysseni ad exprimendam absorptionem infirmitatis et abundantiam glorificationis in humana Christi natura, quas Doctor Anglicanus iterum coacervavit, nullam vel certe non eandem habent obscuritatem.

sed translato designans qualitatem, dummodo sensus tropicus sit manifestus, non est aliud quam rhetoricum, sicut universim inter locutiones proprias et metaphoricas, atque adeo pari modo utrisque exprimitur transmutatio non secundum substantiam, sed secundum accidentalem aliquam rationem entis. At ubi tamquam terminus formalis *ad quem* designatur substantia, ubi videlicet nomen designans substantialem rationem entis constat retinere suam propriam significationem et non adhiberi sensu translato, non potest intelligi alia transmutatio expressa, quam secundum substantialem rationem entis, ut evidenter constat in hac solemni professione, quod panis *transmutatur in corpus Christi* seu *fit corpus Christi,* in Liturgia toties per omnes Ecclesias ab universo Clero et populo repetita, quoties divina mysteria celebrantur.

Professor Oxoniensis impendit centum fere paginas p. 162 sqq. ut demonstret, verba *transmutari, transferri, transelementari* apud Patres occurrere etiam de transmutationibus accidentalibus, id quod contentione magna sed prorsus non necessaria nec utili ad suum scopum iam praestiterant Calviniani Albertinus, Blondellus et Claudius (vide Perpetuit. Fid. defens. T. II. l. VI. c. 3). Concedimus omnes, fieri etiam transmutationes accidentales et quidem frequentissimas, et has quoque designari verbis commemoratis. Quando Catholici insistunt verborum significationi, ut ille ipse scriptor catholicus, quem Pusey nominatim ibi impugnandum suscepit, profecto non agunt de significatione verbi *transmuto, transelemento* etc. seorsim sumpti, sed de locutione complexa *transmutationis, transelementationis etc. in corpus Christi* (1).

(1) Nihil potest affirmari absurdius, quam quod Oxoniensis Doctor tamquam principium adtribuit Catholicis, cui tota eorum demonstratio transsubstantiationis innitatur. Assumunt scilicet, inquit, Romani Catholici, mutationem rei materialis non posse esse aliam, quam mutationem ipsius substantiae. « Roman Catholics assume, that the *change* of a material obiect must necessarily be a material change, a total change of its very substance. The whole strength of their argument lies in this assumption. Wherever a word impleying *change* is used of the conse-

In longe maxima parte exemplorum, quae a disputatore nostro post Calvinianos producuntur ex SS. Patribus, expresse terminus *ad quem* ponitur qualitas aut perfectio accidentalis superaddita; in plerisque enim dicitur nos transmutari *in melius, in aliquid divinius, in incorruptionem*, Christum per suum Evangelium nos transmutare *quodammodo ad suam propriam qualitatem* (προς ἰδιαν ὥσπερ ποιοτητα Cyril. Alex. de Ador. l. 17. p. 614), naturam humanam in Christo *esse transmutatam ad divinam dignitatem*, aquam baptismi per virtutem Spiritus Sancti transelementari vel transferri ad quandam divinam et ineffabilem *efficaciam* (προς θειαν τινα και ἀῤῥητον ἀναστοιχειουται al. μεταστοιχειουται δυναμιν Cyrill. T. IV. p. 147) etc. etc.

Ad hanc classem pertinent etiam propositiones illae ab adversario citatae, in quibus terminus *totalis* quidem exprimitur per nomen substantiae cum epitheto designante qualitatem, sed terminus *formalis* transmutationis continetur unice hoc epitheto qualitatis. Ita a Gregorio Nysseno in interpretatione illius dicti in Ps. II. « reges eos in virga ferrea etc. » dicitur Christus gentes confracto eo, quod erat luteum ac testaceum, transelementasse in *intemeratam* naturam (εἰς την ἀκηρατον φυσιν), et a Chrysologo dicitur Christus naturam commutare in *coelestem* substantiam; similiter a Tertulliano dicuntur homines in resurrectione « demutati in *angelicam* substantiam per illud incorruptelae indumentum, » a Macario « transmutati in *di-*

crated elements, they assume that this change must be a total change of its physical substance or matter, and that, a change into another substance or rather an annihilation of the former » p. 171. Itaque quia omnes Catholici credimus e. g. aquam, oleum etc. mutari ex aqua et oleo communi ac profano in materiam sacramentalem et in rem sacram, credamus necesse est, aquam et oleum desinere et mutari in aliam substantiam, puta forte in quintam essentiam veterum physicorum; imo credamus oportet res omnes materiales in perpetua esse transmutatione substantiali, cum mutationes multiplices in eis sint continuae; id enim sequitur necessario ex nostro illo principio ab erudito Doctore in nostris animis detecto, quod fateor me numquam, verbis saltem tam crudis, exprobratum apud ullum scriptorem praeter hunc unum legisse, numquam alicui in mentem venire posse suspicatum esse.

vinam naturam » seu potius in naturam *Deo similem* εἰς θεϊκὴν φυσιν; a Cassiano dicitur in Christo per glorificationem « natura carnis in *spiritualem* (cf. 1. Cor. XV. 44) translata substantiam ».

Altera classis testimoniorum a Doctore prolata est, ubi qualitas exprimitur per nomen substantiae sensu improprio et translato adhibitum. De his sufficiunt paulo ante dicta, profecto enim illae locutiones manifesto tropicae hinc inde in certis contextibus et occasionibus adhibitae nihil prorsus habent commune cum professione universali, quod panis transmutatur in corpus, vinum in sanguinem Domini; vel panis ac vinum, de pane et vino fit corpus et sanguis Domini.

Tertiam classem testimoniorum habet Doctor Anglicanus communem cum antiquis Lutheranis. Confert scilicet duas propositiones: « Verbum caro factum est », et « panis fit corpus Christi ». Patres S. Athanasius, S. Gregorius Nyssenus etc. multis insistunt, in priori propositione nullam debere intelligi mutationem; ergo, ita ipse infert, etiam quando iidem Patres docebant, quod panis fit corpus Christi, non possumus censere, eos intellexisse mutationem substantialem panis. Ergo, posset prosequi ulterius, quando iidem Patres legebant in Scripturis « aquam vinum factam, uxorem Loth factam statuam salis, » non possumus censere ab eis intellectam fuisse mutationem substantialem, ut aqua et uxor Loth desiverint esse substantialiter idem quod fuerant. Imo in illa propositione « Verbum caro factum est, » non solum nulla substantialis, sed nec ulla accidentalis mutatio Verbi intelligi potest, cum utraque absolute repugnet in Deo; ergo iuxta hanc artem interpretandi neque possumus censere, in propositione altera indicari mutationem, quam Doctor Pusey nominat sacramentalem, et quam reipsa in pane fieri affirmat.

Omissis vero huiusmodi responsionibus indirectis, quae tantummodo ostendunt illationem Doctoris esse absurdam, non tamen demonstrant rationem, cur sit absurda; consideremus ambas propositiones in se ipsis, quomodo conveniant et quomodo discrepent. Suppono ex Tractatu de Incarnatione, in priori propositione praedicatum *caro* esse positum

per synecdochen notissimam in usu loquendi biblico pro concreto: Verbum factum est homo. Iam in hac propositione praedicatio « factum est homo » debet intelligi sensu proprio et substantivo: factum est realiter et substantialiter homo. Qui diceret, significari non Verbum substantialiter factum hominem, sed inhabitatione et relatione coniunctum cum homine, incideret in Nestorianismum; qui affirmaret, praedicatum *homo* intelligi non hominem substantialem, sed figuram vel virtutem hominis, incideret in docetismum vel Eutychianismum. In hoc ergo congruit propositio cum altera: panis fit corpus Christi, ubi aeque ex dictis et dicendis necessario intelligitur, panem fieri realiter et substantialiter ipsum corpus Christi. Qui autem affirmant, indicari tantummodo figuram corporis Christi, vel panem in quo praesens sit corpus Christi, ii sequuntur priores quidem hermeneuticam Docetarum, posteriores Nestorianorum. Unde quod adversarius exprobrat Catholicis, propositioni « Verbum caro factum est » subiici sensum haereticum, si verbum *fieri* urgeatur, ut a Catholicis urgetur in propositione altera: « panis fit corpus Christi; » id possemus certe meliori iure retorquere in ipsum: si verbum *fieri* accipiunt in propositione Evangelii Ioannis eo sensu, quo illud detorquent in propositione altera « panis fit corpus Christi », necessario incidunt in docetismum vel Nestorianismum.

At praeter hanc *proprietatem* significationis ac *realitatem substantialem* in praedicato duae illae propositiones nihil habent commune. In priori subiectum est Verbum h. e. persona secundum formalem rationem personalem et persona divina, in qua omnis mutatio absolute repugnat. Eo ipso, quod in praedicato enunciatur terminus substantialis *factum est homo,* necessario inferretur mutatio subiecti quod factum est homo, nisi subiectum esset Deus essentialiter incommutabilis; nullam ergo ibi indicari mutationem, non ex praedicato sed unice ex infinita perfectione subiecti intelligitur. Porro sicut subiectum est persona divina denominata secundum naturam divinam, quam solam habet ante Incarnationem, ita in praedicato *homo* significatur eadem persona divina denominata secundum alteram naturam, quam

in tempore assumpsit sibique fecit propriam ita, ut Deus vere et substantive sit homo. Propositio igitur Deus est homo, non enuntiat naturam divinam esse naturam humanam, sed enuntiat identitatem personae quae in subiecto denominatur secundum unam; in praedicato secundum alteram suam naturam, atque ideo potest esse et est vera, quia persona divina potest habere et habet duplicem naturam. Unde et in propositione Deus Verbum fit homo, significatur velut via ad illum terminum *Deus-homo,* quod scilicet personae divinae habenti ab aeterno naturam divinam incipit in tempore propria esse natura etiam humana, citra mutationem non mutabilis Deitatis. Quid iam quaeso his simile est in propositione altera « panis fit corpus Christi? » Incipitne hypostasis panis absque sui mutatione habere duas naturas, unam qua sit panis, alteram qua sit corpus Christi reale et substantiale, atque adeo corpus Christi desinit esse in hypostasi Verbi et incipit esse in hypostasi panis? « faciebat ad vanitatem Marcionis, ut panis crucifigeretur! » (Tertull. cont. Marc. l. IV. 40).

Sepositis aegri somniis inspiciatur propositio: « panis fit corpus Christi. » Non enuntiatur in subiecto hypostasis secundum formalem rationem hypostaseos, ut habens unam naturam, et in praedicato eadem hypostasis, ut habens aliam naturam, sed enuntiatur in subiecto substantia spectata secundum naturam, et in praedicato alia natura substantialis, atque una dicitur fieri alia, quod in omnium hominum linguis significat et ab omnibus mentibus intelligitur non aliter, quam quod una desinat esse per successionem alterius in eius vicem. Unde verum est, quod dixi, praeter substantialitatem praedicati nihil esse commune duabus propositionibus ab adversario collatis, quasi idem *fieri* absque mutatione intelligi posset in una, quod intelligitur in altera. Ut conferri possent, deberet altera ita habere: Deus spectatus secundum naturam factus est corpus humanum. Tum sane, sicut in propositione de qua quaeritur, natura substantialis una diceretur fieri natura substantialis alia, eoque ipso intelligeretur dici natura divina desinere et in eius vicem succedere corpus humanum; quod

quia propter necessariam et incommutabilem essentiam divinam evidenter est absurdum, evidenter absurda esse intelligitur propositio enuntiata.

Maneat igitur, in universali professione (« panis transmutatur, transelementatur, convertitur, transit in corpus Christi; panis, de pane, ex pane fit, efficitur, conficitur corpus Christi; panis fit ipsum corpus Christi »), enuntiari successionem corporis Christi in vicem panis desinentis eo ipso, quod terminus, in quem dicitur fieri transmutatio, est reale et substantiale corpus Christi, cum praedicatum *corpus Christi* in hac professione aeque ac in verbis institutionis « hoc est *corpus meum,* » ad quorum efficientiam declarandam illa refertur, sensum proprium necessario retineat, nec possit intelligi sensu improprio et translato sive pro figura corporis, sive pro re elevata ad virtutem corporis, sive pro re continente corpus Christi.

2°. *De termino, qui convertitur.* Modus loquendi Patrum de pane et vino, quae convertuntur, demonstrat, semper creditam fuisse conversionem substantiae panis et vini (1) (i. e. rei ipsius quae est panis ac vinum, intellectae sub accidentibus sensu perceptis: το νοουμενον δια των φαινομενων), ut incipiat esse corpus et sanguis Domini sub sensibilibus panis ac vini speciebus seu phaenomenis. Imprimis enim docent Patres, ante consecrationem esse panem, post consecrationem non esse amplius panem, sed tantummodo videri esse; propter infallibile verbum Dei fide credi debere, non

(1) Discrimen essentiale inter *substantiam* et *accidens* nemini est incompertum; *substantia,* quod aptum est naturaliter ut in se et per se exstet; *accidens,* quod naturaliter non potest esse nisi inhaerens alteri ut subiecto (entis ens). De specialibus tamen accidentium proprietatibus potest esse diversitas opinionum, quin ideo tollatur essentiale illud discrimen *accidentis* et *substantiae.* Unde putida est cavillatio Professoris Oxoniensis p.160. Ad verba Catechismi Tridentini: « Panis nomine Eucharistia appellari consuevit tum quia panis speciem habet, tum quia naturalem alendi et nutriendi corporis vim, quae panis propria est, adhuc retinet, » ille adnotat: « If this be so, the statement of the change of substance would seem to become a name, since every thing would be supposed to remain, which the human mind can conceive of as the *substance* of a physical obiect etc. »

amplius esse id quod sensus renuntiant, sensus enim saepe fallere; pro pane, qui antea erat, iam esse corpus Christi in altari positum, pro vino in calice iam esse sanguinem Domini.

Catechesin de Eucharistia concludit Cyrillus his verbis: « Plena imbutus fide, *quod qui apparet panis, panis non est, etiamsi gustu sentiatur, sed corpus Christi; et quod apparet vinum, vinum non est, etiamsi gustus hoc velit, sed sanguis Christi*... confirma cor tuum. » Catech. myst. IV. n. 9. (Vide doctrinam Ioannis Hierosolymitani successoris Cyrilli th. VIII. p. 94). « Ab illo temporis puncto, quo accepit panem (Dominus Iesus) et dixit illum corpus suum, *non erat panis sed corpus eius,* et hoc manducabant admirantes (1)..... Panem, quem fregit et dixit corpus suum, corpus agnoscebant (Apostoli) (2), et ita illud credebant, ac si in veritate sanguis eius stillaret » S. Iacobus Sarugens. (th. VIII. p. 107). «Vidi mixtum craterem eius (Fidei) et *pro vino repletum sanguine*, et *pro pane positum ab ea corpus* in media mensa sua » S. Isaac M. (vide text. syr. supra pag. 107). « *Non panem, quod sanctificatus esset, appellavit corpus suum, et non tantummodo vinum, quod magnificatum esset* (ad supernaturalem ordinem elevatum) *per benedictiones, appellavit sanguinem sacrum*, sed dixit super unumquodque eorum (super panem et vinum), *vere quod sunt corpus et sanguis* eius » Xenaias (vide text. syr. p. 108). Non minus clare Ambrosius de myster. c. 9: « Probemus, *non hoc esse quod natura*

(1) ܡܢ ܟܕ ܠܠܚܡܗ ܘܩܪܝܗ ܦܓܪܗ ܠܐ ܠܚܡܐ ܗܘܐ ܐܠܐ ܦܓܪܗ ܘܡܢܗ
ܐܟܠܝܢ ܗܘܘ ܟܕ ܬܡܝܗܝܢ.

(2) Sicut hic Sarugensi ita Patribus generatim perinde prorsus est, quod Dominus panem dixit et eo ipso fecit corpus suum, et quod panis non est amplius. Nemo enim eorum adhuc suspicabatur, orituros aliquando homines, qui negarent, hoc nomine *corpus Christi* intelligi corpus reale et substantiale, vel qui hoc admisso non intelligerent, panem non posse dici et dicendo effici corpus Christi substantiale nisi ita, ut desinat esse panis et in eius vicem succedat corpus Christi, cum evidenter sit absurdum, ut panis manens panis fiat illud substantiale corpus Christi praeexistens unum numero, quod natum de Maria Virgine crucifixum pro nobis nunc est in gloria Dei Patris.

formavit, sed *quod benedictio consecravit....* Non valebit sermo Christi, *ut species mutet elementorum?* De totius mundi operibus legisti: quia ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt; sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quae sunt (sunt panis et vinum), in id mutare quod non sunt? (non erant corpus et sanguis Domini)... *Hoc quod conficimus corpus, ex Virgine est,* quid hic quaeris naturae ordinem in Christi corpore?.... Ipse clamat Dominus Iesus: hoc est corpus meum. *Ante benedictionem verborum coelestium alia species nominatur, post consecrationem corpus significatur* (illo verbo consecrationis conficimus corpus, et ideo sicut ante nominabatur panis, quia erat panis, ita post consecrationem significatur h. e. dicitur non amplius panis sed corpus, quia non est amplius panis sed corpus iuxta verbum Domini: hoc est corpus meum) (1). Ipse dicit sanguinem suum; *ante consecrationem aliud dicitur, post consecrationem sanguis nuncupatur.* Et tu dicis Amen h. e. *verum est.* » Verum est, non esse amplius quod prius dicebatur, scilicet panem et vinum, sed esse quod nunc dicitur, scilicet corpus et sanguinem; nam illud *Amen* refertur ad propositionem Ambrosii antecedentem complexam: quod ante consecrationem *erat* panis, nunc *est* corpus Christi et proinde non amplius

(1) Mira detorsione Doctor Pusey in his verbis Ambrosii « corpus significatur, » reperit panis substantiam remanentem; nam illud *significatur* sibi vult, inquit, quod corporis praesentis signum est panis, seu corpus significatur per panem. « S. Ambrose speaks of the Body as *signified.* i. e. by the elements... Before the consecration, he would say, another substance is spoken of, after it, the Body is signified. He speaks of it as signified i. e. denoted by the *sign* » p. 104. Corpus Christi praesens significari, non per substantiam panis sed per species panis, etiam nos dicimus; sed Ambrosio adscribere, quod hic agat de hac significatione, et multo magis quod non excludat, imo his verbis indicet panis substantiam remanentem, est profecto absurdum. Sufficit ad id demonstrandum collatio duorum membrorum sibi respondentium: « post consecrationem corpus significatur » — « post consecrationem sanguis nuncupatur. » Ceterum quod hic Ambrosius dicit *significari* et *nuncupari,* in Concilio VII ita effertur: « post consecrationem (quae ante erant antitypa panis ac vinum) corpus proprie et sanguis Christi *dicuntur et sunt et creduntur* » (th. VIII p. 99).

est panis. Quod hic dixit Ambrosius, eius commentator scilicet auctor ll. de Sacram. l. IV. c. 5. ita exprimit: „ *Antequam consecretur, panis est; ubi autem verba Christi accesserint, corpus est Christi.* Denique audi dicentem: accipite et edite ex eo omnes; hoc est enim corpus meum. *Et ante verba Christi calix est vini et aquae plenus; ubi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis Christi efficitur qui plebem redemit.* Ergo videte quantis generibus potens est sermo Christi universa convertere... Dicit tibi sacerdos: Corpus Christi; et tu dicis: Amen, hoc est, verum. " Gemina habet Isidorus: „ Quando benedicendae verbis coelestibus creaturae sacris altaribus imponuntur, *antequam invocatione summi nominis consecrentur, substantia illic est panis et vini; post verba autem Christi corpus et sanguis est Christi.* Quid autem mirum est, si ea quae verbo potuit creare, verbo possit creata convertere? " (th. VIII. p. 105. 106). S. Gregorius Magnus apud Paulum diaconum (in vita Gregorii n. 18. saec. I. Bened. p. 393): „ Praescius conditor noster infirmitatis nostrae ea potestate, qua cuncta fecit ex nihilo et corpus sibi ex carne semper Virginis operante Spiritu Sancto fabricavit, panem et vinum aqua mixtum *manente propria specie* (1) *in carnem et sanguinem suum convertit.* " Quod hic dicitur *species,* in homiliis adscriptis Eligio Noviomensi (hom. VIII. Bibl. Max. PP. T. XII. p. 311.) appellatur „ *similitudo panis et vini* " eodem sensu, quo Cyrillus Hierosolymitanus, Gregorius Nyssenus, Macarius (p. 87. 89. 121. 133), Theophylactus in Matth. XXVI. 26. T. I. p. 146 dixerunt, *apparentem panem, qui panis non est* (2).

Sicut consideratâ substantiâ panis, quae erat ante consecrationem, et substantiâ aliâ corporis Christi, in quod illa

(1) In contextu evidenter species seu forma extrinseca, immediatum obiectum sensuum, intelligitur; agitur enim de miraculo, quo etiam haec extrinseca species panis mutata ostendebatur; contra ac „ species elementorum " et „ alia species " rei ante consecrationem apud Ambrosium est ipsa specifica rei essentia.

(2) ὅτι ὁ φαινομενος ἀρτος οὐκ ἀρτος ἐστιν. Fiat iudicium de interpretatione Professoris Anglicani, cui ὁ φαινομενος ἀρτος est panis (substantialis) *visibilis.* Pusey p. 104.

desinendo conversa est, simpliciter dicendum est et a Patribus dicitur, panem non amplius esse; ita corpus Christi ipsum in sacramento, ubi praesens est sub speciebus panis in statu cibi, ab ipso Christo Domino (Io. VI.), ab Apostolo (1. Cor. X. 16; XI. 26), a SS. Patribus, ab universa Ecclesia frequenter appellatur nomine panis, qui vero panis est alterius omnino rationis (cf. supra p. 50. 69. 149.). Hinc sensu eodem, negante scilicet substantiam panis, SS. Patres opponunt invicem *panem communem* qui erat ante consecrationem, et corpus Christi post consecrationem ut *panem vitae, panem vivum qui de coelo descendit, panem hunc quem frangimus, panem qui a Christo dicitur caro mea;* eodem, inquam, sensu *panis communis* et *panis hic eucharisticus* opponuntur a Patribus illum negando et hunc affirmando, quo aiunt ante consecrationem esse panem, post consecrationem non esse amplius panem sed corpus Christi.

Negatio substantiae panis non probatur simpliciter ex eo, quod dicunt non esse amplius *panem communem;* quis enim nescit, etiam de materia sacramentorum, quae in sua manet substantia, posse et solere quandoque dici a Patribus, non esse *aquam communem, oleum commune* etc., ubi non substantia una et substantia alia sibi opponuntur, sed eadem substantia secundum diversam qualitatem, ut sanctificata et non sanctificata. Sicut de *transmutatione* diximus, ita etiam hîc spectandi sunt termini, qui sibi opponuntur. Iam vero Patres constanter docent, ideo non superesse amplius *panem communem*, quia id quod erat panis communis, iam est *corpus Christi*, succedente scilicet in vicem substantiae panis communis corpore Christi in statu cibi sub iisdem speciebus panis, quod ideo panis est ille, de quo dixit Dominus: « panis quem ego dabo, caro mea est. » Corpus itaque Christi in sacramento et caro est, si spectetur eius substantia, et panis est h. e. cibus sub speciebus panis, si spectetur sacramentalis existendi modus, quod praeclare dixit Hesychius in Lev. VIII. (mihi fol. 49 verso): « carnes cum panibus (in veteri Testamento) comedi praecepit, ut nos intelligeremus illud ab eo mysterium dici,

quod simul panis et caro est, sicut *corpus Christi panis vivi, qui de coelo descendit »* (1).

Iam intelligitur sophisma Doctoris Oxoniensis, qui post Calvinianum Albertinum ita argumentatur: qui dicit, non esse panem simplicem, non esse panem communem, evidenter affirmat esse substantiam panis. Atqui Patres dicunt, in Eucharistia non esse panem communem. Ergo Patres affirmant, in Eucharistia manere substantiam panis (2). Respondeo, *distinguo maiorem:* qui dicit non esse panem communem, ita ut terminus oppositus qui iam esse affirmatur, sit idem panis sed sanctificatus atque ideo mutatio sit in qualitate, ut e. g. panes Propositionis in veteri Testamento non erant panes communes, *concedo M.* Qui dicit non esse panem communem, ita ut terminus oppositus qui iam esse affirmatur, sit alia prorsus substantia, quae analogice et in sensu sublimiori appelletur panis, et ideo oppositio non sit in qualitate eiusdem panis inter *commune* et *sanctificatum,* sed inter duas substantias, quarum una, panis sensu physico, negatur, altera diversa, panis sensu theologico, affirmatur; is affirmat substantiam panis sensu physico dicti, *nego M.* Pariter *distinguo minorem:* Patres dicunt in Eucharistia seu potius Eucharistiam non esse panem communem, ita ut terminus oppositus, qui affirmatur esse Eucha-

(1) Pusey p. 134 citat solum hoc incisum ex Hesychio: « that mystery is at once Bread and Flesch, » quam apte ad suum scopum sed sensu quam alieno a sententia Hesychii, quisque videt. Non enim dicit Hesychius, ut Anglicanus persuadere vellet, in hoc mysterio esse coniunctam et simul existentem substantiam panis et carnem Christi; sed dicit, corpus Christi formaliter ut est in sacramento, esse simul tum panem, videlicet panem vivum qui de coelo descendit, sicut ipse aiebat Io. VI 51: *« ego sum panis vivus qui de coelo descendi, »* tum carnem, quia non aliud quam caro Christi et Christus ipse est ille panis vivus: « panis quem ego dabo, caro mea est. »

(2) The early Fathers quoted by Roman controversialists in behalf of the physical change in the elements, say also that they are not *bare elements.* But since they hold them not to be *bare elements, common bread,* and the like, it is plain that they must have hold them to remain in some sense physically what they had been, bread and wine. No one would deny a substance to be *merely, barely* that substance, who did not think it to be that substance at all. p. 91.

ristia, sit panis idem sed sanctificatus, *nego m.;* dicunt Eucharistiam non esse panem communem, ita ut terminus qui Eucharistia esse affirmatur, sit alia substantia, scilicet corpus Christi, quod panis vivus, panis de coelo descendens etc. dicitur, quia est in statu cibi sub speciebus sensibilibus panis; atque ideo ita, ut substantia panis communis ac sensu physico dicti negetur et substantia diversa corporis Christi, quod alio theologico sensu panis dicitur, affirmetur, *conc. m.*

Oppositio quam diximus inter unam substantiam panis et alteram diversam corporis Christi, atque ideo negatio illius cum huius affirmatione apud Patres ab ipso Pusey citatos evidens est. S. Iustinus Apol. I. n. 66: « *Neque ut communem panem et communem potum* ista sumimus, sed... postquam per preces verborum ab ipso institutorum Eucharistia facta est, alimoniam, ex qua sanguis et carnes nostrae per transmutationem aluntur, *incarnati illius Iesu et carnem et sanguinem esse edocti sumus.* » (Vide locum integrum th. VIII. p. 80.81). Cyrillus Hierosolymitanus sicut ait, panem apparentem non esse panem sed corpus Christi; ita eodem sensu opponit *panem communem* qui non est amplius, et *corpus Christi panem coelestem* qui incipit esse sub figura ac specie panis: « In novo Testamento panis coelestis et calix salutaris . . . . Quare *ne adtendas tamquam simplicibus pani et vino* (ὡς ψιλοις τῳ ἀρτῳ και τῳ οινῳ); *corpus enim et sanguis Christi sunt* (illa μη ψιλα) secundum Domini attestationem » Cat. myst. IV. n. 6. (th. VIII. p. 89). Manifestissime Athanasius ab Eutychio citatus (Mai Script. Vett. Nov. Coll. IX. p. 125. et ib. Nov. Bibl. PP. T. IV. p. 62): « Quamdiu supplicationes et preces non sunt peractae, *simplex est panis et calix;* cum vero magnae et admirabiles preces fuerint persolutae, *tum panis fit corpus et calix sanguis Domini nostri Iesu Christi.* » Alterum simillimum testimonium ex Athanasio ibidem subiungitur: « hic panis et hic calix quousque supplicationes et preces non sunt factae, *simplicia (panis et vinum) sunt:* quando autem magnae preces et sanctae supplicationes oblatae fuerint, descendit Verbum in panem ac calicem *et fit corpus eius.* » Eadem habet Nyssenus de Bapt. T. II. p. 602; Isidorus Pe-

lusiota l. I. ep. 109; Nilus Abbas ep. 44. (ed. Allatii p. 21); Anastasius Sinaita (th. VIII. p. 96.), et similia Hieronymus graecus scriptor in Bibl. Gallandi T. VII. p. 529. Illud Irenaei l. IV. c. 18. n. 5: « a terra panis percipiens invocationem Dei, iam non communis panis est, sed Eucharistia, ex duabus rebus constans terrena et coelesti, » in eundem sensum intelligi debere constat ex iis, quae diximus p. 83 et 121.

Porro negatio substantiae panis diserte expressa duplici hoc modo nunc declarato: « non est panis sed corpus Christi; non est panis communis sed corpus Christi », continetur omnino eadem in locutionibus concisioribus, quibus Patres frequentissime dicunt: id quod videtur panis, post consecrationem est corpus Christi; vel Christus panem fecit proprium suum corpus. Neque enim manens in sua substantia panis potest esse proprium et reale Christi corpus. Ita Irenaeus: « calicem qui ex creatura est, suum proprium sanguinem pronuntiavit, et panem qui ex creatura est, suum proprium corpus affirmavit » l. V. c. 11; Tertullianus: « acceptum panem, corpus illum suum fecit » contr. Marc. l. IV. 40; Augustinus: « panis ille, quem videtis in altari, sanctificatus per verbum Dei corpus est Christi; calix ille, imo quod habet calix, sanctificatum per verbum Dei sanguis est Christi » Serm. 227. cf. Chrysost. (supra p. 91. 93). His gemina passim apud ceteros Patres legere est.

3.[io] *De modo, quo Patres exprimunt ipsam conversionem.* Intelleximus hactenus, Patres docuisse conversionem substantialem spectato primum termino, *in quem* dicunt converti et transmutari panem ac vinum, spectato deinde modo, quo declarant desinere terminum *a quo;* superest ut consideremus modum, quo loquuntur de ipsa *conversione;* ubi sine ulterioribus commentariis possumus simpliciter appellare ad testimonia citata in th. VIII.

Capita prae oculis habenda in illis testimoniis sunt praeter iam dicta potissimum haec: *a*) Constanter Patres ex eo, quod verba Christi (hoc est corpus meum) efficientia quod significant, diriguntur ad panem seu, ut aiunt, dicuntur super panem, concludunt, panem ergo *transmutari in cor-*

pus Christi. Ergo verba Christi semper intelligebantur directa non ad corpus Christi praesens sistendum una cum pane vel in pane, sed directa ad panem et ad corpus Christi, ut praesentia realis corporis Christi fiat vi verborum per conversionem panis in reale corpus Christi. « Est revera corpus unitum divinitati et natum ex Maria Virgine, inquit Damascenus (supra p. 98), *non quod corpus in coelum assumptum descendat ex coelo, sed quod panis ipse et vinum transmutantur in corpus et sanguinem Dei.* » Haec autem talis efficacia verborum relata ad panis transmutationis in corpus Christi nihil aliud significat, quam quod verba exigunt simul praesentiam corporis Christi et desitionem panis ita, ut desitio panis ordinetur ad praesentiam corporis, et corpus praesens sistatur succedendo sub iisdem speciebus in vicem substantiae panis. Ita Cyrillus Hierosolymitanus Cat. IV. l. 2: « Cum igitur ipse *pronuntiaverit et dixerit de pane: hoc est corpus meum,* quis audebit deinceps ambigere? *et cum ipse adseveraverit et dixerit: hic est sanguis meus,* quis umquam dubitaverit et dixerit, non esse eius sanguinem? Aquam olim in vinum, quod sanguini affine est, in Cana Galilaeae transmutavit, et eum parum dignum existimabimus cui credamus, cum *vinum in sanguinem transmutavit?* » Pariter Ambrosius de myster. c. 9. n. 54: « Ipse clamat Dominus Iesus: *hoc est corpus meum. Ante benedictionem verborum coelestium alia species nominatur, post consecrationem corpus significatur. Ipse dicit sanguinem suum, ante consecrationem aliud dicitur, post consecrationem sanguis nuncupatur;* et tu dicis Amen, hoc est, verum est. » Iacobus Sarugensis: « ab illo temporis puncto, *quo accepit panem et dixit illum corpus suum, non erat panis sed corpus eius.... Panem quem fregit et dixit corpus suum, corpus agnoscebant* » (Apostoli). Eodem modo Iustinus, Irenaeus, Macarius Magnes, Nyssenus, Epiphanius, Chrysostomus, Anastasius, auctor ll. de Sacram., Gaudentius, Isidorus, Xenaias etc. (supra th. VIII. n. I-III.).

Adtendatur *b*) ad illum modum exprimendi transmutationem panis in corpus, quando Patres dicunt, *de pane vel ex pane* fieri, effici corpus Christi, ut S. Ephrem, Gauden-

tius, auctor ll. de Sacram.; vel quando rogatur Deus Pater, ut « *panem faciat pretiosum corpus* Filii sui *transmutans* Spiritu Sancto suo, » quod solemne est in Liturgiis Chrysostomi, Basilii (Goarii Euchology. p. 77. 169) ceterisque plurimis. Huiusmodi enim locutiones, ut transmutatio panis fiat in corpus Christi, de pane vel ex pane vel panem efficiendo corpus Christi iam praeexistens, nullo modo possunt detorqueri ad sensum illum, ut in pane manente praesens fiat corpus; sed necessario significant, ut in vicem panis desinentis succedat corpus Christi.

c) Consideretur explicatio Macarii Magnetis, Nysseni, Theodori Abucara (opusc. 22. ed. Gretzer p. 490), Damasceni, Theophylacti (in Io. VI. 48. T. I. p. 594) collato S. Iustino, qui aiunt, panem cum sit *potentia* corpus humanum, transmutari naturaliter quidem digestione in corpus humanum, indeque non debere incredibile videri, quod iuxta fidem Christianorum panis per virtutem Spiritus Sancti uno momento transmutatur in corpus Christi. Quae quidem explicatio evidenter ostendit, iuxta fidem antiquitatis christianae substantiam panis non manere, sed desinere esse panem, et incipere eius vice esse corpus Christi. Non posse autem intelligi hos Patres ita, ut manente *materia* transire crediderint panem in corpus Christi, hocque per accedentem materiam continue augeatur, quemadmodum fit in digestione, tam evidens est, ut hoc Grabii commentum (vide Praef. Massueti ad Opp. S. Irenaei p. 149) non indigeat confutatione. Sufficit advertisse ad Patrum declarationem, corpus in quod transit panis, esse numero unum et idem quod natum est de Maria Virgine, ac proinde corpus praeexistens et nunc glorificatum in coelo, insuperque hoc idem corpus sub singulis specierum partibus totum sine diminutione contineri et a singulis totum percipi (cf. p. 85. 88. 92. 93. 98. 101. 109. 111. 147). Quibus positis terminus comparationis inter hanc supernaturalem transmutationem panis in corpus Christi et transmutationem naturalem panis in corpus humanum facile intelligitur esse in eo, quod utrimque est transmutatio unius substantiae in aliam et ideo desitio prioris per successionem alterius, non autem in modo quo prior sub-

stantia desinat et altera esse incipiat. Praeclarissime modum ipsum desitionis totius substantiae panis expressit Ioannes Hierosolymitanus seu quisquis est auctor Homiliae de Poenit. citatae supra p. 94., aiens: sicut cera igni admota nihil substantiae reliquum facit, ita et hic mysteria consumuntur corporis substantia (1).

Ex omnibus, quae hucusque diximus, satis puto probatum est, fidem in substantialem conversionem et desitionem panis et vini in tota antiquitate tam universalem semper fuisse, quam fidem in realem corporis Christi praesentiam, hancque praesentiam numquam fuisse aliter intellectam, quam quod Christus Dominus in institutione SS. Sacramenti ipsum panem et vinum convertendo fecerit corpus et sanguinem suum sensu iam saepe declarato. Cum igitur Pusey fateatur, nullam fore difficultatem credendi praesentiam corporis Christi sub accidentibus panis desinente panis substantia, si ex traditione vel Scriptura talis Sacramenti institutio constaret (2); ostensum vero sit hactenus, traditionem apostolicam quam postulant, esse manifestissi-

(1) Per se patet ad demonstrationem fidei, qua tota antiquitas credidit transsubstantiationem panis in corpus Christi, facile nos posse carere hoc singulari testimonio, si quis existimet, alium subesse sensum. Rationes, cur cum Card. Perronio (Refutat. obiect. ex August. c. 14) et Bellarmino (de Euch. l. III. c. 20) censeam, debere intelligi substantiam corporis Christi, cui velut impendatur et qua consumatur tota substantia panis, superius l. c. exposui. Prorsus absurda est interpretatio Domini Pusey, qui p. 150. 151 putat, *συναναλισκεσθαι τῃ ὀυσιᾳ σωματος* non posse aliud significare, quam consumi una cum substantia corporis. At sic intellecta verba nullum habent sensum, sive corpus Christi sive corpus suscipientis hominis intelligas, et certissime non significarent, ut vult adversarius, « materialem substantiam panis converti in corpus humanum » scilicet hominis suscipientis. Praepositio *συν* in verbo composito hic necessario habet tantummodo vim intensivam: *totum consumitur,* non vero potest retinere significationem concomitantiae: *una cum altero consumitur.*

(2) Of course, if God so willed and declared it, there would be no difficulty in believing, that He annihilated the substance of bread and wine, while preserving every property of them to the senses, nor, again, that He should, if He so willed, re-create the substance of bread and wine, so that they should nourish the communicant p. 158. (De hac re dicemus infra in scholio).

mam, ut ea exhibetur tum in universali consensu saltem ex multis iam saeculis evidenti et solemnibus Ecclesiae definitionibus declarato, tum in unanimi doctrina antiquitatis christianae licet tum nondum ex scopo polemico proposita: nihil est reliquum quam ut illustrationem et maxime gratiam humilitatis et fortitudinis imploremus a Spiritu Sancto, qui fideles in veritate conservet et errantes ad unitatem et obedientiam fidei reducat; sine hoc enim supernaturali lumine et voluntatis motione omnis externa propositio, demonstratio, et humana scientia non ad salutem proficit sed ad severiorem condemnationem.

III. Quamvis in praecedentibus propositum nobis fuerit demonstrare desitionem substantiae panis et vini, de qua cum haereticis potissima est controversia; continetur tamen in iis iam etiam demonstratio, hanc panis et vini desitionem et corporis ac sanguinis Domini praesentiam fieri per *conversionem totius substantiae panis ac vini* seu per *transsubstantiationem,* cum Patres illam elementorum desitionem semper proponant ut intrinsecum et formalem effectum *conversionis.* Hic ergo solum indicabimus, quomodo in Patrum doctrina ob oculos ponantur quoad conversionem eucharisticam conditiones illae omnes, quas in th. XIII. ad conversionem generatim spectatam requiri diximus.

1.° Duplex terminus, videlicet panis ac vinum ut terminus *a quo* secundum totum suum *esse substantiale* transiens, et terminus *ad quem* corpus et sanguis Domini succedens in eius vicem enuntiatur omnibus locutionibus, quibus dicitur: « ante verba consecrationis *est panis et vinum, est communis vel simplex panis et vinum;* post verba consecrantia *non est amplius panis et vinum sed corpus et sanguis Domini;* » hocque ideo, quia « *panis et vinum* transmutantur, convertuntur, transeunt virtute Spiritus Sancti *in corpus et sanguinem Domini; de pane, ex pane* fit, efficitur eadem operante omnipotentia *corpus Christi.* »

2.° Locutionibus iisdem iam etiam edicitur, desitionem panis habere ordinem ad successionem corporis Christi et hanc successionem fieri ita, ut exigat desitionem panis. Praeterea Patres, ut vidimus (n. II. 3.^{io}), hanc panis trans-

mutationem in corpus Christi semper declarant in connexione cum verbis efficientibus: hoc est corpus meum. Verba haec dirigi aiunt ad panem (desinentem) simul et ad corpus Christi praesens sistendum. Quia igitur demonstrando panem dicitur in persona Christi: hoc est corpus meum, et quia verba efficiunt quod significant; ideo, aiunt, vi illorum verborum transmutari panem in corpus, fieri ex pane corpus, post eorum verborum operationem iam non esse panem, non panem communem sed corpus Christi. Atqui hoc idem est ac dicere, per ea verba significari et per eorum efficaciam fieri praesens corpus Christi vice panis et sub speciebus panis tamquam panem vitae ita, ut simul significent et exigant desitionem panis. Proinde ex Patrum doctrina non simpliciter annihilatur panis, et deinde independenter ab hac desitione per operationem divinam praesens sistitur corpus Christi; sed efficacia una verborum (hoc est corpus meum) vice panis et sub speciebus panis tamquam panem vitae efficit praesens corpus Christi cum ordine ad desitionem substantiae panis, et exigit desitionem panis ordinatam ad hoc, ut eius vice succedat corpus Christi. Hic autem est ille ipse nexus inter desitionem termini *a quo* et successionem termini *ad quem,* qui (th. XIII.) requiritur et sufficit ad veri nominis conversionem. Agimus hîc solum de Patrum doctrina et modo intelligendi verba institutionis; eorum rationem intrinsecam et *quomodo* significent ac proinde efficiant desitionem panis, considerabimus in thesi sequenti. Interim ex his constat, quam vere dixerint Patres Tridentini sess. XIII. cap. 4; « quoniam autem Christus Redemptor noster corpus suum id, quod sub specie panis offerebat, vere esse dixit, *ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit... per consecrationem panis et vini conversionem fieri totius substantiae panis in substantiam corporis Christi Domini nostri, et totius substantiae vini in substantiam sanguinis eius.* »

Ut pateat, a Patribus tamquam terminum formalem *a quo,* qui totaliter desinit, intellectam fuisse *totam substantiam* panis et vini, considerari debet, quomodo ab iisdem describatur terminus formalis *ad quem,* ut iam superius

monuimus. In aliis conversionibus nobis notis terminus formalis *ad quem* de novo producitur, est autem in omnibus conversionibus naturalibus substantiae et forte in plerisque etiam supernaturalibus *nova forma,* quae succedit in vicem formae prioris ; unde totalis termini *a quo* desinit secundum formam sed non secundum materiam, quae manet ad componendum cum nova forma terminum totalem *ad quem.* At in conversione eucharistica terminus formalis *ad quem* est corpus Christi praeexistens, quod est et a Patribus describitur ut idem et numero unum corpus olim natum ex Virgine, pro nobis crucifixum, nunc sursum sedens in gloria Patris (vide Patres in th. VIII. citatos Ignat. Iustin. Nyssen. Chrysost. Damascen. Ambros. Gaudent. Iacob. Sarugens. etc.), et consequenter terminus succedens substantiae panis est (per concomitantiam) *totus Christus* (cf. supra th. XI. n. I.). Atqui in hoc termino praeexistente, in se perfecto, nullius augmenti capaci non potest partialis substantia panis (materia vel forma) ingredi ut pars componens et complens. Hoc vero ipso, quando dicitur panis non amplius esse vel dicitur converti in corpus Christi, intelligitur desinere tota substantia panis, atque ita esse conversio totius substantiae in aliam substantiam seu vera transsubstantiatio. Quoties enim dicitur simpliciter desinere substantia aliqua, quin eius materia incipiat substare novae formae, vel eius forma materialis informare aliam materiam, toties intelligitur desinere totaliter, quia materia sine forma aut forma materialis sine supposita materia vel absolute vel certe sine novo miraculo non potest conservari, cuiusmodi miracula numquam supponuntur, et propterea eo solo quod tacentur, ab omnibus intelliguntur negari (cf. De Lugo de Sacram. in genere disp. 4. sect. 4. n. 49).

Simplicius idem demonstratur alio modo. Patres intellexerunt, transire ac desinere totum illud substantiale, quod subest demonstrationi pronominis *hoc* ante enuntiationem termini *ad quem* in praedicato *corpus meum;* atqui demonstrationi pronominis subest tota panis substantia sub illis accidentibus; ergo dum docent, vi verborum (hoc est corpus meum) non amplius esse panem, intelligunt transire totam panis substantiam. (Cf. supra p. 65.).

Hinc patet, quomodo inter se differant et in quo conveniant propositiones: panis, ex pane, vel de pane fit corpus Christi; ex vel de aqua fit vinum; ex vel de marmore fit statua. In omnibus significatur terminus *a quo* desinens secundum aliquam rationem entis per successionem termini *ad quem* in vicem desinentis; sed in postrema indicatur successio diversae formae accidentalis seu figurae extrinsecae in eodem subiecto; in secunda successio diversae formae seu perfectionis specificae in eadem materia; in prima successio diversae substantiae sub iisdem accidentibus sensibilibus (1).

3^{io}. Si praecedentia teneantur, desitio panis et successio corporis Christi satis intelligitur fieri per veram conversionem atque adeo, quia tota substantia succedit in vicem totius substantiae, per transsubstantiationem. De ulteriori proprietate actionis convertentis, qualis sit, potest esse et revera est inter theologos catholicos aliqua diversitas opinionum, quae tamen potius ad modum loquendi quam ad rem ipsam pertinet.

Qui spectant potissimum corpus Christi, quatenus est iam praeexistens, et huic praeexistentiae accomodant modum considerandi actionem conversionis, dicunt corpus Christi fieri praesens *per adductionem,* sub qua tamen nemo motum localem intelligit (vide Bellarmin. l. III. c. 18). Attamen quod corpus Christi substantialiter fiat praesens *a*) citra

(1) Discrimen a quibusdam Scholasticis post S. Thomam 3. q. 75. a. 8 adnotatum inter praepositiones *de* et *ex* non videtur magni momenti. Aiunt, videlicet, praepositionem *ex* designare terminum *a quo* non autem manentem communem materiam vel commune subiectum, sicut dicitur creatio *ex nihilo;* praepositionem vero *de* supponere manens commune subiectum vel communem materiam, unde dici posse aiunt fieri statuam de ligno, non tamen creari mundum de nihilo. Ideo putant proprium esse hunc dicendi modum: *ex pane* fit corpus Christi; non autem alterum: *de pane* fit corpus Christi. At hoc discrimen nec etymologice nec ex usu loquendi Patrum constare videtur. Pariter dicunt, impropriam esse propositionem: panis fit corpus Christi. At haec locutio et huic similis « fac panem hunc corpus Filii tui » est in ipsis sacris Liturgiis et proinde in usu universali. Intelligitur in ea facile *panis transiens* ut terminus *a quo,* atque adeo est identica propositio cum altera: panis convertitur in corpus Christi, quae sane non est impropria.

ullum motum localem; *b*) per efficientiam quae agit unice sub speciebus panis non autem in corpore Christi, quatenus est in coelo; *c*) secundum novum sacramentalem existendi modum diversum a modo existendi corporis connaturali; talis inquam effectio praesentiae vix videtur concipi posse nisi per actionem, quae ita ponat *esse substantiale* corporis sub speciebus, ut sufficeret ad corpus producendum, nisi iam secundum alium modum connaturalem praeexisteret. Propter hanc praeexistentiam nec est nec esse potest productio simpliciter; dicemus ergo *replicationem analogam productioni* (Vide Lessium de Perfect. divin. l. XII. c. 16. n. 114-121).

Certe modus loquendi Patrum persuadet, ab eis ita, ut diximus, positionem corporis Christi sub speciebus fuisse intellectam. « Corpus Christi *fit, efficitur* ex pane: ubi verba Christi operata fuerint, ibi *sanguis Christi efficitur*, qui plebem redemit » Gaudentius, auctor ll. de Sacram., Liturgiae; « ad preces sacerdotum corpus et sanguis Christi *conficitur*», « corpus natum ex Virgine *conficimus*», « verba sunt *efficientia* corpus et sanguinem Dei » Hieronymus (epist. ad Evangel. n. 1), Ambrosius, Ioann. Darensis; « Christus se ipsum *incorporat* ad statum cibi et potus » (σωματοποιει ἑαυτον και εἰς βρωσιν και ποσιν ὁ κυριος Macarius apud Galland. T. VII. p. 16); « *non corpus de coelo descendit*, sed panis ipse et vinum in corpus et sanguinem Dei *transmutatur*... per Spiritum Sanctum, sicut etiam ex S. Dei Genitrice per Spiritum Sanctum carnem *sibi ipsi et in se ipso substantiavit* » Damascenus. Paulo recentiores Paschasius (De corp. et sang. Domini c. 15), Adelmannus (epist. ad Berengar.), Anonymus Gemblacensis (apud Mabillon. in Thesaur. Zachar. T. X. p. 880), Arnoldus Bonae Vallis (de Coena Domini) dicunt, corpus Christi in Eucharistia *creari*, *recreari* (quod aiunt Scholastici *reproduci*), panem et vinum in corpus et sanguinem *procreari* (i. e. actione creatrice transmutari).

Quare etiam id, quod tertio loco indicavimus requiri ad conversionem magis proprie dictam, in hac mirabili et singulari conversione eucharistica non deest.

Denique 4° diximus, requiri ad conversionem maxime propriam aliquid manens idem in termino totali *ad quem*,

quod fuerat in termino totali *a quo*, tamquam *commune tertium*. Huic conditioni satisfit in transsubstantiatione eucharistica, quod sicut antea erat substantia panis percipienda naturali intellectu sub sensibilibus phaenomenis, ita nunc sub iisdem phaenomenis corpus Christi ut panis vitae exhibetur fide credendum. Quo sensu vidimus aliquos Patres prae speciali scopo eis proposito docuisse, symbola mystica, secundum quod sunt sensibilia et immediatum obiectum sensuum, a sua natura non recedere, quamvis secundum id, quod sub sensibilibus phaenomenis intelligitur, iam sint aliud: « neque enim post consecrationem mystica symbola recedunt a sua natura; manent enim in prioris essentiae et *figura et forma aspectabili*, et *visibilia sunt et tangibilia*, qualia erant prius; *intelliguntur autem esse ea quae facta sunt, et creduntur et adorantur*, utpote *quae sint id quod esse creduntur* » (corpus et sanguis Christi) Theodoretus dial. 2. T. IV. p. 35. Vide th. X. Sensu eodem dixit Cyrillus Hierosolymitanus corpus Christi exhiberi in typo panis, et dixerunt alii, corpus et sanguinem Christi inserta esse antitypis, ut Eutychius (supra p. 147).

Sicut igitur in Patrum doctrina et praedicatione ecclesiastica clarissime continetur dogma transsubstantiationis in complexu, ita singula etiam conversionis elementa ad distinctiorem dogmatis intellectum ex eadem Patrum doctrina deduci possunt.

Scholion 1. Sensibus nos immediate percipimus solum accidentia corporum et sub accidentibus ratione intelligimus substantiam eis respondentem, unde substantia νοουμενον accidentia φαινομενα a philosophis dicta sunt. Iam sicut secundum legem physicam sub accidentibus panis et vini est demonstrabilis substantia panis ac vini, et mutatis accidentibus intelligitur etiam mutata esse substantia, ut non subsit amplius eadem sed alia substantia mutatis accidentibus respondens (saltem sumendo substantiam secundum quotidianum vitae usum); ita secundum legem, si ita loqui licet, sacramentalem eamque constantem facta consecratione sub accidentibus panis et vini, quamdiu haec manent non mutata, demonstrabilis est substantia corporis et sangui-

nis Christi (veri cibi et veri potus Io. VI). Mutatis autem accidentibus ita, ut naturaliter non amplius postularent substantiam panis et vini sed aliam, iam exigitur ut iis non amplius subsit corpus et sanguis Christi, cum non amplius esset sacramentum secundum institutionem a Christo factam sub speciebus panis et vini. At hac substantia corporis et sanguinis sub speciebus mutatis cessante, accidentia mutata porro postulant velut connaturaliter substantiam sibi respondentem (puta massae vel aceti). Sicut ergo ad sufficientem organismum foetus sequitur secundum legem naturalem a Deo statutam creatio ac infusio animae, ita ad specificam mutationem accidentium cum desitione realis praesentiae sequitur secundum constantem legem a Deo statutam velut connaturaliter sub illis accidentibus creatio substantiae respondentis, quae est quodammodo materiae ante consecrationem existentis restitutio. Haec est fere communis inter paulo recentiores Scholae theologos explicatio, et videtur sane probabilissima. (Vide Suarez disp. 57. sect. 3; De Lugo disp. 10. sect. 2. n. 31. etc. Non satis liquida mihi est sententia S. Thomae 3. q. 77. a. 5).

Ex his duo intelliges, 1° quid sibi velit illud, quod substantia corporis Christi succedit sub speciebus in vicem panis. Non sane significatur, corpus Christi incipere esse *subiectum* eorum accidentium sicut fuerat antea substantia panis; sed praeter ea, quae dicta sunt superius *de successione,* significatur, vi institutionis huius sacramenti sub illis speciebus esse demonstrabile corpus Christi sicut antea fuerat sub illis demonstrabilis substantia panis, atque ideo etiam esse corpus Christi vi eiusdem institutionis inseparabile ab illis speciebus (quamdiu manent), sicut antea naturaliter erat ab eis inseparabilis substantia panis.

Porro ex hac ipsa coniunctione corporis et sanguinis Christi cum speciebus panis et vini, quae non est unio physica subiecti cum suis accidentibus, sed moralis seu potius sacramentalis unio corporis et sanguinis Christi cum speciebus panis et vini *ad unum sacramentum,* ubi corpus et sanguis Christi est res significata et demonstrabilis per species, species autem sunt pars sensibilis sacramenti exhi-

bens et significans corpus Christi praesens; ex hac, inquam, coniunctione colligitur, quae mutationes factae in speciebus possint praedicari de corpore Christi, quae non possint.

a) Omnino proprie praedicantur eae mutationes, quae licet per se et primo fiant in speciebus, per has tamen ratione unionis et praesentiae sub illis transeunt ad ipsum Christi corpus, cuiusmodi sunt mutationes per motum localem; proprie igitur Christi corpus et Christus (secundum humanitatem in sacramento) ponitur in altari, elevatur, circumfertur, distribuitur, manducatur etc.

b) Ea quae ita conveniunt solis accidentibus, ut non etiam corpus Christi afficiant, duplici diversa ratione a nobis concipiuntur, et ideo etiam diversa ratione praedicantur. Aliqua concipimus convenire speciebus praecise, ut hae sunt aliquid distinctum a corpore Christi. Iam tales sive mutationes sive affectiones nullo modo praedicantur de corpore Christi; sic non potest dici corpus Christi e. g. calefieri, corrumpi etc., quando hae mutationes accidunt in speciebus; nec possunt praedicari de corpore Christi ipsae permanentes species et specierum qualitates, color, odor, extensio, figura etc. At vero sunt alia quaedam, quae, licet proprie solis conveniant accidentibus, concipiuntur tamen eis convenire, quatenus cum corpore Christi realiter praesenti unum sacramentum et unum totum constituunt. Haec praedicari possunt de corpore Christi formaliter ut praesenti et demonstrabili sub his speciebus; sic dici potest et a Patribus saepe dicitur corpus Christi in Eucharistia *videri*, *tangi*, *frangi* (fractione liturgica) etc. Sensus enim proprius harum locutionum est, substantiam, quae subest accidentibus ut obiecto immediato visus, tactus, fractionis, et quae cum his accidentibus unum sacramentum constituit, esse non aliam quam ipsum Christi corpus. Unde ad directam oppositionem contra certas quasdam formulas haereticorum negantium realem praesentiam corporis Christi vel absentiam substantiae panis, potest esse opportunum aut necessarium catholicae fidei professionem illis praedicationibus concipere. Hoc sensu Berengarius in Concilio Romano sub Nicolao II anno 1059 profiteri iussus est: « pa-

nem et vinum post consecrationem non solum sacramentum sed etiam verum corpus et sanguinem Domini Nostri Iesu Christi esse, et *sensualiter, non solum sacramento sed in veritate* (h. e. non solum ut significatum per panem tamquam per sacrum signum, sed ut praesens sub speciebus panis) *manibus sacerdotum tractari, frangi, et fidelium dentibus atteri* » (Cf. Mabillon. de haeresi Berengar. in Thesauro Zachariae T. X. p. 1001, et epist. Abbaundi Abbatis cum notis Mabillonii in Analectis T. III. p. 442 sqq.).

Alterum quod diximus deducendum esse ex modo coniunctionis corporis Christi cum speciebus, pertinet ad quaestionem de corporali nutritione per species.

Itaque 2° ex antecedentibus inferimus, quid sit respondendum ad quaestionem, quomodo species possint nutrire. Nutritio proprie dicta nulla est sine mutatione specifica accidentium panis et vini, haec autem mutatio dum fit, accidentibus incipit subesse substantia, quae proprie nutrit.

Doctor Pusey p. 141-161 probare instituit, Patres credidisse substantiam panis manere, quia docent Eucharistiam nutrire. Nec vacat, nec opus est post omnia quae disputavimus, ad eius assertiones singulas respondere. Sufficiat generatim haec animadvertisse: nullus Patrum docuit ipsam *Eucharistiam* nutrire *corporaliter* proprio sensu nutritionis; sed nutritionem eius intelligunt vel coniunctionem cum nostris etiam corporibus per manducationem, vel nutritionem spiritualem tum animae tum corporis, quatenus corporis infirmitati et cupiditatibus medetur, et maxime quatenus praeparat ad gloriosam resurrectionem. Nutritionis corporeae aliquando meminerunt in descriptione materiae, ex qua conficitur Eucharistia; paucissimi vero ante saec. IX de ea agunt, quatenus fiat per *ipsam partem sensibilem sacramenti,* et inter citatos quidem a Doctore Pusey unicus est Origenes, qui hoc sensu loquatur (vide supra locum a nobis citatum p. 121).

Ceterum ex hypothesi Protestantium, quod substantia panis remanet, sequitur quidem, remanere vim nutriendi; non tamen vicissim ex eo, quod etiam corpora suscipientium Eucharistiam nutriantur, licet inferre substantiam

panis remanere, si Salvator voluit ss. mysterium instituere ita, ut solummodo fide sit credendum, nullo autem modo sensibus et naturali experimento percipi possit. Quod ait adversarius, Patres quoad hanc nutritionem nullas sensisse difficultates, quas repererunt gravissimas posteriores, qui admiserunt absentiam substantiae panis, ut inde concludat, Patres credidisse permanentem substantiam panis una cum praesente corpore Christi; argumentatio est falsissima. Totum eo tandem reducitur, quod Patres de hac nutritione corporali quomodo fiat, non loquuntur. At profecto huiusmodi subtiles quaestiones in explicatione mysteriorum, ante exortas disputationes cum haereticis longe utilius et prudentius seponuntur. Nullae sunt apud Patres subtiles inquisitiones philosophicae de modo existendi sacramentali quo praesens est corpus Christi in Eucharistia citra extensionem, multis in locis etc., de quibus a posterioribus disputatum esse videmus prolixe ad repellendas incredulorum obiectiones, nec tamen ideo negari potest aut ab hoc Doctore Anglicano negatur, Patres credidisse praesentiam realem. Exempla similia possent coacervari innumera in aliis dogmatibus, si conferatur modus tractandi quaestiones difficiliores ante et post exortas controversias. Sed nec tam multa consideratione opus est, cum iam per se absurdum esse intelligatur, doctrinam communem apud SS. Patres, quod panis non est amplius panis sed corpus Christi, et quod panis transmutatur in corpus Christi, et iam non duo sunt corpora sed unum, infirmare velle ex eo, quod non disputent de modo, quo accidat nutritio.

Scholion 2. Difficultates aliae a Protestantibus adversus dogma catholicum obiici solitae et nunc iterum tamquam demonstrationes suae sententiae ab homine Anglicano refricatae revocantur ad sequentes, quae magnam partem iam in antecedentibus a nobis expeditae sunt. Profert imprimis Pusey p. 75 sqq. testimonia Patrum, qui pro scopo polemico eis proposito de parte sensibili sacramenti expressius et formulis huic peculiari scopo accomodatis locuti sunt. De his abunde diximus in th. X. Sequitur deinde p. 94 sqq. doctrina Patrum, quando symbola sensibilia ap-

pellant typum vel antitypa corporis Christi, de qua re actum a nobis est in eadem th. X. n. II.

Tertium argumentum repetit Oxoniensis Doctor p. 69 sqq. 134 sqq. illud omnibus Protestantibus solemne, ex verbis Domini Matth. XXVI. 29; Marc. XIV. 25 post consecrationem calicis, ut est rerum coordinatio apud hos duos Evangelistas: « Dico autem vobis, non bibam amodo *de hoc genimine vitis* usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei. « De qua re diximus in Coroll. 2. ad th. IV. cf. R. P. Patrizi commentar. in Marc. XIV. 25. Patres quos Pusey citat p. 134 sq., intellexerunt quidem *genimen vitis* de vino naturali; nullus autem eorum dicit, hoc vinum naturale esse in sacramento, nec ullus eorum qui vinum naturale intellexerunt, demonstrari potest verba « hoc genimen vitis » retulisse ad vinum consecratum h. e. ad sanguinem Christi sub speciebus vini. Neque vero ad hanc demonstrationem, ut adversarius videtur supponere, sufficit ostendisse, Patres verba eo ordine, ut sunt apud Matthaeum et Marcum, pronuntiata putasse post coenam absolutam atque adeo post consecrationem calicis. Nam etiam hoc ordine admisso in sermone evidenter symbolico terminus comparationis seu symbolum poterat desumi a vino adhibito in coena ante consecrationem, non autem necessario in tali locutione intelligitur terminus desumptus a speciebus consecratis. Solus est Hilarius ex Patribus a Pusey citatis, qui retulit illa verba ad sacramentum; at ideo etiam *vitem* intellexit symbolice ipsum Christum, ita ut *genimen vitis* sit *sanguis Christi.* Ait Hilarius, ante institutionem sacramenti discessisse Iudam proditorem, « sine quo pascha accepto calice et fracto pane conficitur; dignus enim aeternorum sacramentorum communione non fuerat... Neque sane bibere cum Domino poterat, qui non erat bibiturus in regno, cum universos tunc bibentes ex *vitis istius fructu*, bibituros secum postea polliceretur » (in Matth. cap. 30. T. I. p. 799). Non dicit: « ex vitis *isto fructu,* » ut Pusey pervertit (1), sed ex

(1) Versio eius haec est: He promised, that all who then drank *of that fruit of the vine,* should drink with him afterwards.

fructu *istius vitis*, quod non potest significare nisi Christum ipsum secundum illud ab ipso in hac ultima coena dictum: *ego sum vitis* (Io. XV. 15). Ceterum cum species remanentes obiective reales esse fateamur, ut Patres sine dubio senserunt, et cum specierum omnes iidem sint sensibiles effectus, qui erant manente substantia vini; nihil impediret, quominus ipsae appellari possent vinum et genimen vitis, atque hoc ratione specierum sensibile convivium sumeretur tamquam terminus comparationis cum illo convivio in regno Patris, quod paulo post Dominus explicat: « et ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo » Luc. XXII. 29. 30.

Aliud argumentum proponit idem Anglicanus p. 131 coll. 119 sqq. sub hac epigraphe: « De vocibus *in, sub, cum pane et vino* usitatis apud Patres ». At imprimis nego, aliquem ex Patribus dixisse corpus Christi contineri vel nobis dari *sub pane* vel *cum pane*. Certe eruditus Doctor nihil tale protulit, et profecto non ei deerat optima voluntas, cum ad obtrudendam Patribus hanc formam Lutheranam et Anglicanam citaverit textus omnino nihil huc pertinentes, e. g. quod dixerit Hilarius (de Trin. l. VIII. n. 13. vid. th. VIII p. 101): « naturam carnis suae ad naturam aeternitatis (i. e. divinitatis) *sub sacramento nobis communicandae carnis* admiscuit... nosque vere *sub mysterio* carnem corporis sui sumimus »; quod in sententiis Prosperi ex Augustino dicatur: « bibimus sanguinem eius *sub forma et figura* vini ». (1).

(1) Sententiae istae Prosperi admodum varie citantur a diversis. In editione Maurina hanc a Pusey allatam non reperi, sed aliam longe diversam n. 341. Algerus l. I. c. 7 de Sacram. corp. et sang. Domini (ed. Malou p. 59) sententiam Augustini ex Prospero ita recitat: « Nos autem in specie panis et vini, quam videmus, res invisibiles i. e. Christi carnem honoramus et sanguinem; nec similiter pendimus has duas species, quemadmodum ante consecrationem pendebamus, cum fidelitr fateamur, ante consecrationem esse panem et vinum, quod natura formavit, post consecrationem vero carnem Christi et sanguinem, quod benedictio consecravit. » Cf. ibid. p. 63.

Phrasis *in pane et vino* apud Patres occurrit fere triplici modo. Aliquando enim 1° sumitur pro materia ex qua conficitur sacramentum, ut apud Tertullianum c. Marcion. l. IV. 40: « sanguinem suum in vino consecravit » (th. X. p. 131.). Aliquando 2° intelligunt sensibilem speciem panis, ut Cyrillus Hieros. « *in figura (typo)* panis datur tibi corpus » etc. (supra th. VIII. p. 90); Cyrillus Alexandrinus in Luc. XXII. (Mai Nova Bibl. PP. T. II. p. 417): « carnem et sanguinem Christi in vivificam eulogiam habemus *tamquam* in pane et vino (ὡς ἐν ἀρτῳ τε και οἰνῳ), et Augustinus saepius. Theophylactus ubi dicat, quod Pusey adfert: « in carne et sanguine Christi humana mens recipit nihil cruentum, nihil corruptibile, sed vivificam et salvificam substantiam in pane et vino », equidem ignoro; scio vero hanc eius doctrinam in Matth. XXVI. 26 (T. I. p. 146): « Dicens, *hoc est corpus meum*, ostendit quod *panis sanctificatus in altari* est ipsum corpus et non figura; non enim dixit: hoc est figura; sed: hoc est corpus meum. Ineffabili enim operatione *transmutatur, etiamsi nobis appareat panis*. Quoniam enim infirmi sumus et non sustinuissemus crudam carnem, eamque hominis carnem comedere, propterea *panis quidem nobis videtur, in rei autem veritate* caro est » (ἀρτος μεν ἡμιν φαινεται, σαρξ δε τῳ ὀντι ἐστι) » etc. Gemina in Io. VI. 48 sqq. p. 594. Scio etiam, verba a Professore citata ex Cyrillo Alex. ad Calosyr. T. VI. p. 365 in tota illa epistola nulla reperiri talia, qualia ipse adfert: « in vivifica Eucharistia recipimus in pane et vino eius s. carnem et pretiosum sanguinem », sed l. c. esse verba alia multum diversa. Scio praeterea, esse plane absurdum dicere cum Pusey, apud Patres « *sanguinem in calice* » idem esse ac « *sanguinem in vino* », eo quod non raro calix ponitur pro vino. Nam calix ponitur utique per metonymiam ut continens pro contento, quando contentum in calice non exprimitur, sed in tali constructione, qua dicitur *sanguis in calice,* profecto calix non metonymice sed sine tropo sumitur pro vase continente. Postremo 3° *panis* saepe dicitur sicut ab ipso Domino (Io. VI) et ab Apostolo (1 Cor. X. XI) ita a Patribus ipsum corpus Christi in statu cibi, ut ab Hilario in loco quem Pusey

adfert: « vere Verbum carnem *cibo dominico* sumimus » (Trin. l. VIII. l. c.), a Theophylacto in locis nunc citatis, et frequenter ab aliis quos appellavimus in thesi, ubi egimus de oppositione inter *panem communem* et *panem vitae.*

Multis insistit adversarius frequenti apud orientales comparationi Eucharistiae cum carbone ignito (ex Is. VI. 6), ut inde probet, una cum corpore Christi manere panis substantiam, sicut in carbone est lignum una cum igne. At carbo ignitus Isaiae sumitur ab illis Patribus ut symbolum Verbi incarnati, quatenus Verbum Deus intime et hypostatice sibi unitam habet humanitatem; ubi ignis symbolum est divinitatis, lignum vero humanitatis. Carbo ignitus igitur repraesentat Christum Deum hominem. Hinc cum idem Christus totus praesens sit in Eucharistia, eodem etiam modo Christus in statu sacramentali repraesentatur symbolo carbonis igniti, ubi corpus Christi sub speciebus sacramentalibus, nomine panis et panis vitae appellatum, dicitur a Patribus significari per lignum, Verbum autem ex cuius unione hypostatica caro est vivifica, significari per ignem; non autem naturalis panis substantia per lignum et corpus Christi per ignem repraesentatur, ut adversarius hoc symbolum interpretatur. « Pruna quam vidit Isaias, quale est symbolum? Manifestationem Dei futuram mente praevidit Isaias suaque sibi cogitatione repraesentavit, videlicet *naturam divinam Verbi unigeniti, hoc erat ignis ille vivus et a materia secretus;* illud vero *quod forcipe apprehendebatur, (significabat) Verbum Dei post unionem cum corpore apprehendi et percipi.* Et quod labiis admovebatur prophetae, id nimirum est, quod Deus Verbum naturae unitus fuit nostrae, et factus est in cibum sanctificantem animas nostras » Anonym. in Opp. S. Ephrem. Syr. T. II. p. 31. Vide Ephrem. T. III. p. 35; Damasc. de Fid. Orthod. l. IV. c. 13. etc.

Postremo commemorabimus obiectionem, quae olim a Calvinianis ad negandam realem praesentiam prae ceteris urgebatur (vide Perpetuit. Fid. T. I. l. II. c. 9; T. II. l. V. c. 10), et nunc a Professore Oxoniensi repetitur ad negandam transsubstantiationem p. 175 sq. Cyrillus Alexandrinus (in

Luc. XXII. Card. Mai Nova Bibl. PP. T. II· p. 417, et Collect. class. auct. T. X. p. 375) (1), Elias item Cretensis (in or. I. Nazianzeni p. 201, et ap. Allatium Exercit. in Creyghton p. 433) et Theophylactus (in Marc. XIV. 22. T. I. p. 249) dicunt, a Deo immitti donis propositis vim vitae, et ea *transmutari in virtutem carnis suae* (πρcς ἐνεργειαν της ἑαυτου σαρκος). At sufficit legisse haec testimonia in contextu, ut intelligatur, ἐνεργειαν της ἑαυτου σαρκος apud Cyrillum et Eliam Cretensem, ac δυναμιν σαρκος apud Theophylactum nihil posse aliud significare, quam vel *carnem efficacem ad sanctificationem nostram* vel (apud Theophylactum) *veritatem et essentiam carnis* in oppositione ad figuram et speciem. Ex hac significatione nominis δυναμις pro *essentia* Patres quandoque explicant unitatem trium divinarum personarum ut μιαν δυναμιν, Athenagor. Legat. n. 10; Hippolyt. contr. Noet. n. 8; quin et Paulus hoc sensu dixit 2 Tim. III. 5: « habentes speciem (μορφωσιν) pietatis, *virtutem* (δυναμιν) autem eius abnegantes ».

Theophylactus: « Hoc est corpus meum, hoc quod nunc sumitis; non enim figura (ἀντιτυπος) Dominici corporis est panis; *sed (panis) in ipsum illud corpus Christi convertitur* (εἰς ἀυτο ἐκεινο μεταβαλλεται το σωμα του χριστου). *Etenim Dominus dicit, panis quem ego dabo, caro mea est; non dixit, figura* (ἀντιτυπος) *est carnis meae, sed caro mea est....* Et quomodo hoc? inquiet aliquis; non enim caro conspicitur. O homo! propter nostram infirmitatem (hoc ita fit). Quia enim panis et vinum nobis usitata sunt, sanguinem autem et carnem si proposita (palam) videremus, non sustineremus, sed abhorreremus; ideo condescendens nobis amantissimus Deus *speciem quidem panis et vini conservat; in vim autem carnis et sanguinis transelementat* » (το μεν εἰδος οἰνου και ἀρτου φυλαττει, εἰς δυναμιν δε σαρκος και αἱματος μεταστοιχειοι). Hoc ipsum quomodo in commentario in Matth. XXVI. 26 et itidem in Io. VI. 48 sq. exprimat

(1) Nondum editis commentariis in Luc., Albertinus Calvinianus novit hunc locum ex citatione Victoris Antiocheni, et ex Catena tum Tolosana tum S. Thomae.

Theophylactus, ut nullum omnino subterfugium contra transsubstantiationem relinquat, paulo ante vidimus.

Elias Cretensis tacito nomine ipsa verba Cyrilli transcribit, habet vero ita: « Sacrificium dicit (Gregorius) illud, quod peragitur per panem et vinum (ut materiam sacramentalem ac terminum *a quo*), *quae in sacra mensa proposita per quamdam ineffabilem omnipotentis Dei operationem vere in corpus et sanguinem Christi transmutan ur* (ἀπερ... ἀληθως ἐις σωμα και αἱμα χριστου μεταποιειται). Ne enim horreremus carnem et sanguinem (visibiliter) in sacris mensis Ecclesiarum proposita cernentes, condescendens Deus nostris infirmitatibus immittit propositis vivificam virtutem (quam dixit antea « ineffabilem operationem »), et *transmutat ipsa in efficaciam* (vèl *in actualitatem*) *propriae carnis* (ἐνιησιν τοις προκειμενοις δυναμιν ζωοποιον, και μεθιστησιν ἀυτα ἐις ἐνεργειαν της ἑαυτου σαρκος). Nec vero ambigas, quin hoc verum sit, cum ipse aperte dicat: hoc est corpus meum, et hic est sanguis meus. Suscipe immo cum fide (πιστει) Salvatoris verbum; verax est enim nec mentitur ». Cyrillus inde ab illis verbis « ne enim horreremus » etc. paucis mutatis (1) habet omnino eadem. Cyrillo tum alibi fere semper tum hoc loco propositum est demonstrare non tam simpliciter Eucharistiam esse corpus Christi, quam potius, esse corpus vivificum et sanctificans, eo quod corpus est non meri hominis sed corpus Dei Verbi. Ad hunc scopum principem aptissima erat emphatica haec locutio: panem a Deo transmutari « in *efficaciam propriae suae carnis* »; intensior enim est expressio *efficacia carnis* quam *caro efficax*, necdum ante sophismata Calviniana cuiquam in mentem venire poterat, quando agitur de explicatione Eucharistiae, « transmutationem in efficaciam carnis Filii Dei » aliud significare, quam transmutationem in carnem Filii Dei efficacem ad sanctificandos homines. Antiqua igitur versio, qua S. Thomas (Catena in Luc. XXII. 49) usus est, nihil dixit alienum a sensu Cyrilli, quando ea verba interpre-

(1) Quod Elias dicit δυναμὶν ζωοποιον, Cyrillus ait δυναμιν ζωης; Elias εἰς ἐνεργειαν, Cyrillus προς ἐνεργειαν; Elias πιστει (nisi sit error), Cyrillus ἐν πιστει.

tatur: « convertens ea (dona proposita) *in veritatem* propriae carnis », et sane absurde repetit Pusey p. 177 suspicionem Albertini, quasi S. Thomas ad vitandam difficultatem textum Cyrilli immutasset. Vide Perpetuit. Fid. ll. cc.; Card. Du Perron De Euch. pp. 658. 971. coll. 298. 624; De Rubeis Praefat. in Opp. Theophylacti p. 55. n. 94.

THESIS XV.

Demonstratio dogmatis transsubstatiationis ex ipsis verbis consecratoriis.

« Ipsis verbis institutionis Matth. XXVI. 26 sqq. (cum parallelis) » non solum realem in Eucharistia Christi praesentiam enuntiari tenen» dum est; sed etiam modum demonstrari, quo praesens fiat per conver» sionem totius substantiae panis in corpus et totius substantiae vini » in sanguinem eius. Unde Traditio et praedicatio ecclesiastica circa hoc » doctrinae caput in thesi superiori exposita instar authentici commen» tarii haberi debet prae verbis institutionis in Scriptura consignatis. »

I. Canon extrinsecus sed omnium tutissimus ac princeps interpretationis Scripturarum sacrarum, qui constituitur in consensu catholici intellectus confirmato etiam diserta Ecclesiae declaratione, omnino certos nos reddit, sensum, quem dicimus, revera Christi verbis subesse. Sane inter Patres in superioribus thesibus (VIII. XIV.) citatos nullus est, qui docens transmutationem panis et vini in corpus et sanguinem Domini, non habeat prae oculis tamquam fundamentum huius professionis Ecclesiae ipsa illa verba institutionis: hoc est corpus meum; hic est sanguis meus. Vel enim proponunt primum panis et vini transmutationem, et dein fidem confirmant simplici appellatione ad verba Christi, vel praemittunt verba Christi, et ex illis inferunt transmutationem, ut quae illis verbis expressa ab omnibus intellecta sit et intelligenda; vel in ipsa actione liturgica iuxta sensum verborum Christi postulatur, fieri a Spiritu Sancto transmutationem donorum in corpus, et sanguinem Domini (vide th. XIV. p. 199. 209-220). Clarum est igitur, Traditionem apostolicam non continere dogma transsubstantiationis tamquam veritatem non scriptam et *sola* Traditione ac praedicatione transmissam, sed Traditionem totiusque nominis christiani professionem quoad hoc caput

cohaerere cum verbis Christi in Evangelio consignatis tamquam cum suo fundamento, et esse explicationem ac commentarium sensus qui verbis illis subest. Hanc connexionem professionis catholicae cum verbis institutionis, et consequenter vere hoc etiam dogma transsubstantiationis illis verbis contineri, Concilium Tridentinum agnovit et diserte declaravit sess. XIII. cap. 4: « Quoniam autem Christus Redemptor noster corpus suum id, quod sub specie panis offerebat, vere esse dixit; *ideo* persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idque nunc denuo sancta haec Synodus declarat, per consecrationem panis et vini conversionem fieri totius substantiae panis in substantiam corporis Christi Domini Nostri » etc.

Fas igitur non est negare, hunc sensum vere contineri verbis Christi. Aliud tamen est, aliquem sensum verbis Scripturae vere subesse atque adeo certum aliquod dogma illis verbis enuntiatum esse, et aliud, hunc sensum posse a nobis independenter ab auctoritate Traditionis et intellectus catholici ex sola vi verborum, contextu, et universim ex regulis intrinsecis interpretationis certo demonstrari. Potest accidere, ut solis verbis Scripturae per se inspectis maneat ambiguum, quis ex duobus vel pluribus sensibus verus censeri debeat, et nihilominus ex canone interpretationis extrinseco Traditionis et catholici intellectus certo constet, quem sensum ex illis pluribus, qui verbis solum per se inspectis subesse posse videntur, Deus Scripturarum auctor unice intenderit. Neque enim Ecclesia a Christo et ab Apostolis solam litteram Scripturae accepit, sed simul in praedicatione apostolica et in doctrina per Traditionem conservata accepit verum sensum Scripturae, saltem quoad testimonia dogmatica praecipua, et accepit quoad universam Scripturam promissionem assistentiae et directionis Spiritus veritatis inducentis in omnem veritatem, ut authenticum magisterium sub hac Spiritus Sancti directione in iudiciis de vero sensu Scripturarum falli non possit (Vide Tract. de Tradit.). Iam hoc sensu intelligendi sunt theologi, si qui dicunt, ex verbis Scripturae transsubstantiationem demonstrari non posse, ut Scotus, Durandus, Paludanus; sibi volunt nimirum,

non posse ex solis verbis per se inspectis demonstrari hanc significationem transsubstantiationis, quia eis videntur verba admittere quidem hunc sensum, non tamen hunc solum, subesse autem eis hunc et non alium sensum fatentur constare ex Traditione et auctoritate Ecclesiae, quae in intelligendo vero sensu Scripturarum sub directione Spiritus Sancti falli non potest. « Si quaeras, inquit Scotus, quare voluit Ecclesia eligere istum intellectum ita difficilem huius articuli, cum verba Scripturae possent salvari secundum intellectum facilem et veriorem secundum apparentiam de hoc articulo (i. e. secundum testimonium sensuum ,· qui referunt panem et vinum sicut ante ita post consecrationem); dico quod eo Spiritu expositae sunt Scripturae, quo conditae. Et ita supponendum est, quod Ecclesia catholica eo Spiritu exposuit, quo tradita est nobis fides, Spiritu scilicet veritatis edocta, et ideo hunc intellectum eligit, quia verus est. Non enim in potestate Ecclesiae fuit facere istud verum vel non verum, sed Dei instituentis; sed intellectum a Deo traditum Ecclesia explicavit directa in hoc, ut creditur, Spiritu veritatis » Scot. in 4. dist. 11. q. 3. n. 15. Sensus idem est Durandi in 4. d. 11. q. 1. n. 16. 17. (1). Quamvis vero haec opinio, quod verba Christi per se inspecta quoad hoc caput transsubstantiationis ambigua sint atque ita hoc dogma hermeneutice ex verbis ipsis demonstrari non possit, falsa sit; nolim tamen dicere cum Vasquez (disp. 180. c. 5. n. 51 sq.), horum theologorum opinionem pugnare cum doctrina Concilii Tridentini sess. XIII. cap. 4. (Cf. Suarez disp. 49. sect. 2. p. 615 « Denique licet demus » etc.; Hiquaeum in Scot. 4. dist. 11. q. 3. n. 34).

Attamen modus ipse loquendi Concilii l. c. certe magis favet assertioni sensus minime ambigui verborum in se;

(1) Ex his iterum fiat iudicium de assertione Doctoris Anglicani, qui post Lutheranum Kemnitium nobis narrat, Scotum, Durandum, Alliacensem (de quo supra th. XIV. p. 192) fateri, professionem Lutheranam non minus congruere ss. Scripturis, quam professionem catholicam: I have already quoted Durandus, Scotus, Cardinal d'Ailly, as stating that our belief agreas with Holy Scripture as well as the modern Roman; that the words, « This is my Body, » do not imply their belief more then ours l. c. p. 300.

tum adiuncta ipsa, in quibus Christus Dominus ad instituendum SS. Sacramentum illa verba pronuntiavit, modus argumentandi SS. Patrum ex verbis iisdem, consideratio denique ipsorum verborum secundum canones interpretationis intrinsecos demonstrant, verba ipsa per se sumpta etiam quoad hoc caput non esse ancipitis significationis, ut illis nonnullis theologis visum erat, sed unicum illum sensum admittere, quem verum et a Christo Domino intentum esse, ex consensu intellectus catholici constat et ipsi illi theologi sane concedunt. Quamvis igitur plena certitudo huius sensus verborum pro nobis fundetur in consensu et authentica interpretatione Ecclesiae, possumus tamen etiam hermeneutice ex verbis ipsis hunc sensum genuinum demonstrare, ut intelligamus non tantummodo *esse verum*, sed etiam *quomodo sit verus,* eiusque veritatem etiam polemice adversus oppugnatores vindicemus.

II. In propositione « hoc est corpus meum », directa ad panem, terminus demonstratus pronomine *hoc* non potest esse nisi panis, quamdiu panis subest his phaenomenis seu speciebus. Demonstrat enim pronomen *hoc* substantiam connaturalem his visibilibus speciebus, quamdiu eis subest; nec potest manente illa substantia connaturali demonstrare aliam substantiam, quae una cum substantia connaturali esset invisibiliter praesens sub iisdem accidentibus sibi non propriis. Desinente demum substantiâ connaturali et substantiâ aliâ iam solâ praesente sub iisdem accidentibus, pronomen demonstrabit hanc aliam substantiam.

Exemplo satis apto hic modus demonstrandi per pronomen illustrari solet. In monstratione pomi, quod habeat inclusam et occultam monetam auream, fallax esset propositio: hoc est aurum, quia sine fallacia non potest pronomini *hoc* alius subiici terminus demonstrationis quam pomum, quamdiu manet sub his accidentibus; vera esset ea propositio tum solum, si per miraculum desineret esse pomum et nulla alia substantia illis phaenomenis subesset quam aurum. Manente pomo, sine fallacia dici tantum posset: hîc inclusum est aurum. Sic etiam, licet Deus omnibus rebus sit intime praesens, esset tamen falsa proposi-

tio, si quis ostendens e. g. arborem vel idolum diceret: hoc est Deus; aut si ostendendo hominem, propter intimam angeli praesentiam diceretur: hic est angelus (sensu non metaphorico) etc. Verum solum erit dicere: heic est Deus, angelus etc. Valet hoc de omnibus ostensionibus obiectorum sensibilium, quae non praecognoscuntur ordinata ad aliam substantiam in se continendam et, dum ostenduntur, exhibendam intellectui praeter substantiam ipsam connaturalem phaenomenis.

Diversa est ratio, si obiectum praecognoscitur ex natura sua vel ex iam nota institutione destinatum ad aliud continendum; tum enim recte potest pronomine *hoc* demonstrari substantia contenta sub continente. Sic ostendens vas vino, marsupium auro plenum, concham margaritiferam, sine fallacia aut obscuritate dicet: hoc est vinum, aurum, margarita. Ratio est, quia in his rebus consideratur continens tamquam accidens connaturale contenti; unde sicut in prioribus illis propositionibus per pronomen *hoc* attentio facile intelligitur dirigi non ad accidentia sed ad substantiam connaturalem accidentibus quamdiu ea subest, ita in posterioribus attentio dirigitur non ad rem continentem sed ad rem contentam.

Regula itaque universalis est: *in ostensione obiecti sensibilis, quamdiu manet res connaturaliter demonstrabilis suis accidentibus, ea sola est terminus demonstratus pronomine* hoc, *sive accidentia sumantur proprie et physice, sive moraliter tantum et ex communi modo considerandi.*

Iam hisce positis si de pronomine *hoc* affirmatur substantia omnino diversa a termino demonstrationis connaturaliter substante his visibilibus speciebus, ut quando demonstrando panem dixit Christus Dominus: hoc est corpus meum; talis propositio (supponendo sensum proprium in praedicato *corpus meum*) tum significat esse iam id, quod dicitur in praedicato, scilicet *corpus Christi* sub illis speciebus, tum significat terminum connaturaliter demonstrabilem non esse amplius sub iisdem speciebus, scilicet non esse amplius substantiam panis seu rem quae est panis. Cum enim substantia panis subsit ut connaturalis terminus demonstrationis sub

his accidentibus, et cum ideo, quamdiu illa manet, ipsa sola et non alia quantumvis praesens substantia designetur pronomine *hoc;* si affirmatio praedicati *corpus meum*, non excluderet substantiam panis, illa propositio «hoc est corpus meum» affirmaret substantiam panis esse substantiale corpus Christi, quod evidenter repugnat. Paucis verbis, ut propositio «hoc est corpus meum» sit vera, necesse est terminum demonstratum pronomine *hoc* tum, quando enuntiatur praedicatum, esse corpus Christi; at pronomen *hoc* non potest demonstrare corpus Christi sub his accidentibus panis, quamdiu subest substantia eis propria et connaturalis h. e. substantia panis, sed ad hanc corporis Christi demonstrationem requiritur ex dictis, ut ipsum solum sine substantia panis eis subsit, ac proinde requiritur ut succedat sub his accidentibus excludendo substantiam panis.

Hinc propositio a Christo Domino enuntiata super panem *hoc est corpus meum,* aequivalet duabus propositionibus, uni directae et affirmanti: hoc, quod nunc subest his speciebus, est corpus meum; alteri indirectae et neganti: hoc, quod nunc subest his speciebus, non est amplius panis. Haec porro verba Christi ut vera sint, necesse est efficiant quod significant: neque enim praesupponunt verum id, quod enuntiant, sed ipsa efficiunt, ut sit, quod enuntiant. Ergo quia verba Christi Domini significando corpus Christi constitutum sub his speciebus panis negant adhuc manere substantiam panis, hoc ipso efficiunt corpus Christi constitutum sub speciebus panis ita, ut vi huius efficientiae exigant desitionem substantiae panis; et vicissim exigunt desitionem panis ad hoc, ut sub his accidentibus in vicem panis iam constituatur corpus Christi. Atqui haec est ipsa conversio totius substantiae panis in corpus Christi seu transsubstantiatio (th. XIII. et XIV. n. III). Ergo illis verbis significatur et efficitur non solum praesentia corporis Christi, sed etiam desitio panis, et hoc utrumque per veram conversiouem substantiae panis in corpus Christi.

Alio modo idem demonstrari potest cum auctoribus Operis «Perpetuitas Fidei» T. II. l. II. c. 2. Dum accipit Dominus panem in ultima coena, et dicit: hoc est corpus

meum, pronomini *hoc* subest certe ut terminus monstratus substantia panis, seu id, ad quod attentio dirigitur, est panis, usque dum pronuntiato praedicato *corpus meum* iubemur credere id, quod nunc demonstratur eodem pronomine *hoc,* iam esse corpus Christi. Alius ergo terminus monstratur per pronomen *hoc* ante enuntiatum praedicatum, alius diversus dum praedicatum enuntiatur (vide th. VI. n. I). Porro quia in illa propositione panis revera exhibetur pronomine *hoc* usque ad enuntiationem praedicati, et praedicato enuntiato revera non amplius panis sed alius terminus scilicet corpus Christi eodem pronomine exhibetur; ideo terminus monstratus atque adeo enuntiatus implicite potest absque mutatione sensus propositionis enuntiari explicite et verbis disertis. Quod si fiat, propositio hanc habebit formam: « hoc, *quod erat panis,* iam est corpus meum. » Sed illud incisum « quod erat panis » explicite enuntians, quod in propositione simplici « hoc est corpus meum » continetur implicite, est incisum pro tempore, quo enuntiatur praedicatum *corpus meum,* negans substantiam panis. Ergo iterum Christus Dominus illa propositione pronuntiata super panem « hoc est corpus meum, » revera duo significat, significatione directa quidem positionem corporis sui sub his speciebus, et significatione obliqua exclusionem seu desitionem substantiae panis vi ipsius positionis corporis sui sub iisdem speciebus. Haec autem ex saepe iam dictis conversionem constituunt; ergo propositio Christi Domini continens affirmationem corporis sui et negationem substantiae panis sub iisdem sensibilibus speciebus in mutuo nexu positionis unius et desitionis alterius, theoretice significat et consequenter, ut vera sit, practice efficit conversionem panis in sanctissimum corpus suum.

Totum quod diximus, revocatur ad has propositiones: quando Christus Dominus accipiens panem dicit: « hoc est corpus meum, » non solum affirmat, hoc quod sub sensibilibus speciebus panis exhibet, esse corpus suum, sed etiam negat esse panem. Cur affirmatio, hoc (sub sensibilibus speciebus panis exhibitum) esse corpus suum, includat negationem adhuc esse panem, ratio est, quia manente substan-

tia panis, vere solum posset dici: hoc est panis et in pane praesens est corpus meum; non autem posset dici: hoc est corpus meum. Et huius ratio est, quia pronomen *hoc* directum ad sensibiles species panis demonstrat unice connaturalem his speciebus substantiam panis, quamdiu ea manet, nec potest sine fallacia transferri ad demonstrandam substantiam alienam invisibiliter praesentem una cum pane.

Quisque videt, totam hanc argumentationem non esse nisi analysin eius conclusionis, qua Ecclesia ipsa ex verbis institutionis intellexit dogma transsubstantiationis, ut docet Concilium Tridentinum sess. XIII. cap. 4: « Quoniam autem Christus Redemptor noster *corpus suum id, quod sub specie panis offerebat, vere esse dixit; ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit... conversionem fieri* totius substantiae panis in substantiam corporis Christi Domini Nostri etc. » Ultima igitur et simplicissima expressio interpretationis verborum Christi haec est: Christus Dominus dirigens verba ad panem et monstrans panem quem manibus tenet, dicit: hoc est corpus meum; *affirmans autem, hoc esse corpus suum, eo ipso etiam affirmat, hoc non amplius esse panem;* et cum eius verbum infallibiliter sit verum, *efficit utrumque*, videlicet *ut hoc sit corpus suum*, et hac ipsa effectione, *ut non amplius sit panis.*

Qui admisso sensu proprio verborum et admissa praesentia reali negarunt, conversionem ex verbis ipsis per se inspectis demonstrari posse, iis causa erroris fuit alterutra ex his duabus, vel quod 1°. consideraverunt verba institutionis velut respicientia solum corpus Christi absque directione ad panem, atque ita putarunt terminum designatum pronomine *hoc* esse vel esse posse unice corpus Christi, ac si nullo habito respectu ad panem diceretur: hoc quod fit praesens, est corpus meum. Vel 2°. errarunt ideo, quia non considerarunt discrimen, quod intercedit maximum inter illas res sensibiles, quae ex sua natura vel ex institutione cognoscuntur destinatae ad aliam in se continendam, et inter res, quae non uti continentes aliam, sed tantum in se et secundum propriam substantiam considerari possunt. In prioribus illis verum est, ut iam diximus, posse pronomen

hoc referri ad monstrandam rem contentam, quia res continens consideratur velut accidens, atque ita ostendendo e. g. vas plenum vino recte dicitur: hoc est vinum. At in posterioribus pronomen *hoc* non nisi substantiam speciebus visibilibus connaturalem designare potest, quamdiu manet ea substantia, non autem potest sine fallacia adhiberi ad designandam substantiam alienam invisibiliter praesentem una cum substantia connaturaliter exhibita talibus speciebus.

Iam vero panis quem Dominus in ultima coena accepit in manus suas, nec natura sua nec ex antecedenti cognita institutione considerari poterat per modum accidentis, cuius propria ratio et destinatio esset tantummodo continere rem aliam; et ideo per pronomen *hoc* attentio non poterat dirigi ad rem contentam pane, sed tantum ad ipsam substantiam panis, atque ita usque ad enuntiationem praedicati iudicium debebat esse, «hoc esse panem,» et audito praedicato «corpus meum» iudicium debebat conformari novo praedicato: «hoc quod antea erat panis, iam non est panis sed corpus Christi.» Longe diversa esset ratio propositionis «hoc est corpus Christi,» in hypothesi, quam ponit Hiquaeus Scotista ad persuadendum, verba institutionis per se inspecta posse verificari etiam permanente substantia panis. Si supponatur Christus instituisse SS. Sacramentum ita, ut corpus eius esset praesens una cum substantia panis, monstrando hostiam consecratam adhuc ex rei veritate diceretur: hoc est corpus Christi; ergo etiam potuit Christus ad significandam praesentiam corporis sui manente panis substantia uti illis verbis: hoc est corpus meum. Ita ille argumentatur in Comment. ad Scot. 4. dist. 11. q. 3. n. 19 (Opp. Scoti T. VIII. p. 612). At concesso antecedenti, neganda est consequentia et consequens. Nam in illa hypothesi panis in hostia consecrata ex praecognita institutione conciperetur destinatus per modum continentis ad exhibendum nobis praesens corpus Christi, et ideo, facta iam consecratione, in propositione: hoc est corpus Christi, pronomen posset monstrare non continens sed contentum; at omnino aliter se res habuit in ultima coena et nunc se habet

in iisdem verbis consecrantibus directis ad panem. Neque enim, ut satis demonstravimus, pronomen *hoc* initio propositionis aliud designare potest quam substantiam panis sub his accidentibus, nec potest desinere haec designatio, nisi ipsa substantia panis desinat subesse et substantia alia incipiat subesse accidentibus iisdem.

Scolion. Ex demonstratis in utraque thesi XIV et hac XV facile intelligitur, quomodo revelatae doctrinae de transsubstantiatione repugnent alii quidam absurdi errores, qui a quibusdam mediae aetatis auctoribus propugnati esse feruntur. Praeter Durandum enim, qui fas esse putavit asserere permanentem materiam panis desinente forma substantiali, et alios, si qui ex adverso dixerunt, desinente materia manere formam (cf. S. Thom. 3. q. 75. a. 6; Suarez disp. 49. sect. 3), Berengariani nonnulli videntur docuisse, manere naturam substantialem panis et vini sed hypostatice verbo unitam (cf. Guitmundum l. III. Bibl. Max. T. XVIII. p. 461), idemque error a multis post Thomam Waldensem adscribitur auctori Operis de divinis Officiis, qui a Waldensi putatus Walleramus Episcopus Naumburgensis non alius est quam Rupertus Abbas Tuitiensis (cf. th. XIV. p. 188). Alio modo, si fieri potest, adhuc absurdiori substantialem naturam panis et vini permanentem in Sacramento per immediatam unionem cum corpore Christi defendi posse putavit ineunte saeculo XIV Ioannes Parisiensis iunior (diversus a celebri magistro antiquiori Ioanne Parisiensi cognomento Poinlasne), cuius error a Guillelmo Episcopo Parisiensi consultis aliis Episcopis et Doctoribus damnatus est. Vide d'Argentrée Collect. Iudicior. etc. T. I. P. I. p. 264 sq. Fons his omnibus erroribus unus communis erat difficultas, quam experitur humana ratio in conciliandis speciebus et omnibus efficientiis sensibilibus cum negatione substantiae ut connaturalis subiecti earundem specierum. Maluerunt permanentiam specierum secundum leges physicas explicare, atque his suis theoriis accomodare sensum doctrinae christianae; cum contra debuissent sensum doctrinae revelatae ex principiis theologicis manifestum statuere tamquam normam, cui illas theorias subiicerent partim in hypothesi solum

servati ordinis naturalis validas, partim in ipso ordine naturali vel falsas vel certe ab evidentia remotissimas, quatenus vero adhibebantur ad conciliandum ordinem naturalem cum supernaturali, huic, ut revelatione constat, manifesto repugnantes.

De errore priori asserente, manere partialem substantiam panis, materiam scilicet vel formam substantialem, quomodo repugnet conversioni panis in corpus Christi praeexistens, satis indicavimus th. XIV. p. 221. Error alter Ruperto adscriptus manifestus est tum ex principio negativo generali, quod alia assumptio hypostatica naturae praeter incarnationem Verbi est inaudita et christianis auribus intolerabilis, tum ex doctrina revelata speciali, ex qua constat *conversio* panis et vini in corpus et sanguinem Domini. Natura enim per assumptionem hypostaticam non convertitur in aliam naturam, ut natura humana assumpta non est conversa in divinam. Conversio panis ex doctrina tradita credi debet ita, ut «non sit amplius panis, non sit amplius quod natura formavit, non sint duo corpora etc.» At falsum est, supposita assumptione hypostatica non esse amplius panem etc. Pariter convincitur error ex ipsis verbis institutionis, quibuscum tamquam cum suo fundamento universalem professionem et praedicationem ecclesiasticam praesentiae realis et transsubstantiationis cohaerere ostendimus. Si enim *a*) verba, «hoc est corpus meum,» accipiuntur ut directa ad panem et panis manens dicitur corpus Christi ratione assumptionis hypostaticae; haec interpretatio evidenter est falsa. Nam praedicatum *corpus meum* exprimit illud corpus, *quod pro nobis datur,* sicut praedicatum *sanguis meus* illum sanguinem, *qui pro multis effunditur* et in cruce effusus est; exprimit inquam corpus Christi, quod est *caro Christi* (coll. Io. VI), atque adeo corpus assumptum ex B. Maria Virgine, crucifixum pro nobis, sedens nunc in gloria Patris. Atqui hoc corpus Christi sane non est panis quotidie iterum atque iterum hypostatice unitum Verbo. Praeterea hac interpretatione admissa solum praesentia panis Verbo uniti, non autem praesentia Christi in Sacramento secundum humanitatem verbis institutionis expressa censeri

deberet, quod et verbis per se spectatis et consensui catholici intellectus ac universae Traditionis repugnat. Si *b*) verba sumuntur non ad panem directa, sed absque monstratione panis unice ad corpus Christi humanum et in incarnatione assumptum; id est contra contextum evangelicum, contra consensionem nominis christiani; et eo sensu admisso verbis iisdem nec transsubstantiatio nec vero assumptio illa supposita panis ad hypostasin Vérbi demonstraretur.

Tertius error Ioannis Parisiensis differt a praecedenti in modo, quo asseruit vel potius asseri posse dixit assumptam naturam panis. Timens ipse ne posita unione hypostatica panis cum Verbo concedere cogeretur nefandum illud, Verbum esse panem, sicut propter unionem hypostaticam humanae naturae Verbum est homo, confinxit modum alium unionis. Panis scilicet naturam aiebat immediate sustentari a corpore et in corpore Christi; unde esse quidem ibi aliam naturam corporis Christi et aliam naturam panis, sed unum tamen corpus Christi; nam corpus est id, quod et habet suam propriam naturam et sustentat panis naturam, ergo est unum corpus Christi, licet sint duae naturae, seu « duae corporeitates panis et humanitatis, » ut ipse loquebatur (1).

(1) Verba Ioannis Parisiensis sunt: « substantiam panis manere sub suis accidentibus in Sacramento altaris, dupliciter potest intelligi, uno modo sic, quod substantia panis maneat in proprio supposito, et istud est falsum... Alio modo, ut substantia panis maneat sub accidentibus suis non in proprio supposito, sed tracta ad esse et suppositum Christi, et sic sit unum suppositum in duabus naturis. Et sic est verum, substantiam panis manere... Ista positio ponit in Sacramento altaris duas corporeitates, scilicet panis et humanitatis, quia ibi ponit humanitatem et paneitatem, sed tantum ponit ibi unum corpus, quia corpus non est corporeitas, sed habens corporeitatem, quia ibi est unum suppositum tantum.... Ego dico panem ibi manere non in proprio supposito, sed tractum ad *esse* et suppositum Verbi *mediante carne aut corpore parte* (i. e. corpore quod est pars Christi). Propter quod potest dici corpus pars impanatum, id est panis factum et non pane tectum; sed hominem aut Christum non possumus dicere impanatum... Panis mutatur, quantum ad *esse* et quantum ad suppositum, in quantum *esse* et suppositum panis trahitur (mediante corpore, ut dictum est) ad *esse* et suppositum Verbi. » Apud D'Argentrée l. c.

Theologi simpliciter dicere solent de hac Ioannis sententia, eam repugnare doctrinae catholicae propter rationes omnes easdem, quibus erroris convincitur altera sententia Ruperto adscripta, et praeterea in ea esse absurditatem specialem, quia corpus Christi, quod ipsum non est hypostasis sed natura in hypostasi Verbi, dicitur sustentare naturam panis, cuiusmodi sustentatio non nisi hypostasi convenire posset. At nunc a quodam auctore novum genus sustentationis repertum esse fertur, quo una natura substantialis possit inesse alteri non tamquam hypostasi sed tamquam substantiae ita, ut ipsa manens natura desinat esse substantia, quia desinit esse in se. Quo posito natura panis manens absque alia mutatione nisi quod incipit esse in corpore Christi et sustentatur a corpore Christi, dicitur desinere esse substantia panis et in eius vicem succedere substantia corporis Christi, i. e. sustantia corporis Christi est et in se ipsa et adhuc in se sustentat « aliquo genere sustentationis » naturam panis. Hanc autem theoriam putat ille auctor egregie consentire doctrinae Concilii Tridentini, qua definitur: fieri « conversionem *totius* substantiae panis in corpus et *totius* substantiae vini in sanguinem, *manentibus dumtaxat speciebus;* » neque enim panis et vinum in corpus et sanguinem, inquit, sed substantia panis et vini in substantiam corporis et sanguinis converti docetur.

Sive iam hanc novam doctrinam ab ea Ioannis Parisiensis realiter sive solis verbis diversam esse censeas, non magni refert; neutram enim sententiam cum vera doctrina amice componi posse, demonstrant omnia, quae hactenus de transsubstantiatione disputavimus.

In explicatione suae sententiae recens ille auctor statuit imprimis: substantiam esse naturam quae est *in se,* hypostasin esse substantiam quae est *per se.* Unde sicut desinit esse hypostasis quin desinat esse substantia, quando non est *per se* sed sustentatur ab alia hypostasi, ut humana natura sustentatur a Verbo; ita natura, quin desinat esse natura, desinit esse substantia, quando non est *in se* sed sustentatur ab alia substantia, et hoc modo ait naturam panis sustentari a corpore Christi, atque ita substantiam

panis transmutari in substantiam corporis Christi, hancque dici transsubstantiationem.

At 1°. Hucusque censebatur adaequata distributio *entis* in *substantiam* et *accidens* (comprehendendo hoc nomine accidentium etiam modos et relationes in creatis, sicut relationes in divinis sunt realiter ipsa substantia divina). Tum censebatur esse discrimen essentiale ex ipsa intrinseca natura inter *substantiam* et *accidens*. Hoc discrimen explicabatur ita, ut *substantia* sit omnis natura, cui ex ipsa intrinseca sua essentia competat non esse in altero tamquam in subiecto, *accidens* contra sit, cui ex intrinseca sua essentia competat habere *esse* in subiecto. Unde ipsis rerum essentiis atque adeo metaphysice repugnat, ut substantia desinat esse substantia, accidens desinat esse accidens, nisi simpliciter desinat esse. Etiamsi enim accidens contra et supra naturae leges a Deo conservetur sine subiecto, cui actu inhaereat; non tamen ideo minus eius essentia talis est, cui ex sese competat et quae exigat inhaerere in subiecto (1). Ex eadem ratione substantia semper necessario retinet suam essentiam, qua est substantia et qua intrinsece toto genere differt ab accidenti, quomodocumque dicatur inhaerere alteri substantiae et sustentari ab altera substantia. Lumine rationis quidem solum intelligimus inhaesionem substantiae tamquam partis in toto, ex quo sane non desinit esse substantia seu aliquid substantiale, licet non integra sed partialis substantia sit, ut est corpus aut anima in homine. Sed ex mysterio Incarnationis atque adeo ex sola revelatione discimus, posse substantiam creatam ab hypostasi divina assumi ita, ut sit natura propria ipsius divinae hypostaseos. Haec mirabilis sustentatio humanae naturae per hypostasin Verbi habet

(1) « Non est definitio substantiae, ens per se sine subiecto, nec definitio accidentis, ens in subiecto; sed *quidditati seu essentiae substantiae competit habere esse non in subiecto; quidditati autem sive essentiae accidentis competit habere esse in subiecto.* In hoc autem Sacramento non datur accidentibus, quod ex vi suae essentiae non sint in subiecto, sed ex divina virtute sustentante: et ideo non desinunt esse accidentia, quia nec separatur ab eis definitio accidentis, *quae est aptitudo ad subiectum,* quae semper manet in iis, *non actualis inhaerentia; nec competit eis definitio substantiae.* S. Thom. 3. q. 77. a. 1. ad 2.

aliquam analogiam cum inhaesione accidentis in substantia, ut praeclare explicat S. Thomas (compend. theol. c. 211). At profecto humana natura non desinit nec posset sive hoc sive quovis alio « genere sustentationis » desinere esse substantia et deflectere in naturam ac rationem accidentis, quin desineret ipsa intrinseca essentia naturae. Sicut enim definitio (ut loquitur S. Thomas) seu essentia accidentis est « aptitudo ad subiectum (inhaesionis) non vero actualis inhaerentia; » ita prorsus essentia substantiae est ontologica aptitudo, ut sit in se et non in alio. Si quando autem est in alio, quo demum cumque modo fingatur, non ideo desinit nec potest desinere illa aptitudo intrinsece essentialis, et propterea non potest desinere esse substantia. Hac distinctione inter aptitudinem ad existendum per se, quae essentialis est substantiae saltem integrae, et inter actualem existentiam per se et non in alio, Petavius rectè ait, solvendam esse difficultatem, qua Eutychiani probare vellent, humanam naturam Christi *non esse substantiam,* quia « proprio substantiae modo ac velut forma destituta sit. » Responsio verissima Petavii est: « Discernenda sunt duo in οὐσίᾳ sive *substantia prima,* quorum alterum ad essentiam eius definitionemque pertinet, alterum adventitium est, non οὐσιῶδες. Etenim definitur substantia, *quod est per se,* hoc est non accidentis more adhaeret alteri velut subiecto; et *idoneum est ex sese,* ut a quocumque seiunctum altero subsistat. In hoc substantiae ratio et τὸ τί ἦν εἶναι (essentia) consistit, idque omnibus convenit, etiam illi quae per se et separata minime cohaeret, cuiusmodi est humana Christi substantia... *Hoc igitur unum proprio posse modo subsistere, ad substantiae naturam attinet, eique dat in categoria substantiae locum. At vero re ipsa et actu propria vi modoque subsistere, non est οὐσιῶδες substantiae* » (sed id οὐσιῶδες seu essentiale est hypostasi sive supposito) Petav. de Incarn. l. V. c. 8. num. 1. 4.

Forte dicet aliquis, haec non esse contra doctrinam recentis auctoris, de qua agimus. Nam ipse distinguit haec duo: *esse in se actu,* quae sit propria nota substantiae, et *esse per se actu,* qui sit proprius character hypostaseos. Unde ulte-

rius docet: sicut natura dum sustentatur ab altero ita, ut non sit actu *per se,* non est hypostasis; ita natura dum ab altero sustentatur «quodam sustentationis genere» ita, ut non sit actu *in se,* iam desinit esse substantia; hinc natura panis et vini post consecrationem sustentata iam illo «quodam sustentationis genere» a corpore Christi, ut non sit amplius *in se* sed in corpore Christi, manet quidem eadem *natura* panis et vini quae fuerat ante consecrationem, sed non est amplius *substantia* panis et vini.

At vero *a*) differentia inter substantiam et accidens hactenus ponebatur in ipsa entitate seu quidditate rei (ut audivimus a S. Thoma), quae nulla actuali inhaesione vel actualis inhaesionis negatione mutari potest. *b*) Si *esse in se* et *esse per se* distinguantur, illud *esse in se* designabit ipsam aptitudinem existendi *per se* atque adeo ipsam rei quidditatem toto genere diversam a quidditate accidentis; et hoc sensu dicit non solum oppositionem ad *inesse in subiecto,* sed *intrinsecam repugnantiam* «aptitudinis ad subiectum» h. e. ut sit accidens; sicut vicissim propter eandem diversitatem quidditatis repugnat intrinsece, ut accidens, quantumvis existens sine subiecto, sit substantia, quia semper retinet «aptitudinem ad subiectum.» Si quis vero audeat negare intrinsecam differentiam κατα το τι ἡν εἰναι seu (ut dicunt) quidditativam inter substantiam et accidens, ita ut eadem natura sit vel substantia vel accidens, prout sustentatur vel non sustentatur actu; id certissime in rebus theologis (transmittendo nunc philosophiam) prorsus est intolerabile. Hoc modo corpus Christi ipsum, imo tota natura humana Christi erit, et totum universum creatum poterit fieri accidens, ut unica remaneat substantia divina. *c*) Illa natura panis et vini sustentata isto novo «quodam sustentationis genere» profecto est «*idonea ex sese,* ut a quocumque seiuncta altero subsistat, et proprio *potest* modo subsistere;» remanere enim dicitur prorsus eadem natura, quae antea actu subsistebat seiuncta a quocumque altero. Atqui «hoc unum, (ex natura sua) proprio *posse* modo subsistere, dat ei locum in categoria substantiae,» ut rectissime docet Petavius. Ergo illa natura panis et vini manet in cate-

goria substantiae. Hoc consequens cum fatentibus omnibus Catholicis sit falsum, falsum est etiam principium, unde istud consequitur. *d*) Ex dictis omnibus iam deducitur, contra hanc singularem doctrinam, quam impugnamus, esse difficultatem insuperabilem in definitione Tridentina. Nam sive tempore Concilii sive tempore anteacto appellatione *substantiae* numquam aliud designabatur (1), quam vel significatione frequentissima et communi natura ac entitas substantialis in oppositione ad accidens, vel significatione rariori hypostasis. At Concilium, ut per se evidens est, substantiam panis et vini intellexit significatione illa priori et communissima. Quando ergo definit: « Si quis dixerit, in SS. Eucharistiae Sacramento remanere substantiam panis et vini una cum corpore et sanguine Domini Nostri Iesu Christi, negaveritque mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiae panis in corpus et totius substantiae vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis et vini, quam quidem conversionem catholica Ecclesia aptissime transsubstantiationem appellat, anathema sit » (Sess. XIII. can. 2); sine ullo prorsus dubio docet, totum illud *esse* panis, quod non est accidens seu species, converti seu desinere per conversionem in corpus et sanguinem Domini modo iam saepe declarato. At iuxta novam sententiam nihil entitatis desinit in pane, sed tota physica realitas manet eadem solo modo existendi mutato, quod nunc ea realitas dicitur non esse in se sed in altero scilicet in corpore Christi. Per hunc autem modum existendi in altero, non desinit ipsa essentia naturae, nec ea fit accidens, sed manet natura substantialis. Atqui hanc realitatem substantialem oppositam accidenti definit Concilium converti in corpus Christi atque adeo desinere non solum *esse in se* sed desinere *esse simpliciter* per conversionem in corpus Christi. Sed omissa theoria substantiae, falsitas novae explicationis convincitur multo planius.

(1) Quod Graeci in certis quibusdam contextibus etiam accidentia appellabant *οὐσιαν*, et quod haec *οὐσια* a Gelasio vel a latino interprete libri contr. Eutysch. et Nestor. semel redditur per nomen *substantiae*, nihil pertinet ad rem praesentem. Vide supra p. 127.

Nam 2°. Concilium idem omnino docet distinctius, quod apud Patres et in Liturgiis dicitur, «panem et vinum transmutari in corpus et sanguinem Domini, post consecrationem non esse amplius panem, sed tantum apparere panem et iam id, quod fuerat panis, esse corpus Domini, non esse panem licet gustu ita sentiatur, sed corpus Domini etc.»; damnat Concilium idem, quod iam in Berengario fuerat damnatum, qui teste Lanfranco inter alia docuit, «panem vinumque altaris post consecrationem *sine materiali mutatione in pristinis essentiis remanere*» (th. XIV. p. 185), et quod damnaverat Concilium Constantiense in doctrina Wicleffi art. 1 et 2 asserentis: «substantia panis materialis et similiter substantia vini materialis remanent in Sacramento altaris. *Accidentia panis non manent sine subiecto* in eodem Sacramento.» Atqui in nova illa sententia, quam impugnamus, panis et vinum non solum appareret sed reipsa adesset; et quod gustu sentitur, non minus esset panis et vinum post consecrationem, quam fuerat antea, quantumvis sustentaretur a corpore Christi; maneret panis et vinum sine materiali mutatione in pristinis essentiis; manerent omnia accidentia panis et vini in suo subiecto, videlicet in natura panis et vini.

3°. Ex ipsis verbis institutionis confutatur haec doctrina eodem prorsus modo, quo paulo ante ex verbis eisdem impugnavimus sententiam de assumptione panis ad unionem hypostaticam.

THESIS XVI.

De obiectiva realitate specierum sacramentalium.

« Quaestio de speciebus sacramentalibus, quae constituunt *tertium* » *commune* in utroque transsubstantiationis *termino totali* et partem » sensibilem sacramenti, per se theologica est, si non speciatim de ac- » cidentium natura sed solum universim quaeratur, utrum species sa- » cramentales sint aliquid physicum reale remanens ex pane et vino, » cuius tota substantia transiit, an tantummodo immediata operatio Dei » in nostros sensus et in alia circumposita obiecta. Ex fontibus igitur » theologiae propriis sensu praedicto realitatem physicam specierum pa- » nis et vini defendimus; eam enim doctrina Patrum minime ambigua, » quoties hac de re agunt, Conciliorum et maxime Synodi Constantiensis » loquendi ratio cum omnibus suis adiunctis rite perpensa, theologorum » et scholarum omnium consensus saltem usque ad saeculum XVII la- » bens unanimis persuadent, praesertim cum etiam ab illa Cartesiana » aetate theologi, si qui erant in partem alteram propensiores, sua dubia » cautissime proposuisse, philosophi autem certi et rati nihil adtulisse » videantur, quod non solum specialem quemdam modum existentiae « ac- » cidentium sine subiecto, » sed generatim existentiam absolute repu- » gnare demonstret. »

I. Quaestio aliqua theologica dici potest dupliciter; primum quidem proxime et *formaliter* ratione obiectivi principii cognitionis, quatenus res ipsa, quae in disputationem venit, inquirenda est ac innotescit vel unice vel etiam ex revelatione et ex revelationis explicatione, ut haec explicatio per aetatum decursum vel ab ipso authentico magisterio est proposita vel aliter consensu et auctoritate sufficienti ad persuadendum illustrata. Quaestiones ita comparatas solvendas esse ex fontibus theologiae propriis, nemini potest esse dubium. Potest deinde quaestio dici theologica remote et *materialiter,* quando principium cognoscendi non est revelatio nec immediate per se nec mediate per deductiones, sed lumen rationis tantummodo; est tamen materia seu res ipsa nexa cum iis, quae in revelatione continentur. Hac etiam in hypothesi philosophiae prae oculis versari debere ex theologia normam saltem negativam et limitantem, ut praecaveantur errores oppositi veritatibus ex theologia cognitis, alibi demonstratur. Cf. Propos. XIV.

Syllabi S. P. Pii IX. iussu propositi, et litteras S. Pontificis ad Archiepisc. Monach. 11 Dec. 1862; 21 Dec. 1863.

Hisce positis quaestio de natura specierum eucharisticarum generatim spectata evidenter est saltem materialiter theologica; si vero restringatur intra eos terminos, qui in enuntiatione theseos indicantur, quaestio non solum ratione materiae sed etiam ratione obiectivi principii cognitionis atque adeo formaliter theologica censeri debet. Nam imprimis doctrina velut fundamentalis de speciebus eucharisticis sensu negante, seu doctrina *quid non sint*, ea omnia scilicet sensibilia phaenomena et eas omnes efficientias non exstare secundum leges physicas, secundum quas non possent esse nisi accidentia substantiae panis et vini adhuc eis suppositae, sed subtracta iam substantia connaturali secundum ordinem aliquem supernaturalem perdurare, doctrina est revelata et explicite ut doctrina fidei proposita. Constat igitur ex revelatione, species sacramentales, quidquid illae sint, non esse aliquid ordinis mere naturalis, ut ex relatione sensuum solo lumine rationis iudicandum esset, nisi iudicium fide divina corrigeretur; sed esse ordinis supernaturalis et superrationalis vel saltem praeterrationalis. Quando ergo quaeritur de harum specierum ratione et essentia, quid sint (*περι του τι ήν ειναι*), quaestio versatur circa rem supernaturalis et certe praeterrationalis ordinis. Per se ergo materia seu res de qua agitur, sine dubio theologica est. Porro quatenus in revelatione et in ecclesiastica explicatione revelationis continetur doctrina de natura specierum, eatenus quaestio de earum natura etiam formaliter theologica censeri debet, solvenda quippe ex revelatione et ecclesiastica revelationis explicatione. Atqui in revelatione continentur principia ex quibus deduci possit, et in consensu explicationis ecclesiasticae sufficienti ad persuadendum continetur deducta ac declarata solutio quaestionis de obiectiva et physica realitate specierum sacramentalium. Ergo quaestio de natura specierum intra hos limites est quaestio formaliter theologica solvenda ex fontibus theologiae propriis.

Ulterius vero, hac physica realitate supposita, sive de intrinseca natura accidentium in corporibus generatim, sive

de harum specierum a substantia connaturali seiunctarum indole speciatim, *quomodo* sint, nulla iam est ex principiis revelatis deducta explicatio; sed potest humana ratio rei propositae et ex revelatione deductae, specierum inquam obiective realium, declarationem plus minusve probabilem ex cognitionibus naturalibus repetere, quae de natura corporum suppetunt. Haec igitur quaestio ulterior de natura specierum *quomodo* sint, formaliter philosophica est, et sensu paulo ante declarato solum materialiter theologica.

Unde ordo rerum et idearum sicut in aliis quaestionibus theologicis, ita in hac quoque is est, ut philosophia subserviat theologiae; et proinde in re praesenti, ut primum veritas physicae realitatis specierum ex fontibus theologiae propriis statuatur, si id independenter a theoriis philosophicis de corporum natura fieri potest; veritas deinde theologice demonstrata sensu saltem negativo pro norma habeatur directrice in ipsa inquisitione philosophica de accidentium natura. Repugnat autem obiectivae nostrarum cognitionum subordinationi methodus, qua primum statuitur theoria philosophica de natura corporum et accidentium, atque huic deinde doctrina ex fontibus theologicis demonstranda subiicitur et accomodatur.

II. Inquirendum est igitur, quid, praeter negationem substantiae panis et vini sub his speciebus, de speciebus ipsis in praedicatione ecclesiastica doceatur.

1.° Patres et Ecclesia universa in sacramento duo distinguunt constanter, partem visibilem, quae est sacramentum tantum, et partem invisibilem corpus Christi, quae est sacramentum simul et res sacramenti. Hac declaratione, quod species ipsae sunt *sacramentum* seu *signum sacrum* rei sacrae, tum scilicet signum corporis Christi praesentis tum una cum corpore Christi signum refectionis nostrae spiritualis, iam satis docetur obiectiva earum realitas, ut bene explicuit Algerus l. I. c. 7. de Sacram. corp. et sanguin. Christi contra Berengarianos. Profecto enim *sacramentum* et signum sacrum intelligitur ab omnibus res aliqua sensibilis obiectiva, non autem modificatio in nostris sensibus et in obiectis circumpositis. Nihil vero proficiunt,

qui aiunt, esse quidem species aliquid obiective reale et non solum modificationem in nostris sensibus et in corporibus circumpositis, attamen hoc obiective reale esse non aliud, quam operationem divinam ex illo spatio ubi prius erat panis. Nam operatio divina distincta a suo effectu realiter non est aliud, quam Deus ipse; nemo autem dixerit, Deum ipsum, quantumvis spectetur formaliter ut operans, esse sacramentum seu sensibile signum rei sacrae! Obiective ergo reale extra nostros sensus et praeter modificationes corporum circumiacentium in hac hypothesi nihil remanet, quod possit dici sacramentum. At « si ex phantasia et veritate (corpore Christi) sacramentum Christi confici creditur, iam confectio non erit, quum ex aliqua re et nulla confectio constare non possit. Conficitur ergo sacramentum ex vero corpore Christi et sanguine et ex veris speciebus panis et vini. » Algerus l. c. (in fine capitis).

Huic persuasioni de obiectiva realitate partis visibilis in sacramento, non solum generatim indoles totius usus loquendi ecclesiastici respondet, quin umquam occurrat indicium illius merae operationis divinae in nostros sensus iis quoque in adiunctis et contextibus, ubi maxime urgetur absentia panis et vini; sed etiam frequens et disertissima apud Patres est declaratio physicae realitatis specierum sensibilium atque huius compositio cum desitione substantiae panis et vini. De hac diserta Patrum doctrina diximus satis multa th. X, quae huc transferenda sunt.

In distinctione a corpore Christi, ut ibi vidimus, species panis et vini appellantur *res terrena* (Irenaeus), *res materialis* ἀυτο το ὑλικον (Origenes); *res sensibiles* distinctae a re intellectu fidei percipienda αισθητα πραγματα (Chrysostomus hom. 82. in Matth. supra p. 91.); *panis et vini sensibilis natura* ἀισθητὴ οὐσια (Ephrem Antiochenus); prioris essentiae *forma et species, ac symbolorum remanens propria natura* (οὐδε μυστικα συμβολα τῆς οικειας ἔξισταται φυσεως Theodoretus); *permanens natura panis et vini* (epist. ad Caesar.); *permanens, non desinens proprietas naturae panis et vini* (Gelasius). Porro sicut monophysitae dogmate conversionis panis in corpus Christi abutebantur ad infe-

rendam conversionem humanae naturae Christi in naturam divinam, atque ideo humanitatis Christi visibiles proprietates «formam, figuram, circumscriptionem» non reale aliquid sed, si ita sensibus apparet, mere phantasticum asserebant; ita Patres vicissim in iis ipsis contextibus diserte consentientes monophysitis de conversione substantiae panis in corpus Christi, simul adstruebant tam sollicite realitatem specierum remanentium in sua proprietate, ut ex speciebus remanentibus, tamquam parte sensibili cum corpore Christi parte non sensibili unius sacramenti, inferrent realitatem humanitatis manentem in propria sua natura cum divinitate in una Christi persona. Atqui si has species non habuissent ut reale aliquid remanens ex pane et vino post desitionem substantiae, sed ut meram operationem divinam in sensus nostros et in obiecta circumposita, non solum hoc argumento seu potius hac analogia adversus monophysitas uti non potuissent, sed evidentissime analogia responderet haeresi adversariorum de humanitate transmutata in divinitatem et de apparentia phantastica proprietatum sensibilium humanitatis in Christo. Sive ergo locutiones Patrum spectes in se ipsis sive secundum scopum eis praefixum, Patres manifesto docent ut indubitatam et sine controversia admissam realitatem specierum, de qua agimus.

Non minus evidens est haec persuasio de realitate physica specierum apud Augustinum et alios Patres Africanos, quos diligentius partem visibilem sacramenti ab invisibili distinxisse diximus. Considerat enim e. g. Augustinus Trin. l. III. c. 10. (supra th. X. p. 122. 123.) partem sensibilem sacramenti ut aliquid, quod idem fuerat in pane et vino, quae arte humana parantur, et in usum religionis assumuntur.

Eadem est ad rem praesentem vis illius locutionis, qua Patres dicunt, corpus Christi et sanguinem esse impositum ac velut insertum *antitypis*, et manere integrum in minimis etiam *antitypi partibus*, ut Eutychius l. c. th. XI. p. 147.

Omissis scriptoribus saeculi IX, quorum sententiam eandem fuisse facile demonstrari posset (cf. Rhabanum in Thesaur. Zachariae T. X. p. 888), illi quibus saeculo XI. et XII. dogma non solum realis praesentiae sed etiam no-

minatim transsubstantiationis contra Berengarium et eius sectatores iam polemice propugnare necesse fuit, declarant eandem physicam specierum realitatem, Lanfrancus de Euchar. c. 18; Guitmundus l. II. Bibl. Max. PP. T. XVIII. p. 449; data opera et speciali demonstratione Algerus l. I. c. 7; Guillelmus Abbas S. Theodorici c. 3. Bibl. PP. Cisterc. T. IV. p. 134.

2.° Theologi Scholastici omnino unanimes consentiunt in hanc doctrinam, quamdiu intra limites a nobis commemoratos theologice agitur de physica specierum realitate; quamvis deinde in explicatione philosophica, *quomodo sint,* non idem amplius appareat consensus. Animadvertatur autem, theologos unice ex principiis revelatis et ex auctoritate explicationis ecclesiasticae perductos fuisse in hunc consensum universalem de obiectiva realitate specierum, ne quis forte suspicetur, eos ex praeconceptis principiis philosophicis de natura corporum in eam devenisse. Imo fatentur, separabilitatem accidentis a sua substantia lumine rationis demonstrari non posse atque adeo philosophis gentilibus fuisse incompertam; sed simul contendunt, ex principiis fidei talem accidentium existentiam non solum ut possibilem sed ut actualem esse tenendam, adeoque cognitiones philosophicas de natura corporum ex veritatibus revelationis amplificandas et ignorantiam rationis fide corrigendam esse. « Prima sententia est, inquit Suarez, essentialem rationem omnis accidentis consistere in actuali inhaerentia ad subiectum. Ita videntur sensisse philosophi gentiles, qui putarunt nulla ratione fieri posse, ut accidens extra subiectum conservetur... Hanc vero sententiam, ut dixi, damnat catholica fides, ut non possit universaliter esse vera..... An vero possit ratione naturali sufficienter probari contra philosophos non repugnare, ut accidens conservetur separatum a subiecto, attigi in commentario ad 3. q. 77. a. 1, et sane opinor, simpliciter non posse demonstrari ab homine (propter defectum scilicet adaequatae cognitionis naturae corporum et accidentium in corporibus), maxime cum nec distinctio realis quantitatis a substantia ex sola ratione sufficienter demonstretur, ut infra dicemus,

et separatio qualitatum ab omni subiecto (etiam a quantitate) nonnullis etiam Catholicis impossibilis videatur. Possunt igitur, ut l. c. dixi, sufficienter solvi argumenta, quae apparenter ostendere possunt, hoc esse impossibile » etc: Suarez Metaphys. T. II. disp. 35. sect. 2. n. 2-4. cf. ibid. disp. 40. sect. 2. n. 8. Consensus igitur unanimis theologorum is est, postulare principia fidei revelata de Eucharistia, ut species seu accidentia panis et vini censeantur sine subiecto inhaesionis obiective realia; huius autem veritatis demonstrationem non ex philosophia sed ex fontibus theologicis repetunt. Imo hanc, quam diximus, accidentium existentiam post Concilium Constantiense et Tridentinum simpliciter dicunt esse de fide, Valentia disp. 6. q. 5. punct. 1; Suarez in 3.P. T.III. disp. 56. sect. 1; Vasquez disp. 94. cap.1; Lugo disp. 10. sect. 1; Ysambertus in 3. q. 77. disp. 1. a. 1. et reliqui; in Catechismo Romano. P. II. de Euch. n. 44. idem fidelibus proponitur tamquam « perpetua et constans catholicae Ecclesiae doctrina. » Atqui theologorum omnium consensus in doctrinam theologicam constans et ab exordiis Scholae saeculo XII. saltem usque ad labens saeculum XVII. unanimis, in quam conspirent non opinando sed certa et rata sententia, non ex philosophica aliqua particulari theoria sed ex principiis revelationis et Patrum auctoritate, atque hoc ipso consensus continens ecclesiasticam explicationem doctrinae de sacramento omnium sanctissimo, quantae sit auctoritatis etiam solum per se inspectus, quisque facile videt et explicatum est in Tractatu de Traditione.

Verum quidem est, post invectam philosophiam Cartesianam aliquos philosophos catholicos (inter hos ceteris subtilius et eruditius disputarunt Emmanuel Maignan in Philosophia sacra T. I. c. 22, eiusque discipuli Ioannes Saguens et Ioseph Perrimezzi) defendere coepisse doctrinam aliam de speciebus impressis nostris sensibus et de modificationibus in corporibus circumpositis, quae immediata operatione a Deo vel a corpore Christi efficiantur eodem modo ac procederent a panis et vini substantia, si adhuc superesset. Aliqui etiam, qui scripserunt cursus theologicos saeculo XVIII, non quidem ausi sunt hanc novam theoriam defendere, sed

tamen significarunt eam sibi non displicere, inter quos praecipui sunt Drouin de Re Sacram. l. IV. c. 4. §. 2. inst. 6; Witasse de Euchar. sect. 2. q. 2. a. 3. Huiusmodi tamen non ex fundamentis theologicis sed unice in gratiam systematis philosophici minime evidentis recentius obortae haesitationes, auctoritatem unanimis consensus in modo intelligendi sacramentum et in explicatione doctrinae de propria ratione sacramenti labefactare non possunt. Discrimen inter theologos veteres consentientes et inter hos aliquos recentiores maximum est in ipsa methodo. Veteres enim in modo loquendi ac docendi ecclesiastico de parte visibili sacramenti et in diserta Patrum doctrina videbant expressam obiectivam realitatem specierum remanentium, hac deinde doctrina theologica admissa tamquam norma directrice in inquisitione philosophica, *quomodo* sint species remanentes, malebant se coniicere in difficiles theorias de corporum et accidentium natura, quam violare principium eis theologice certum; non vero ad huiusmodi theorias devenerunt, quod explicatio phaenomenorum per meram immutationem in nostris organis eis in mentem non venerit, quae et per se obvia est et a veteribus saepe in aliis phaenomenis adhibita, ubi principia theologica non obstabant, vide e. g. S. Thom. 3. q. 76. a. 8. et theologos in h. l. Methodum oppositam sequuntur illi recentiores nonnulli, qui admissa primum quadam theoria philosophica de natura corporum et accidentium, huic accomodant suis interpretationibus doctrinam theologicam, et auctoritatem consensus antecedentis elevare conantur meris figmentis, quibus etiam veteres theologos in hac re inter se dissentientes nobis exhibere vellent.

Aiunt itaque, veteres de accidentibus eucharisticis diversa sensisse; nam *a*) sententiae quam communem fuisse negare non possunt, docentium « accidentia sine subiecto inhaesionis, » repugnasse alios, qui dixerunt « accidentia remanere in aëre. » At imprimis haec opinio nondum adversaretur communi doctrinae theologicae de specierum realitate, sed pertineret ad quaestionem, *quomodo* existant; deinde apud aliquos illud « manere in aëre » videtur synonymum cum altero « manere sine substantia tamquam

subiecto inhaesionis, » ut in scholiis ad Boëth. de Trin. (inter Opp. Bedae T. VIII. p. 1116), ubi dicitur: « transit substantia panis in corpus Christi, non formae (species), sed potius hae subsistunt (existunt) in aëre vel sine substantia. » Fuisse qui aërem dicerent subiectum inhaesionis accidentium in Eucharistia, memoria fere non exstat nisi in eius opinionis confutatione, quae legitur apud Algerum l. I. c. 7; apud Magistrum 4. dist. 12; apud S. Thomam et S. Bonaventuram in h. l. Sententiam confutatam ab his magistris multi sine certa ratione adscribunt Alberto M. (Vide Albert opusc. de Euch. dist. 3. tract. 3. c. 1. n. 8. coll. n. 5. Opp. T. XXI). Aiunt *b*) plurimos veterum docuisse accidentia inhaerentia ipsi corpori Christi. Haec sententia a Witasse falsissime adscribitur Concilio Romano sub Nicolao II., de quo vide supra p. 226. 227; falso item impingitur Guitmundo et Guillelmo s. Theodorici, qui ambo disertissime retinent communem doctrinam (Guitm. Bibl. Max. Patrum T. XVIII. p. 449; Guilelm. Bibl. PP. Cisterc. T. IV. p. 134). Vere ita, ut obiicitur, senserunt Abbaudus Abbas (1), Gualterus Victorinus, et Graeci illi, qui corpus Christi in Eucharistia corruptibile esse dixerunt, sed errore manifesto (vide supra p. 124. 146.). *c*) Appellant ad theologos, ad Arriagam (T. VII. disp. 38) et Bossuetum (in Expositione Fidei n. 13). At ll. cc. Arriaga de sola gravitate consentit his recentioribus, de ceteris accidentibus communem doctrinam defendit; Bossuetus ne attingit quidem totam hanc quaestionem (2). De Petro Alliacensi mox dicam.

(1) Quod ait Fortunatus a Brixia Physic. general. T. I. p. 224, « Abbaudum de eucharisticis panis speciebus id ipsum docuisse, quod de iisdem modo tradunt recentiores, » perquam falsum est; quamvis enim docuerit accidentia inseparabilia a substantia, non tamen sensit, illas species esse tantummodo impressiones in nostros sensus, sed putavit, ipsum revera corpus Christi album esse, rotundum, et ceteris affectum qualitatibus, quas in Eucharistia experimur; atque ideo etiam gravius erravit quam recentiores, sed errore longe diverso.

(2) Nominat Witasse adhuc Grimoaldum, quem videre non potui, et Casimirum Tolosanum, qui vixit tempore Cartesii et in suis « Atomis Peripateticae » (in indicem prohibitorum relatis, donec corrigantur) ex integro sequitur eius philosophiam (T. II. p. 127 seq.).

Consensus itaque plenissimus veterum theologorum universalis et constans in unam doctrinam de obiectiva physica specierum realitate fundatam in rationibus mere theologicis non autem derivatam ex particulari aliqua philosophia, puta ex peripatetica, in dubium vocari nullo modo potest.

3^io^. Cum Patrum doctrina, cum Theologorum unanimi consensione, cum universo modo loquendi ecclesiastico de parte visibili sacramenti Eucharistiae connectuntur doctrina et definitiones Conciliorum, ita ut explicatio ecclesiastica multipliciter manifestata habeat in Conciliis suam authenticam expressionem, et radii dispersi hic velut in unum verticem colligantur. Ex hac connexione doctrinae Conciliorum cum universa reliqua explicatione in Ecclesia intelligitur, sensum doctrinae synodalis, si quid forte solis spectatis verbis posset esse ambiguum, unice illum esse verum, qui respondeat reliquae universali explicationi ecclesiasticae; absurde autem ad eum interpretandum contra doctrinam antecedentem, tempore Conciliorum universalem, assumerentur velut norma recentius invectae theoriae philosophicae.

Post Concilium Lateranense IV. (cap. Firmiter) et Concilium Florentinum (decret. pro Armenis) definitur in Conc. Tridentino sess. XIII. can. 2 « conversio totius substantiae panis in corpus et totius substantiae vini in sanguinem, *manentibus dumtaxat speciebus panis et vini.* » Non contendo, quod tamen multi veteres theologi asserunt, esse hic *definitam de fide* permanentiam specierum panis et vini. Quamvis enim quis dicere posset, permanentiam specierum quae fuerant in termino *a quo* (in pane et vino), ingredi ipsam notionem conversionis proprie dictae, ut sit aliquid *tertium commune* utrique termino totali *a quo* et *ad quem* (cf. th. XIII), et ideo dum definitur de fide conversio, etiam incisum illud enuntians permanentiam specierum continere ex mente Concilii definitionem de fide; potest tamen Concilium facile alio modo explicari, praesertim cum permanentia *communis tertii* non videatur essentialis omni conversioni. Quod Concilium enuntiat in recto et intendit de-

finire est conversio ac desitio totius substantiae panis et vini, et ad hoc melius declarandum in obliquo subiungit, id quod manet, non esse substantiam seu aliquid substantiale, sed esse *dumtaxat species panis et vini.* Hac tamen ipsa oppositione inter *substantiam panis ac vini* et inter *species panis ac vini*, dum illa converti hae *manere* dicuntur, Concilium enuntiat et confirmat, licet solum in obliquo, transeunte substantia panis et vini manere species eiusdem panis et vini eo modo, quo iuxta communem tum temporis et quovis tempore antecedente sententiam id intelligebatur. Sane designatas fuisse a Concilio non species tantum *intentionales* in nostris sensibus, sed *species obiectivas* ipsas eas, quae fuerant substantiae panis et vini, negari non potest sine verborum deflexione in gratiam novae theoriae tempore Concilii nondum auditae. In ipsa verborum constructione, dum substantia panis et vini converti, *species panis et vini manere* dicuntur, immediate edicitur: aliquid quod fuerat panis et vinum, *transit;* aliquid *quod fuerat panis et vini, manet;* hoc autem manens sensu obvio non potest intelligi nisi obiectivum aliquid, quod fuerat inhaerens pani et vino ut subiecto, sicut in altero membro opposito transiens est aliquid obiectivum. Sed omissa ratione logica, evidens est ratio historica. Hic quippe terminus *species panis et vini* in oppositione ad substantiam, quando agebatur de Eucharistia, tempore Concilii et saltem ex multis saeculis ante Concilium non erat ambiguae significationis, sed unum tantum habebat sensum determinatum et ab omnibus intellectum specierum obiective realium, quae fuerant ipsius panis et vini; qui ergo fieri potuit, ut Patres Tridentini aliud intellexerint in eo canone statuendo? (cf. Pallavicin. Curs. theolog. l. VI. c. 20).

Hinc patet, quam inanis sit exceptio, quando dicunt, divina providentia et directione Spiritus Sancti factum esse, ut Concilia numquam appellaverint *accidentia* panis et vini, sed constanter elegerint vocabulum, quod per se significat species *intentionales,* non autem obiectiva realia accidentia; et sollicite animadvertit Witasse (l. c.), in uno capite 3. sess. XIII. Concilii Tridentini novies repeti vocabulum *spe-*

cies, quin vel semel dicatur *accidens*. At non quaeritur, quid vocabulo *species* per se significari possit, sed quid tempore Concilii terminus *species panis et vini* in oppositione ad substantiam, loquendo de Eucharistia usu universali apud omnes theologos significaverit. Haec autem significatio ex dictis erat specierum obiective realium non intentionalium tantummodo. Si autem dicerent, terminum tunc temporis habuisse quidem hanc determinatam significationem, admittere tamen etiam eam, quae subsequenti tempore ab his philosophis et theologis catholicis ei subiecta est, exceptio esset multo improbabilior. Profecto enim sicut quivis sermo, ita etiam textus Conciliorum intelligendi sunt secundum usum loquendi et significationem verborum tunc obtinentem, quando verba dicta vel scripta sunt. Hac interpretandi regula negata sequeretur , quod definitionibus Conciliorum non necessario competeret infallibilitas formaliter secundum significationem, qua sunt editae , sed solum verbis materialiter spectatis, quia secundum alium usum loquendi postea inducendum continerent sensum verum. At omnino contrarium tenendum esse, quisque videt; infallibiles enim sunt definitiones tantummodo secundum significationem , qua editae sunt , secundum aliam vero significationem , quae aliquo tempore alia induceretur, possent esse falsae ; et ideo intelligendae sunt quovis tempore secundum significationem verborum et usum loquendi illius aetatis, qua sunt editae. Haec, ut iam satis indicavi, non ideo dico, quod velim evincere, in canone Tridentino revera contineri *definitionem* de speciebus realibus, sed ut pateat falsitas illius interpretationis, qua adversarii ex vocabulo *species* a Conciliis adhibito argumentum sibi suppetere putant ad defendendas species tantum intentionales pro parte visibili sacramenti.

Ad nomen *species* εἰδος quod pertinet, illud quatenus (ut hoc loco) in corporibus opponitur substantiae, primo significat, quidquid immediatum est obiectum visus (a specio, conspicio, εἰδω) et deinde aliorum sensuum, per quod substantia nobis manifestatur ; in re ergo ipsa non aliud significant *species* quam *accidentia sensibilia*. Significatione

derivata deinde dicitur quidem species etiam imago seu modificatio in sensibus nostris et in anima, qua specie affecti sensus percipiunt et anima velut informata intelligit obiecta; sed certe haec nec est prima et multo minus unica nominis significatio. In re sacramentaria ubi opponuntur sibi substantia panis transiens et *species* panis manentes ut visibilis pars sacramenti, non modo nulla est ratio, spectato etiam solo nomine, cur haec altera significatio praeferri debeat, sed est ratio, cur nomen a sua prima et maxime propria significatione immediati obiecti sensuum detorquendum non sit ad hanc alteram derivatam significationem. In illa ergo Conciliorum et Patrum appellatione servatur tota proprietas sermonis, dum nomine specierum designantur *accidentia sensibilia.* Est vero etiam ratio, cur *species* potius quam *accidentia* dixerint. Nam *a*) ut ait Suarez, fundamenta theologica suppetunt tantum pro permanentia accidentium sensibilium et ideo non oportebat explicite sermonem facere de aliis qualitatibus occultis, si quae sunt vel esse putabantur; sensibilia autem accidentia proprio distinguuntur nomine specierum (vide Suarez disp. 56. sect. 1. conclus. 2, contra quem confer Vasquez disp. 194. c. 1). Ita distinxit Lanfrancus de Euch. c. 18, quando dixit, conversionem fieri substantiae « reservatis ipsarum rerum *speciebus et quibusdam aliis qualitatibus.* » *b*) Quamvis eadem res dicatur species, quae est accidens, non tamen idem formalis conceptus exprimitur utroque nomine; *species* exprimit rem cum relatione ad nostram perceptionem, *accidens* dicit rem eandem cum relatione inhaerentiae in substantia. Quare cum sermo est de accidentibus non actu inhaerentibus subiecto, et cum fides confirmanda, quod, licet nihil sit mutatum quoad perceptionem sensuum, tamen substantia non amplius subesse credi debet, aptius dicetur *species* quae conspicitur, quam *accidens* quod hic et nunc nulli substantiae accidit.

Adhuc pressius congruit sententia, quam defendimus, definitionibus in Concilio Constantiensi sess. VIII. et in Bulla Confirmationis Martini V. Duo ibi damnantur articuli distincti in doctrina Wicleffi: 1°. « Substantia panis mate-

rialis et similiter substantia vini materialis remanent in Sacramento altaris. » 2°. «Accidentia panis non manent sine subiecto in eodem Sacramento. »

Quamvis ex negatione desitionis panis necessario consequatur negatio permanentiae accidentium sine subiecto, sunt tamen illi duo articuli distincti in doctrina Wicleffi. Sicut enim ex negatione realis praesentiae sequitur necessario negatio transsubstantiationis, et tamen Calviniani habentes negationem utramque ut articulos distinctos, dogma transsubstantiationis seorsum et speciali haeresi impugnabant; ita etiam Wicleffus doctrinam, quam reperit in Ecclesia de permanentia accidentium sine subiecto, seorsum et per se sumptam reiiciebat ut falsam et repugnantem. Est haec utriusque capitis distinctio in doctrina haeretici plane evidens. « *In duobus,* inquit, stat nostra variatio in hac materia; 1°. in propositione affirmativa, qua dicitur quod accidens est sine subiecto; 2°. in propositione negativa, quod non remanet substantia panis et vini post consecrationem » Wicleff. l. de Apostas. c. 16. Appellat hanc doctrinam de permanentia accidentium sine subiecto « scandalosum mendacium » ib. c. 21, non eo solum quod docetur absentia substantiae panis, sed eo quod accidens sine subiecto repugnat, « quod non potest sic esse de potentia Dei absoluta, » ut aiebat serm. 58. Unde Walsinghamus (apud D'Argentrée Collect. Iudic. T. I. P. II. p. 8) articulum Wicleffi ita exprimit: « Deus de potentia sua absoluta non potest facere, quod in Sacramento altaris essent accidentia sine subiecto. » Hinc etiam Thomas Waldensis in Opere suo paulo post Concilium Constantiense dicato Pontifici Martino V, qui illud diligenti Doctorum examine praemisso coram Cardinalibus approbavit (vide Breve Martini praefixum Operi Waldensis), perpetuo utrumque articulum haeretici ut distinctum propriis argumentis confutat (lege Waldens. T. II. cc. 75-83). Ipsam pariter illorum duorum articulorum damnationem a Concilio editam considerat tamquam duplicem ita, ut damnatio secundi sit distincta licet dependens a damnatione primi. « *De articulis transsubstantiationis* et *accidentis sine subiecto* dicendum est etc......

Si petatur ratio Concilii *de fide accidentis sine subiecto,* dicendum, quia fides principalis articuli (de praesentia reali et transsubstantiatione, ut verbis institutionis expressa est) hoc concludit. » Waldens. c. 75. fol. 128. col. 4. Ait scilicet, fundamentum definitionis, quod accidentia manent sine subiecto, esse in verbis Christi directis ad panem: hoc est corpus meum (cf. th. XV. n. II).

Tum ergo ex modo disputandi ipsius haeretici, qui non solum dicebat, manere substantiam panis et in ea manere accidentia; sed etiam seorsum contendebat, non manere nec posse manere accidentia sine subiecto; tum ex modo, quo Catholici intelligebant definitionem Concilii, videtur plane consequi, articulum 2um: « accidentia non manent sine subiecto, » non esse praecise et unice damnatum, quia asserebatur manere substantia panis, quod iam proscriptum erat in articulo 1°, sed etiam per se et seorsum. Unde propositio vi huius damnationis tenenda non erit haec conditionata: si manent accidentia, manent sine subiecto, ut volunt adversarii; sed haec absoluta: accidentia manent sine subiecto.

Atqui, reponunt Witasse, Drouin, Fortunatus a Brixia ll. cc., contra hanc interpretationem in promptu est testimonium omni exceptione maius Petri ab Alliaco, qui Concilii Constantiensis magna pars fuerat. Alliacensis autem testatur, inquit Drouinius, nihil aliud Concilium proscribere voluisse, quam doctrinam Wicleffi, « non quod is more philosophorum accidentia sine subiecto esse non posse contenderet, de quo nequidem cogitabat; sed quod vellet, post consecrationem elementum panis, ut antea fuerat, accidentium esse subiectum, nullamque fieri transsubstantiationem. Hoc itaque sensu debet Synodus Constantiensis intelligi. Cuius responsionis testem habemus Card. Petrum de Alliaco, qui Concilio magna cum laude interfuit; affirmat enim (in 4. sent. q. 6. a. 3), hoc decreto Patres nihil aliud nisi errorem Wicleffi proscribere voluisse. » Ita ille l. c. In tota hac diatribe unum est verissimum, Patres nihil aliud proscribere voluisse quam errorem Wicleffi; est enim hoc decretum enumeratio 45 articulorum huius haeretici cum subnexis censuris, inter quos 1us. et 2us. sunt illi commemorati;

ad hoc ergo non opus est teste Alliacensi vel quovis alio, sed sola lectione articulorum. At vero error Wicleffi proscriptus revera is erat, ut demonstravimus, quod more philosophorum contenderet accidentia sine subiecto esse non posse, de quo non solum cogitabat, sed quod velut suae doctrinae fundamentum speciatim et omnibus viribus adstruere conabatur; hoc ergo ipsum in 2.° articulo damnatum esse, Drouinius fateri cogeretur. Negabat utique Wicleffus transsubstantiationem, et elementum panis in Eucharistia voluit esse accidentium subiectum, sed haec haeresis in 1° iam articulo proscripta erat. Petrus ab Alliaco deinde in suis commentariis ad 4. sent. de Synodo Constantiensi nihil testatus est nec testari potuit. Illos enim scripsit iunior, cum esset magister in schola Parisiensi, 30 et amplius annis antequam senescens Cardinalis 65 annorum et maioribus negotiis occupatissimus interfuit Concilio (1). Patet id etiam evidenter ex modo, quo in commentariis loquitur de definitione Ecclesiae circa absentiam substantiae panis in Eucharistia, quod dogma post Concilium Constantiense non potuisset dicere se nondum videre explicite definitum (vide th. XIV. p. 192). Si nihil testari eo loco potuit Alliacensis de Concilio adhuc futuro, saltem aliquid docet de accidentibus eucharisticis; quae ergo erat eius tum, cum commentarios in Sententias scriberet, hac de re opinio? Video enim etiam alios quosdam ad Alliacensem provocare, ac si recentiorum, quam impugnamus, sententiae faveret. Exponit in 4. q. 6. a. 3. ipsam recentiorum theoriam de specibus intentionali-

(1) Petrus ab Alliaco natus 1350; lauream magisterii adeptus Parisiis 1380; creatus magnus magister domus Navarrae 1384; inde Cancellarius Universitatis et confessarius regis; tum 1396 promotus ad episcopatum Cameracensem, postquam nominatus fuerat ad Aniciensem; creatus Cardinalis 1411 a Ioanne XXII interfuit Concilio Constantiensi 1415; inde multis et magnis fungens publicis muneribus supervixit ad mensem Augusti 1425, quo obiit. Nemo certe credet, hominem qui Parisiis per omnes scholasticos gradus ascenderat, pensum baccalaureatus vel primi magisterii distulisse ad ultimum decennium suae vitae, quando iam senex et Cardinalis negotiis longe aliis erat distentus. (Vide Launoy Hist. domus Navarrae cf. Bullaeum Hist. Academ. Paris. T. IV. p. 97; De Rubeis in Opp. S. Thomae dissertat. X. cc. 1. 2).

bus, quam aliquis posset « imaginari » inquit. Iudicium Alliacensis de tali opinione hoc est: si reperiretur qui ita diceret, « non esset propter hoc *tamquam haereticus habendus;* aliter enim minus esset favor fidei ad doctrinam philosophi. » Pergit continuo: « quarta et communior opinio (confer eius modum loquendi de transsubstantiatione l. c.), et *cui favet magis doctrina Ecclesiae*, est, quod in sacramento accidentia, quae fuerant panis, remanent sine subiecto et in illis fit fractio, et hanc teneo ». Neque ergo possunt adversarii provocare ad opinionem Alliacensis, quae ceterum repugnans universali aliorum consensui nullius esset ponderis; prorsus vero absurde agunt, quando hunc locum ex eius commentariis volunt constituere normam ad interpretandum sensum Concilii Constantiensis. Ne vero dicant, haec etiam post Concilium ab auctore fuisse probata, quia ea non correxit, cogitent de eiusdem modo loquendi quoad transsubstantiationem, quem etiam post Concilium incorrectum reliquit. Paucis scriptoribus animus fuit imitandi Augustinum, ut senes retractarent, quae iuvenes scripserant minus castigate. Quamquam si recentiores philosophi catholici admisissent hoc ipsum iudicium Alliacensis, ut in commentariis exstat, non tam acriter defendissent sententiam, quae non sit quidem damnanda ut haeretica, sed cui faveat minus doctrina Ecclesiae. Hactenus satis de probatione theologica physicae realitatis specierum sacramentalium.

III. Superest quaestio formaliter seu ratione principiorum cognoscendi philosophica, *quomodo* sint hae species, quas theologice constat esse obiective reales. Theologice constat ex dictis, non repugnare, ut desinente substantia corporis conserventur per divinam omnipotentiam sensibiles species physice reales, quae fuerant ipsius substantiae; philosophice seu ex solis principiis et cognitionibus rationalibus, quas habemus de corporum natura, non posse positive demonstrari hanc non repugnantiam separationis talium accidentium a sua connaturali substantia, ultro fatemur. Ex altera tamen parte sicut ex principiis theologicis haec non repugnantia est certa, ita possumus etiam considerando

indolem nostrarum cognitionum de corporum natura reflexe intelligere, absolutam repugnantiam illius separabilitatis lumini rationis non esse evidentem. (Cf. th. II. nn. III. IV.).

Distinguimus certe in corporibus phaenomena, quibus se manifestant et quae nostrae experientiae immediate subiiciuntur, ac substantiam, quae illis phaenomenis subesse intelligitur tamquam *νοουμενον*. Sicut autem in ordine cognitionis a phaenomenis progredimur ad intelligendum *νοουμενον*, ita in ordine ontologico ex substantia, quae est *το νοουμενον*, tamquam ex suo fundamento intelligimus consequi phaenomena velut effectus ex causa. Eatenus ergo cognitione metaphysica perspectam habemus naturam rationemque propriam substantiae corporum, quatenus ex phaenomenis et effectibus eam concludimus et intelligimus. Iam vero ex constantibus legibus, secundum quas phaenomena et effectus produntur, intelligimus quidem corpoream substantiam constanter et uniformiter suos effectus exserere secundum certas leges nobis ex ipsa constantia et uniformitate effectuum cognoscibiles; et vicissim intelligimus, haec phaenomena et hos effectus ex legibus iisdem perdurare non posse, nisi quamdiu substantia tamquam causa eis subest (1). At nullatenus rationi est evidens, illud prius, exsertionem inquam phaenomenorum et effectuum connaturalium, non solum sub hypothesi, si serventur leges physicae, sed absolute esse necessarium, ita ut manente substantia corporis etiam ab omnipotente creatore et gubernatore totius naturae impediri ac suspendi non possit; ex ordine vero supernaturali manifestato in miraculis et nominatim in modo existendi sacramentali corporis Christi certo constat, illam necessitatem non esse absolutam sed solum hypotheticam, si serventur leges physicae, quarum constantia in exserendis effectibus a divina omnipotentia suspendi potest (cf. th. XI. p. 155. sq.). Pariter quod nunc quae-

(1) Intelligo phaenomena et effectus substantiae, ut coniunguntur cum ipsa substantia eique inhaerent, non autem effectus receptos in aliis corporibus, ut e. g. impulsus receptus in uno corpore naturaliter perduraret etiam desinente corpore, a quo processit, vel ut lux propagata ex stella non minus perduraret, si stella esse desineret.

rimus, rationi non est evidens, in ipsis phaenomenis sensibilibus, quibus substantia sese manifestat tamquam suis effectibus, nihil esse entitatis, quod deficiente substantia, a qua ut a causa secunda naturaliter pendet, per Dei omnipotentiam adhuc conservari possit. Neque enim ex cognitione, quam de intima natura substantiae corporeae habeamus, evidens est, in corpore sese manifestante sensibus nostris id, quo sese manifestat, nihil esse realitatis distinctae a substantia, quam ratione intelligimus ut fundamentum phaenomenorum; neque id evidens est ex cognitione, quam habeamus de intima natura ipsorum phaenomenorum, quibus substantia se manifestat. Examinando igitur modum cognitionis humanae de intima corporum natura reflexe intelligimus, non esse evidens sensibile illud, quo substantia corporea sese intellectui nostro manifestat, et quod aptissime designatur nomine *specierum,* nihil esse realitatis ita distinctae a substantia, ut hac desinente adhuc a Deo supra et contra ordinem legum physicarum conservari possit.

Vicissim ex eadem imperfectione nostrae cognitionis circa intimam corporum et sensibilium phaenomenorum naturam fit, ut realem illam distinctionem et separabilitatem specierum et proinde etiam, actuali distinctione et separatione ex theologicis principiis supposita, earum intrinsecam entitatem, *quid sint* et *quomodo sint,* lumine rationis evidenter demonstrare non possimus (supra p. 258). Quare nostram ignorantiam fateamur oportet, et infinitae Dei sapientiae ac omnipotentiae relinquamus modum, quo efficiat id, quod nos non valemus intelligere: « demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse; in talibus rebus tota ratio facti (a nobis consideranda) est potentia facientis » Augustinus epist. 137. n. 8. ad Volusian. Hoc tamen non impedit, quominus praelucente veritate theologica manentium specierum panis et vini physice realium liceat proponere hypotheses probabiles, quibus non iam demonstretur quomodo sint, sed potius suadeatur modus aliquis, quo esse possint. Ponamus hypothesin sequentem (1):

(1) Vidi postea totum hunc modum explicandi quoad rem ipsam esse

Resistentia, quae promanat ex singulis particulis corporeae substantiae aliter atque aliter modificata pro diversitate substantiae, est vis quaedam non substantialis, sed tamen realis ad modum impulsus seu impetus (ὁρμη). Duo autem hic distinguo, videlicet substantiam, ut est apta ac nata ad hunc impulsum producendum, quae est causa activa ἐνεργεια huius impulsus seu resistentiae, tum vero actualem impulsum ipsum promanantem et productum ab illa (ἐνεργημα). Energia illa causalis est utique inseparabilis ab ipsa substantia, imo videtur esse vis substantiva non distincta ab ipsa substantia nisi consideratione mentis ut modus substantialis, vel (in primis elementis materialibus) tamquam forma dans perfectionem specificam. At vero aliter loquendum est de illa vi seu de illo impulsu procedente ab energia substantiae (quem diximus ἐνεργημα). Iste impulsus imprimis non est nihil, sed aliquid reale, quod tamen ex sese postulat inesse ipsi substantiae et sustentari a substantia, nec potest naturaliter in se et per se esse extra substantiam, proindeque ubi desinit substantia ἐνεργητικη, desinit naturaliter etiam ἐνεργημα ab ea pendens et ab ea manans. Haec ergo resistentia, quam supponimus esse simul attractionem, non est aliquid substantiale, sed accidens substantiae, ens incompletum, entis ens, continuo manans a substantia et ab ea sustentatum. Attamen quia est res aliquid habens entitatis distinctae a substantia, potest a Deo conservari etiam desinente substantia, ubi id, quod substantia ut causa secunda conferebat ad esse et conservationem accidentis, a Deo ut causa prima suppletur non sane per modum sustentantis subiecti, sed per modum causae efficientis. Quod si fiat, eadem resistentia et attractio non utique per ἐνεργειαν substantiae non amplius existentis sed per Dei conservationem supernaturalem perseverabit eodem modo quoad effectus sensibiles et experientiae suppositos, ac si adhuc subesset substantia corporea.

Apparet facile ex dictis id, quod dicimus impulsum seu resistentiam et ἐνεργημα, non esse actionem substantiae *im-*

eundem, quo Leibnitius voluit « succurrere morbo quorumdam potissimum inter Reformatos » in Systemate theologico (ed. Lacroix p. 98-103).

manentem, sed posse dici actum promanantem ex substantia et *transeuntem;* unde obiectio, quod concipi non potest actio sine substantia agente, contra hanc nostram hypothesim nullum habet locum. Porro sicut haec promanans resistentia distinguitur realiter a substantia ut effectus a causa, ita etiam distinguitur tamquam causa ab effectu producto in nostris sensibus vel aliis corporibus. Adeoque illa resistentia est res quaedam media inter substantiam, cuius est effectus, et inter effectum receptum in aliis corporibus, cuius est causa.

Iam hisce positis reliqua phaenomena omnia perdurantia non secus, ac si substantia iis subesse pergeret tamquam causa, haud difficilem habent explicationem. Cum enim impulsus qui diversimode modificatus procedebat ex singulis corporis particulis et per quem corpus agebat in alia corpora, conservetur ille idem; manebit ergo resistentia et attractio eadem, in eadem extensione per spatium (secundum omnes easdem dimensiones), ex quibus duobus concipitur *quantitas.* Quantitas enim (extrinseca et empirica) resultat ex eo, quod partes corporis sunt extra partes, et partes singulae per resistentiam tum se invicem tum alia corpora a suo loco excludunt; hinc desinente substantia corporis repugnat quidem, ut quantitas manens sit quantitas corporis, sed non repugnat quantitas resultans ex remanente resistentia, cuius partes sunt extra partes in spatio (1). Ex

(1) S. Thomas sibi obiicit, si non manet substantia ut subiectum quantitatis et tamen dicitur manere quantitas, hanc videri quantitatem mathematicam, quam scilicet abstractione mentis concipimus praescindendo a materia *quanta.* Respondet, quantitatem mathematicam concipi praescindendo a materia sensibili, non tamen praescindendo a materia intelligibili, quia etiam in mathematica agitur de corpore non quidem in individuo sed in genere, de superficie, de cubo, de sphaera etc. Quantitatem vero remanentem in Eucharistia quodammodo ordine inverso se habere; nullum enim ibi corpus substantiale ne in genere quidem esse concipiendum ut *quantum,* sed contra manere qualitates sensibiles, et ideo non esse eam quantitatem mathematicam S. Thom. 3. q. 77. a. 2. ad 4. (aliter in 4. d. 12. q. 1. a. 1. q. 3). Et 3. q. 77. a. 1. ad 4. ait S. Doctor: « post consecrationem accidentia quae remanent, habent compositionem partium quantitativarum. » Suarez disp. 56. sect. 1. loquens de quantitate remanente in Eucharistia, « quantitas, inquit,

hac ipsa ratione remanentis resistentiae et attractionis, quae prius promanabat ex singulis particulis corporis substantialis, manebit eadem *gravitas*, eadem sensibilis *densitas* vel *raritas;* ulterius eadem repercussio aëris ad gignendum *sonum;* eadem reflexio *lucis* et idem *color;* eadem retentio et nova susceptio et radiatio *calorici*. Manebunt inquam absque mutatione phaenomena omnia, quae in corporibus et ex corporibus sese manifestant; sive iam lucem, calorem, magnetismum etc. revoces ad quaedam distincta imponderabilia, sive explices per motum et undulationes aetheris progenitas ex actione corporis eiusque molecularum, in qua posteriori hypothesi physica etiam melius erit nostrae explicationi specierum. Porro ex eadem remanente multipliciter modificata resistentia, quae prius promanabat ex substantia, consequetur eadem titillatio fibrarum ad sensum *gustus* et *odoratus,* quamvis de hoc ultimo forte dari possit alia commodior explicatio.

Interim patet, propositam explicationem nulli opinioni inter eas, quas veteres proposuerunt, melius congruere, quam sententiae S. Thomae et fere communi inter Scholasticos, qui docent, quantitatem ut primam dispositionem materiae, per quam materia est *quanta* et divisibilis, substantiâ desinente manere immediate sine subiecto; accidentia vero reliqua seu qualitates inesse et fundari in quantitate, quae tamen et ipsae sunt sine subiecto ultimo eo ipso, quod quantitas in qua fundantur, est sine subiecto. S. Thom. 3. q. 77. a. 2; 4. dist. 12. q. 1. a. 1. q. 3.

Superest explicanda secundum hypothesin propositam specierum corruptio. Corpora alia non solum eodem modo afficientur ab illis accidentibus sed etiam eodem modo in illa agent, ac si adhuc subesset substantia panis et vini;

est unum ex sensibilibus communibus; unde evidenter percipimus manere aliquid extensum, habens molem, loco impenetrabile, et hoc vocamus *quantum*, et consequenter habens quantitatem ». Haec bene intelliguntur in nostra explicatione, ubi concipimus quantitatem resultantem eo ipso, quod partes resistentiae quam iam satis descripsimus, sunt extra partes in spatio et consequenter constituunt aliquid extensum.

et eodem modo partes singulae illius resistentiae remanentis agent in se invicem. Unde eodem modo ac prius illa accidentia pèr actionem aliorum corporum et pèr actionem mutuam poterunt aliter modificari ac immutari et proinde corrumpi ita, ut non sint amplius species panis et vini, quo posito desinunt esse species iuxta Christi institutionem *sacramentales,* h. e. signa praesentis corporis et sanguinis Domini, et consequenter desinit sub illis praesens esse corpus et sanguis Domini. Tum vero species, quas mutatas constat perdurare, vel dicuntur conservari sine subiecto per continuum miraculum, quod undequaque est saltem improbabile; vel substantia connaturalis speciebus ita mutatis iuxta earum exigentiam producitur, quod videtur esse omnino dicendum (vide th. XIV. Schol. p. 224. 225).

Porro ex hac corporum actione in species et partium in se invicem, quae fit secundum easdem physicas leges ut prius, quando suberat panis et vini substantia, intelligitur, secundum eas ipsas leges posse separari moleculas quasdam minimas e. g. per evaporationem ex speciebus vini. Illae autem minimae sic separatae moleculae non sunt amplius species *sacramentales* panis vel vini, atque ideo de illis eodem modo sentiendum est, ut diximus de speciebus corruptis. Hinc patet, quomodo species afficiant odoratum, si odor excitetur per huiusmodi minimas moleculas ex corporibus separatas.

Ceterum, ut iam monui, non defendimus haec omnia tamquam veram et certam explicationem accidentium, *quomodo sint;* sed proponimus hypothesim possibilem, qua declaretur, *quomodo esse possint.* Veritas theologica physicae realitatis specierum ab hac aut quavis alia speciali explicatione philosophica modi non pendet; gratulabimur ergo ei, qui modum aptiorem et probabiliorem nos docuerit, dummodo reipsa sit integrae veritatis theologicae explicatio, non autem eius detorsio in sensum alienum et christianae antiquitati inauditum. Neque enim possumus consentire, ut quaestio certo theologica de realitate physica specierum sacramentalium, quam ex auctoritate et consensione amplissima demonstravimus, habeatur velut mere

philosophica, et sepositis argumentis theologicis subordinetur systemati philosophico, quod in se videri poterit admodum probabile sed certe rationi non est evidens, et quatenus veritati theologicae repugnat, demonstratur esse falsum.

CAPUT III.

DE SS. SACRAMENTI FRUCTU.

THESIS XVII.

Effectus Sacramenti est nutritio animarum per charitatis perfectionem.

« Effectus huius SS. Sacramenti est supernaturalis vitae animae perfectio et conservatio per unionem cum Christo omnium gratiarum fonte, non autem per se effectus est supernaturalis vitae inchoatio per remissionem peccati. »

I. Effectum proprium huius sacramenti in nobis ipse Christus Dominus declarat (Io. VI. 48 sqq.), ut habeamus vitam, ut vita in nobis conservetur. Specialis et proprius modus communicationis et conservationis vitae est, quod ipse auctor et fons vitae nobis fit verus cibus et verus potus reficiens ac nutriens. Hoc ipso autem fit, ut maneamus in ipso et ipse in nobis idque formaliter communicando nobis vitam supernaturalem iugiter perseverantem, ut sicut a Patre in ipsum vita communicatur, ita ab ipso tamquam fonte ac principio vita in nos derivetur.

Sicut per sacramentum corporis et sanguinis Christi perficitur unio cum Christo, ita hoc ipso arctius uniuntur membra inter se sub eodem uno capite, a quo est unitatis principium et gratiarum omnium subministratio. (1. Cor. X. 17. cf. Eph. IV. 15. 16).

Porro unio cum Christo in hoc sacramento consideranda est dupliciter; primum quidem ipsa unio sacramentalis. Quoniam naturae sumus non mere spiritualis sed compositae, Deus visibilibus sacramentis nos sanctificat. Sicut in sacramentis aliis elementa sensibilia elevata ad ordinem sanctificantem nobis secundum partem sensibilem nostrae naturae velut deforis applicantur, ut eorum virtus superna-

turalis penetret ad animam eamque sanctificet; ita in hoc Sacramento Sacramentorum non solum applicatur elementum sanctificatum et sanctificans, sed ipse auctor sanctitatis Christus in statu sacramentali cibi et potus « intus suscipitur, quemadmodum Patres loquuntur, se ipsum corpore suo et sanguine pretioso corporibus nostris commiscet, nostrisque membris sese impertit », ut nos sibi arctissime uniat et vitam supernaturalem a se in nos derivet. At haec sacramentalis unio non est effectus sacramenti, sed ipsa applicatio sacramenti ut signi et causae illius unitatis cum Christo, qua ipse in nobis *manet* et nos *manemus* in ipso. Unitas itaque cum Christo, quae describitur Io. VI et quae significatur et efficitur per unionem sacramentalem cum ipso ut cibo ac potu, est unio spiritualis per charitatem, qua cum capite et membra inter nos invicem arctius copulamur et coniuncti conservamur.

Ulterius ex hac ipsa manente unione cum Christo, ad cuius tum intensionem tum conservationem sacramentum causa est, oritur relatio ad futuram gloriam in vita, visione, et unitione beatifica. Huius vitae aeternae est sacramentum non modo pignus sed etiam arrha, quia per intensionem et augmentum fidei, spei et charitatis iam hic inchoat eam unionem, ad cuius complementum in visione, fruitione et charitatis perfectione nos nutrit ac praeparat.

SS. Patres multi sunt in illustranda hac efficientia sacramenti, quae alioquin ex Scripturis ipsis est clarissima. Describunt unionem sacramentalem cum Christo ut causam unionis per charitatem cum ipso capite et inter nos invicem; describunt vitam derivatam a carne Christi, quae est caro Verbi et ideo ut caro vitae et ipsa vivifica; describunt derivata a corpore et sanguine Christi dona gratiarum, quibus haec vita constat, eamque declarant velut transmutationem nostri in ipsum Christum. (Vide Patres ll. cc. in th. VIII).

Posset videri in effectu huius sacramenti hactenus declarato nihil esse peculiare, et quod distinctum ab effectu aliorum sacramentorum propriam rationem gratiae sacramentalis constituat. At gratia sanctificans, quae confertur

per sacramenta, est quidem in iis omnibus eiusdem rationis ontologicae sed in singulis habet aliquam propriam relationem, ex qua dicitur peculiariter *gratia sacramentalis* (cf. de Sacr. in genere ad th. XI. sch. 3). In sacramentis mortuorum, per baptismum quidem efficitur prima coniunctio cum Christo et cum eius corpore Ecclesia atque prima ad vitam spiritualem generatio, per poenitentiam peccatorum remissio et sanatio; in sacramentis vivorum partim est ordinatio et corroboratio ad peculiarem agonem christianum ut in Confirmatione et Extrema Unctione, partim constitutio in peculiari statu vitae in Ecclesia ut in sacramentis Ordinis et matrimonii. Unde sacramenta mortuorum instituta sunt per se ad expiationem et ad charitatis inchoationem non ad praesuppositae charitatis perfectionem, sacramenta vivorum pertinent quidem ad gratiae augmentum, sed velut propter aliud et ad finem peculiarem a charitate distinctum. Contra vero Christus in Eucharistia ut cibus nobis intime unitur ad perficiendam vitam et unionem charitatis cum ipso et inter nos invicem, atque ad hanc conservandam non propter finem alium distinctum, sed ad unionem charitatis propter se ipsam (1).

Ideo etiam in hoc sacramento est unionis per charitatem velut intimum centrum, ad quod quodammodo radii aliorum sacramentorum diriguntur, dum unio cum Christo in aliis sacramentis praeparat ad consummationem unionis in hoc sacramento. In aliis Christus Deus-homo per suos ministros applicando signa sanctificantia confert gratiam, in hoc ipse est sacramentum et per sui ipsius intimam unionem in statu cibi ac potus in animas effundit gratiae abundantiam. Hoc etiam sensu dicitur Sacramentum Sacramentorum, non solum ad exprimendam huius prae ce-

(1) « Reliqua sacramenta vivorum non ordinantur per se primo et directe ad nutriendam charitatem propter solam maiorem perfectionem eius maioremque unionem cum Christo, sed ordinantur ad speciales effectus, propter quos conferunt specialia auxilia et aliquod augmentum gratiae; at vero hoc sacramentum per se primo ordinatur ad perficiendam unionem cum Christo et cum corpore eius iuxta illud 1 Cor. X. 17. unum corpus sumus, qui de uno pane et de uno calice participamus. » Suarez. disp. 63. sect. 1.

teris excellentem sanctitatem (ut dicuntur Sancta Sanctorum) sed multo magis ad declarandam ceterorum ad hoc unum relationem et subordinationem. Cf. S. Th. 3. q. 65. a. 3; q. 69. a. 1.

II. Altera pars theseos, praerequiri in suscipientibus Eucharistiam vitam gratiae, non autem ad eam primo conferendam hoc SS. Sacramentum esse institutum, demonstratur 1.° ex diserta Apostoli doctrina 1. Cor. XI. 27. sqq.; 2.° ex doctrina et praxi totius antiquitatis christianae, ut exhibetur in frequentissima Patrum declaratione (vide citationes apud quosvis theologos obvias), in sacra Liturgia (« Sancta Sanctis » etc.), in universa disciplina poenitentiali, qua poenitentes praeparabantur ad reconciliationem, nec nisi hac impetrata umquam admittebantur ad mysteriorum participationem; 3.tio ex ipsa propria intrinseca ratione sacramenti, quod ut cibus ac potus ad nutrienda membra Christi viventia non ad vivificanda mortua pertinet, et ut intima unio cum Christo sponso animarum charitatem supponit tamquam dispositionem necessariam, non autem ad modum poenitentiae ordinatur ad reconciliandos Christi inimicos. (Vide th. III. p. 25. sq.).

Quando igitur Patres et Liturgiae remissionem peccatorum videntur numerare inter effectus Eucharistiae, quod in ea velut in igne divino vis sit consumendi omnia peccata, huiusmodi sententiae cum doctrina proposita conciliari debent ita, ut in iis sermo esse intelligatur aliquando de Eucharistiae sacrificio, aliquando de consumptione concupiscentiae et praeservatione a peccatis, aliquando de remissione quotidianorum et venialium peccatorum, aliquando fortasse de remissione mortalium, quae sit effectus sacramenti per accidens, dum homo bona fide non habens conscientiam status peccati et per attritionem dispositus ignem hunc divinum suscipit (cf. de Sacr. in genere th. VI. p. 52.); quamvis hic effectus iustificationis postremo loco commemoratus non sit omnino certus et a pluribus theologis (Vasquez, de Lugo etc.) negetur.

Effectus autem remissionis venialium peccatorum consequitur ex ipso principali effectu huius sacramenti. Cum

enim illud ordinatum sit ad intimam unionem animae cum Deo per charitatem, peccata venialia quae huius unionis perfectioni obsunt, delet ex opere operato, supposita dispositione quae sit sufficiens ad tollendum obicem non tamen sufficiens ex sese ad ipsam remissionem venialium. Unde Eucharistia a Concilio Tridentino sess. XIII. cap. 2. appellatur « antidotum quo liberemur a culpis quotidianis et a peccatis mortalibus praeservemur. » Ex hac ratione effectus principalis porro concluditur, non idem valere de remissione poenarum, quae sint luendae adhuc reliquae ob peccata iam condonata. Quia scilicet ille superstes reatus poenae temporalis perfectioni charitatis non obstat, et aliae non suppetunt rationes, ex quibus harum poenarum remissionem inter effectus sacramenti esse concludere possimus, eas non ex opere operato sed solum indirecte ex opere operantis in sacramenti susceptione remitti posse dicendum est.

Lege Suarez disp. 63. sect. 1. 2. 9. 10; Ysambert. ad 3. q. 79. disp. 1; Bellarmin. de Euch. l. IV. c. 18; cl. P. Perrone de Euch. cap. 4. Propos. 2. etc.

Corollarium. Gratiae augmentum confertur in ipsa sacramenti susceptione, pro qua collatione punctum temporis mathematice definire nihil adtinet, quantumvis prolixe de eo disputent nonnulli Scholastici. De tempore quamdiu corpus Christi nondum consumptis speciebus realiter praesens in nobis manet, dicendum est, non conferri continuo novos gratiae gradus, si dispositio tantum habitualis (status gratiae) perseveret; esse tamen piam sententiam et spectata huius mysterii propria ratione admodum probabilem, conferri toto eo tempore vi sacramenti et ex opere operato nova continuo augmenta gratiae, si novi actus dispositionis actualis vel solum duratione et numero vel etiam perfectione aucti accedant. (Vide Suarez l. c. sect. 7; praesertim Card. de Lugo disp. 12. sect. 2. n. 46. sqq.)

THESIS XVIII.

De modo, quo SS. Sacramentum sanctificat.

« Quamvis species panis et vini sint illud, per quod sacramen-» tum est *sensibile* signum gratiae, ipsum tamen corpus et sanguis Chri-» sti in statu cibi ac potus sub illis speciebus proprie est sacramentum » *efficax* gratiae virtute vivifica derivata a Verbo hypostatice unito, ita » ut Christus Deus homo dici possit in Eucharistia nos sanctificare » actione theandrica. »

I. Sacramentum potest spectari dupliciter, 1.° ut est sensibile signum sacrum; 2.° ut est causa efficax gratiae. Priori modo sacramentum Eucharistiae sunt species panis et vini continentes praesens corpus et praesentem sanguinem Domini. Adeoque illo priori sensu nomine sacramenti intelliguntur species *in recto,* corpus ac sanguis Christi *in obliquo;* sunt enim illae per se sensibiles et ratione illarum totum sacramentum constituitur *sensibile.* At modo altero ut sacramentum est causa efficax gratiae, sacramentum Eucharistiae est corpus et sanguis Christi sub speciebus panis et vini. Illud ergo *in recto,* hae *in obliquo* significantur; causa quippe efficax gratiae est ipsum corpus et sanguis Christi in statu sacramentali: « caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus, » in quo tamen statu corpus Christi non est, nisi quatenus constitutum sub his visibilibus speciebus.

In aliis sacramentis diximus (de Sacr. in gen. th. IV. p. 31.), considerari posse ipsum totum ritum sensibilem et in eo supernaturalem dignitatem et efficaciam tamquam formam metaphysicam. At vero quod in aliis est dignitas illa et ratio efficaciae supernaturalis, in hoc Sanctissimo Sacramento est ipsum Christi corpus ac sanguis. Neque in speciebus alia dignitas et virtus ad gratiam conferendam distincta a Christi corpore sub iis contento cogitanda esse videtur. Sicut enim in aliis sacramentis utique non ritus materialiter et seorsim a supernaturali virtute spectatus efficax est, sed tota ratio efficaciae sacramentalis est ipsa illa supernaturalis dignitas; ita in hoc sacramento non species per se et distincte a corpore Christi consideratae efficaces esse viden-

tur ad conferendam gratiam, sed tota sacramentalis virtus est ipsum Christi corpus et sanguis. Quare species per se consideratae significant quidem gratiam sed conferendam per corpus Christi, quod sub iis continetur et quocum unum sacramentum constituunt. Praeferenda igitur omnino videtur sententia Bellarmini (l. IV. c. 6.) aliorumque, qui non putant admitti oportere duplicem efficaciam instrumentalem, unam in corpore Christi, aliam in ipsis speciebus, quamvis huic alteri opinioni aliorum theologorum (Suarez disp. 42. sect. 3; de Lugo disp. 1. sect. 2. n. 22. 23. etc.) suam probabilitatem non negemus.

II. Si non solum consideretur corpus et sanguis Christi vi verborum realiter praesens sub speciebus, sed spectetur vi unionis hypostaticae et inseparabilitatis in qua est humana natura glorificata, per concomitantiam praesens totus Christus secundum divinam et humanam naturam, ipse sane Deus homo auctor gratiae per suum corpus et sanguinem sese uniens suscipientibus ad applicationem suorum meritorum physica efficientia sanctificat animas. De sanctificatione sic considerata sufficiunt, quae diximus in Corollario 1. ad th. X. de Sacr. in genere.

At proprie rationem sacramenti habet tantummodo corpus Christi et sanguis, quae vi verborum sub speciebus in statu cibi ac potus constituuntur. Ubi ergo de propria efficientia *sacramentali* eiusque modo quaeritur, in considerationem venit efficientia, ut ex corpore et sanguine Christi manducatione et potione susceptis dimanat. Iam hîc eo fere modo sentiendum et loquendum videtur, quo actiones Christi theandricae strictiori sensu nuncupatae in tractatu de Incarnatione declarantur. Miracula, collationem gratiae, et cetera opera divina Verbum incarnatum visibiliter conversans cum hominibus patrabat quidem virtute suae divinae naturae, sed non sine subiuncta cooperatione suae naturae humanae. Videtur autem in Scriptura et a Patribus haec cooperatio exhiberi ita, ut humana natura non quidem ex sese sed a Verbo, cuius per unionem hypostaticam est facta propria, habeat participatam et derivatam virtutem physicam, qua influat et concurrat ad illa opera prin-

cipaliter quidem patrata per naturam divinam; atque ideo natura humana sit in illis theandricis actionibus instrumentum coniunctum physice concurrens ad opus. Lege e. g. sanationem mulieris Luc. VIII. 44. sq.: « quis est qui me tetigit... tetigit me aliquis, nam ego novi *virtutem de me exiisse* » (1). Generatim dicitur Luc. VI. 19: « omnis turba quaerebat eum tangere, quia *virtus de illo exibat* et sanabat omnes. » Iam cum hoc tactu et cum hac virtute dimanante ex ipso corpore et visibili natura Christi SS. Patres non semel comparant susceptionem et virtutem corporis Christi in Eucharistia: « nam corpus nunc nobis propositum est, non vestimentum tantum sed corpus, non ut tangamus solum sed etiam ut comedamus et satiemur. Accedamus igitur cum fide singuli aegrotantes. Nam si ii, qui fimbriam vestimenti eius tangebant, tantam sibi attraxere virtutem, quanto magis ii qui ipsum totum tenent? » Chrysost. in Matth. hom. 50. al. 51. n. 2.

Porro in confutatione haeresis Nestorianae unum ex principiis demonstrationis catholicae, qua Patres vindicabant unionem hypostaticam carnis cum Verbo, constituebatur in eo, quod caro Christi universim et in Eucharistia speciatim est caro vivifica, hanc autem virtutem habere non potest, nisi quia est caro Dei Verbi, qui est ipsa vita; et ordine inverso ex eo, quod est caro Verbi, concludebant, esse ergo carnem in Eucharistia vivificam. Ita Cyrillus tum in anathematismis approbatis in Conciliis III. IV. V. VI., tum in aliis disputationibus adversus Nestorium frequenter. « Postquam *facta est caro vitae, hoc est Verbi* quod a Deo Patre effulsit, *ad vitae vim transiit* (caro) nec fieri potest, ut a morte vita vincatur » in Io. l. X. T. IV. p. 863. « Quoniam vivificum Dei Verbum habitavit in carne, *transformavit ipsam in proprium bonum nempe vitam,* et penitus ipsi unitum inexplicabili unitionis ratione *vivificam eam reddidit, quale ipsummet est natura*

(1) ἐγω γαϱ ἐγνων (*sensi* tum, cum exiit de me) δυναμιν ἐξελθουσαν ἀπ' ἐμου. Apud Marc. V, 30: « et statim Iesus in semetipso cognoscens virtutem, *quae exierat de illo*, conversus ad turbam aiebat: quis tetigit vestimenta mea? »

sua. Propterea Christi corpus vivificat eos, qui ipsum participant» ib.l. IV. p. 354. (Cf. th. VIII. p. 95. sq.) Atqui haec omnia ita sunt comparata, ut non possint commode explicari per efficientiam solum moralem, quod corporis et sanguinis Christi dignitas exigat collationem gratiae, quo modo potest intelligi efficientia aliorum sacramentorum; sed omnino significare videntur virtutem physicam derivatam a Verbo in suam humanitatem, in corpus suum ac sanguinem ad sanctificandos suscipientes divinam hanc alimoniam. Confer Petavium Incarn. l. X. c. 2. Demonstratio haec facile amplificari potest ex doctrina et modo loquendi multorum Patrum, quos citavimus in th. VIII. Vide ibi Macarium Magnetem, Nyssenum, Cyrillum Hieros., Hilarium.

Quare Christus praesens in Eucharistia in suscipientes diffundit gratiae et sanctificationis abundantiam pro diverso gradu dispositionis gradu diverso, ut causa principalis quidem secundum divinitatem, sed hoc tamen agit per suum corpus et sanguinem unione hypostatica ad vivificae et sanctificantis virtutis participationem elevatum.

Huiusmodi vero operationes Verbi incarnati strictiori sensu *theandricae* nuncupantur (vide Tract. de Incarnat.). Unde etiam Patres sicut universim actiones Christi theandricas illustrare solent comparatione ferri igniti, ubi ignis et ferrum concurrunt distincta sed non separata actione ad unum effectum, ita communis est eis Christi nos sanctificantis in Eucharistia per ss. corpus suum comparatio cum carbone ignito (cf. th. XIV. p. 232.). Recte ergo dici potest Christus Deus-homo in Eucharistia per suum corpus sacramentale nos sanctificare actione *theandrica.*

THESIS XIX.

De effectu SS. Sacramenti in corporibus suscipientium.

« Effectus Eucharistiae saltem mediate ad ipsum quoque corpus suscipientium protenditur per quandam integritatis restaurationem, quae continetur tum cupiditatum restinctione pro vita mortali tum praeparatione ad gloriosam resurrectionem et immortalitatem pro vita futura.»

Triplex est modus loquendi SS. Patrum, quo SS. Sacramenti efficientiam etiam ad corpus suscipientium pro-

tendi docent. Nam 1°. aiunt diserte, hoc sacramentum pertinere ad sanctificationem animae et corporis, ut Clemens Alex. Paedagog. l. II. c. 2. p. 151; Nyssenus or. cat. c. 37; Cyrillus Hieros. cat. mystag. V. n. 15. etc. 2°. Loquuntur de coniunctione et velut speciali affinitate Christi nobiscum per intimam unionem corporis sui cum corporibus nostris, quae non solum consideratur ab eis pro tempore, quo sanctissimum eius corpus substantialiter nobis praesens est sub speciebus sacramentalibus, sed spectatur etiam tamquam effectus quidam permanens in corporibus nostris, ut Christo concorporei simus et consanguinei (συσσωμοι και συναιμοι). 3^io. Declarant, per hanc unitionem cum corpore Christi velut cum principio et causa incorruptibilitatis nos ex corruptione in quam per peccatum lapsi sumus, restaurari in pristinam integritatem. « Cum gustaverimus (de ligno vetito in paradiso) quod nostram dissolvit naturam, necessario sequitur, ut indigeamus eo quod restauret dissolutum..... Quid hoc ergo est? Nihil aliud quam illud corpus, quod morte ostensum est potentius et nostrae vitae fuit principium. Quemadmodum enim parum fermenti, ut ait Apostolus, sibi assimilat totam conspersionem, ita et corpus a Deo morti traditum cum fuerit intra nostrum, totum in se transmutat et transfert etc. Nyssenus or. cat. c. 37. (th. VIII. p. 85.). Considerant autem hanc restaurationem iterum dupliciter, vel ut temperationem et restinctionem concupiscentiae; « nam aestum fugat et adusta omnia refrigerat, non quae ex solis ardore aestuant sed quae sagittis ignitis exusta sunt » Chrysostom. in Io. hom. 46. al. 45. n. 4; Cyrill. Alex. in Io. l. IV. T. IV. p. 365; Bernard. serm. de coena Domini n. 3. etc.; vel frequentissime spectatur Eucharistia ut pharmacum immortalitatis (Ignat. M. ep. ad Ephes. n. 20.) et quodammodo semen ad futuram gloriosam resurrectionem (Cyrillus in Io. T. IV. p. 363). Christus Dominus ipse hanc gloriosam suscitationem promittit ut specialem effectum sacramenti: « Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die. » Io. VI. 55. Patres in hac re declaranda multi sunt. Irenaeus adversus impugnatores resurrectionis

(l. IV. c. 18. n. 5) scribit: «quomodo autem rursus dicunt, carnem in corruptionem devenire et non percipere vitam, quae corpore Domini et sanguine alitur?... corpora nostra percipientia Eucharistiam iam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia.» Lege Macarium, Nyssenum, utrumque Cyrillum, Chrysostomum, Hilarium citatos in thesi VIII. Cf. Vasquez disp. 204. cc. 2. 5.

Iam in hac doctrina imprimis illud continetur, pertinere hoc SS. Sacramentum speciali modo et fine etiam ad effectus in corpore suscipientium producendos saltem mediate per dona et gratias animae collatas. Quoniam sacramentum confert augmentum gratiae habitualis cum speciali ordine ad gratias actuales, quibus in vita gratiae perseveremus, ut « maneamus in Christo et Christus in nobis », his ipsis donis etiam refrenantur cupiditates; et quo dona sunt ampliora, eo efficacior est ex anima in corpus velut dimanatio, ut homo sanctificatus in hac natura composita etiam secundum partem materialem aliquatenus vitae spiritualis fiat particeps. Pariter in gratiis tum habitualibus tum actualibus ad perseverantiam per sacramentum collatis contineri, quantum est ex parte sacramenti, praeparationem ad *gloriosam* resurrectionem, manifestum est.

Haec tamen explicatio, nisi aliquid addatur, non assequitur profunditatem et amplitudinem sensus, qui subest promissioni Christi Domini et declarationibus SS. Patrum. Secundum has promissiones et declarationes ita dicendum videtur: Christus Dominus ipsam carnem eorum qui digne suscipiunt sacramentum, tamquam contactu suae sanctissimae carnis consecratam considerat ut carnem suam speciali affinitate. Quamvis enim corpora nostra, quamdiu per statum gratiae templa sunt Spiritus Sancti, sint per hoc ipsum membra Christi, de ossibus eius et de carne eius, ex quo tempore ipse naturam nostram per incarnationem fecit suam et participavit carni et sanguini nostro (1. Cor. VI. 15. 19; Eph. V. 30; Heb. II. 14); haec tamen mystica unitas carnis nostrae cum carne Christi suam pleniorem consummationem et velut sacramentalem consecrationem accipit per coniunctionem glorificati corporis et sanguinis eius cum

ipsis corporibus nostris, in qua coniunctione celebrantur nuptiae Agni cum sponsa sua Ecclesia adhuc peregrinante in membris singulis, quae iucundiores et plenioris unitionis solum celebrabuntur in patria (cf. Apoc. XXI. 2. 3.). Sic igitur ex sacramentali coniunctione oritur peculiaris illa affinitas, qua Christus sponsus considerat carnem digne manducantium carnem eius et bibentium sanguinem eius speciali titulo ut carnem suam. Et propterea conformat carnem nostram carni suae incorruptibili ac glorificatae, hic quidem in exilio nondum incorruptibilitate et immunitate a concupiscentia, sed quantum conditio haec patitur et nostrae dispositionis ac cooperationis defectus non obstat, per auxilia interna et externa adversus tentationes carnis et diaboli, aliquando etiam restinctione cupiditatum per aliquam praeternaturalem humorum attemperationem immediate in ipso corpore Sanctorum suorum. Hoc ultimum licet non sit certum fieri vi ipsius sacramenti, non debet tamen videri improbabile, si conferas effectum e. g. extremae Unctionis immediate in ipsum corpus, simulque adtendas huiusmodi sacramentales effectus in corpus semper esse intelligendos non solum pro mensura dispositionis nostrae, sed etiam pro ratione divinae providentiae et cum subordinatione ad effectum et finem principalem, qui est sanctificatio animae et salus aeterna. Quidquid vero de hoc sit, certe gratia sacramentalis ex opere operato collata respicit specialia auxilia ad resistendum tentationibus carnis, quod, si iis cooperemur, sufficit ad necessariam in hac vita conformitatem carnis nostrae cum carne Christi. Extraordinaria vero charismata ac quandam inchoationem incorruptibilitatis et glorificationis iam in hac vita ex corpore Christi sacramentali in corpora Sanctorum qui specialiter amati erant et amantes, dimanare consuevisse, historia in dubium vocare non sinit.

Porro resurrectionem gloriosam quod adtinet, non est cogitandum cum paucis quibusdam theologis (inter quos est Contensonus l. XI. P. II. diss. 3. effect. 9. T. II. p. 432) de qualitate aliqua physica, quae manens in nostris corporibus instar seminis sit radix futurae resurrectionis (1); sed satis

(1) Novam et sane singularem opinionem proposuit Card. Cienfue-

est, quod Christus Dominus carnem nostram ex affinitate, quae per coniunctionem eucharisticam oritur, specialiter ut carnem suam considerat conformandam ipsi exemplari in gloria resurrectionis, et quod ex Eucharistia, ut a Christo est instituta, oritur in ipso corpore suscipientium peculiaris titulus et congruentia ad eandem resurrectionem.

Hucusque dicta omnia comprehenduntur illa frequenti apud SS. Patres sententia, quae vicissim ex dictis explicanda est, quando docent, nos per susceptum corpus et sanguinem Christi in ipsum Christum transformari: « qui per carnis meae participationem (ita commentatur Cyrillus in Io. VI. 58) me suscipit, in se ipso vivet, attamen totus in me transformatus, qui vivificare valeo propterea, quod sum ex radice vivifica hoc est ex Deo ac Patre » T. IV. p. 366. Distincte autem omnes effectus sacramenti Eucharistiae Concilium Tridentinum docet ac declarat Sess. XIII. cap. 2. Lege Suarez disp. 64; de Lugo disp. 12. sect. 5.

Scholion. Cum declaratione effectus sacramenti commode iungeretur quaestio de eius necessitate tum per se tum secundum modum susceptionis sub utraque specie, nisi eam nos utramque alia occasione (th. III. p. 25-30) praeoccupavissemus. Quare iuxta distributionem initio propositam sola reliqua est tractatio de augustissimo hoc mysterio sub ratione sacrificii. De sacrificio generatim et de sacrificio Christi cruento in cruce suo loco egimus in ultima parte Tractatus de Incarnatione; propter intimum tamen rerum nexum vitari non potest, quin aliqua hîc iterum repetantur, quantum necesse erit ad intellectum ipsius sacrificii eucharistici. Quae igitur circa utrumque hoc caput potius indicata quam demonstrata videbuntur, eorum amplior explicatio in illo altero tractatu de Incarnatione quaerenda erit.

gos (Vita abscondita etc. disp. VIII. nominatim sect. 2. cf. sect. 5. §. 3), quae, si lubet, potest apud ipsum legi, sed nemini puto facile probabitur.

PARS II.

DE SACRIFICIO, SPECIATIM DE SACRIFICIO EUCHARISTIAE.



CAPUT I.

DE SACRIFICIO IN GENERE ET DE SACRIFICIIS VETERIS TESTAMENTI.

THESIS I.

De agnoscendo supremo Dei dominio per cultum etiam externum.

« Agnitio Dei tamquam supremi principii et ultimi finis proindeque » agnitio absolutae dependentiae rerum omnium a Deo supremo Domi- » no, pro quovis statu generis humani, et agnitio culpae cum obli- » gatione ad satisfactionem pro statu lapso ita sunt debiti actus in- » terni, ut simul eorum manifestatio externa in humana natura fun- » detur, non secus ac cultus externus generatim cum cultu interno lege » naturae cohaeret. »

I. Hanc propositionem solum enuntiamus tamquam postulatum pro sequenti tractatione, quod in theologia possumus supponere velut per se evidens. Obligatio cultus interni continetur in ipsa essentiali relatione creaturae rationalis ad Deum. Nititur totus cultus divinus tamquam fundamento in religiosa intellectus agnitione et voluntatis submissione erga Deum, infinitam maiestatem, supremum principium et ultimum finem; cum his immediate nectitur agnitio, a Deo esse, quidquid sumus et habemus, et ab eius liberalitate expectanda esse, quibus indigemus. Hoc totum uno verbo potest dici *agnitio absolutae dependentiae* rerum omnium et nominatim ipsius hominis a Deo essentiali et supremo Domino, in qua dependentia includitur officium et moralis necessitas *adorationis, gratiarum actionis, petitionis.* Pro hypothesi status lapsi cum eadem radice nectitur necessitas *expiationis, et satisfactionis* ad Deum offensum placandum. In iisdem quatuor velut generalibus principiis reliqua omnia ad cultum religionis pertinentia includuntur:

noverim te tum in tua excellentia tum in tuis benefactis, noverim me in mea dependentia et indigentia tum ex ipsa natura tum ex meis malefactis.

Hic vero essentialis ordo non solum obtinet quoad singulos homines; sed ipsius societatis humanae, quatenus societas est et una quaedam persona moralis, eadem intelligitur relatio absolutae dependentiae ad supremam maiestatem et supremum Dominum; non minus ergo *cultus publicus* totius societatis quam privatus singulorum lege naturae postulatur.

Porro manifestatio cultus interni per respondentes actus externos iam pro singulis hominibus fundatur in ipsa natura humana composita, non solum eo quod hominis actus interni maxime quoad obiecta a sensibus remota sine ullis manifestationibus externis constantes esse non possunt, et quod magnarum rerum intellectus et affectus natura duce prodeunt in actus externos; sed maxime eo, quod non solum anima sed homo totus Deum habet supremum principium ac finem , et a Deo totus essentialiter pendet. Unde homo se secundum totam naturam Deo subiiciat necesse est , et cultus Dei ac Domini in hac essentiali relatione fundatus debetur a tota humana natura, non solum ab anima hominis sed ab homine. Adeoque sicut natura humana sensibilis est sed informata ab anima spirituali dante perfectionem humanam, ita etiam cultus sensibilis et externus exigitur velut animatus cultu interno, qui tamquam forma dat perfectionem cultus. Si ulterius homo spectatur in suis relationibus ad societatem, ad quam naturaliter factus est, obligatio cultus externi ex alio multiplici capite oriri intelligitur. Ipsius autem societatis cultus publicus ex ipsa sua natura necessario externus est.

Quare cum agnitione absolutae dependentiae a Deo supremo principio et fine, quae est fundamentum totius cultus divini, sine dubio cohaeret ex ipsa naturae lege eiusdem agnitionis manifestatio in cultu externo praesertim in cultu publico secundum indicatas rationes *adorationis, gratiarum actionis, petitionis*, et pro statu naturae lapsae in cultu externo manifestante *indigentiam expiationis*.

THESIS II.

De peculiari ratione intrinseca actuum cultus religiosi, quibus sacrificia constant.

« Sensus internos religionis quos diximus, cultu externo exhibendi » modus solemnis et peculiaris, legi naturae congruus, apud omnes » gentes quovis tempore in publicum usum deductus, in religione re» velata divinitus sancitus in eo est, quod homo humanaque societas » rem aliquam substantialem sibi substituat eamque velut sui vice to» tam Deo offerat reali destructione vel aequivalente exinanitione in » hunc finem rite institutâ, ut in ea et per eam agnitio supremi dominii » Dei in res omnes ut sint vel non sint, absoluta dependentia, et reatus » hominis lapsi exprimatur et aspectabilis reddatur. »

I. Ut peculiarium actuum cultus externi, de quibus nunc agimus, aliquam intelligentiam praeformemus, considerabimus imprimis sistendo solum in ipsis rerum naturis et in lege mere naturali illorum actuum aptitudinem ad exprimendum religiosum cultum internum, institutionem deinde et in iis exercendis ministerium, quatenus utrumque requiratur, ut reipsa sint cultus interni legitimae expressiones.

1°. Ipso lumine rationis evidens est, res hominum dominio commissas praesertim illas, in quibus vel est vita animalis vel quae sunt ad vitae humanae sustentationem, per se aptas esse ad ipsam vitam hominis repraesentandam. Possunt ergo illae res honeste et religiose assumi velut repraesentantes vitam hominis, et ita symbolica actione coram Deo vel realiter vel aequivalenter destrui ad exprimendum sensum religiosum absolutae dependentiae a Deo suprema maiestate ac supremo Domino, simulque ad exprimendum sensum et agnitionem reatus peccati, cui mors debetur.

Appellantur autem oblationes hoc modo factae communi usu et omnium consensu *sacrificia.* Utrum ipsae solae et utrum sensu proprio sacrificia sint, postea dicetur; nunc nobis nomine aliquo opus est, quod ex communi usu assumimus.

2°. Quamvis huiusmodi res ad talem substitutionem symbolicam pro vita hominis, et immolationes per se aptae

sint ad hanc expressionem sensus religiosi, non tamen sunt signa omnino naturalia; atque ideo ut sint signa in actu secundo et formae legitimae cultus externi, indigent institutione ac determinatione significationis (cf. de Sacr. in Gen. th. V.), et quidem institutione per auctoritatem publicam, cui ipsa subsit religiosa societas, si societas iam supponitur formata et cultus proinde publicus, ad quem huiusmodi actus solemnes, de quibus nunc loquimur, vel maxime pertinent. Nam in hypothesi hac formatae societatis religiosae certe non sufficit assumptio alicuius signi et determinatio facta a privatis, ut illud iam censeatur inter ritus stati ac fixi cultus divini praesertim cultus publici et solemnis. Videtur ergo clarum, ex ipsa natura societatis religiosae et ex natura signorum ac symbolicarum substitutionum requiri institutionem factam a publica auctoritate, ut tales substitutiones habeant suam significationem religiosam et pertineant ad externum cultum praesertim publicum et solemnem. Per se patet, hanc necessitatem institutionis valere etiam quoad primos progenitores humani generis, in quibus virtute continebatur societas ab eis propaganda.

Quamvis vero in statu abnormi, si supponuntur singuli aliqui homines a tota societate seiuncti, assumptio huiusmodi substitutionum ad externum Dei cultum ab iis singulis fieri posset; illae tamen non viderentur omnino eiusdem rationis, ac aliae publica auctoritate institutae, quia illae sensum religiosum solum privatum et particularem exprimerent non autem possent esse, ut hae posteriores, solemnis cultus ad exprimendum nomine totius societatis sensum religiosum publicum absolutae dependentiae et subiectionis ad Deum. Si autem res et forma talium actuum iam exclusive determinata est per auctoritatem, legem, vel consuetudinem publicam, res aliae et sub alia forma ad eundem finem privato arbitrio assumi non possent, quia tum huiusmodi actibus arbitrariis non subesset significatio, quae aliis manifestationibus exclusive alligata esse supponitur.

Hoc autem multo est evidentius in hypothesi, quod Deus ipse saltem quoad essentialia ordinaverit et pro hominibus instituerit totum cultum externum et distincte de-

terminaverit materiam ac formam harum substitutionum, de quibus nunc agimus. Tum enim non solum actus alii diversi ad eundem finem assumpti non acceptarentur a Deo, quod per se patet, sed neque possent habere in hoc tali cultu divinitus ordinato eandem symbolicam significationem, quam Deus aliis actibus exclusive alligasset, atque ideo in nullius hominis neque in ipsius societatis potestate esset instituere et efficere, ut alii ritus diversi generis eandem significationem et eundem valorem cultus externi haberent. Quantumvis enim huiusmodi ritus diversi per se et in actu primo apti essent ad talem significationem, in actu secundo tamen eam acquirere non possent, quia talis significatio ab eis esset exclusa per ipsam definitivam determinationem huius significationis in aliis rebus et sub alia forma a Deo ipso factam.

Est haec consideratio necessariae institutionis magni momenti non solum ad notionem sacrificii determinandam sed adhuc magis, ut intelligatur, quomodo nec in lege Mosaica nec in novo Testamento institutio sacrificii sit in potestate Ecclesiae; et quomodo in quibusdam ritibus externi cultus christiani possit reperiri materia et forma per se sufficiens ad rationem sacrificii, qui tamen non sunt sacrificia sed sacrae solum caerimoniae ordinatae ad maiestatem et declarationem sacrificii unici a Christo instituti (Conc. Trid. Sess. XXII. cap. 5).

3^io^. Quod spectat ministerium publicum et consecratum ad actus externi cultus nomine totius religiosae societatis coram Deo peragendos, sistendo etiam in sola naturali lege, apparet eius congruentia et connexio cum propria ratione talis cultus religiosi. Sive enim spectes rationem cultus publici exhibendi a tota societate per speciales actus, ad quos certe hi, de quibus loquimur, per se maxime pertinent, sive spectes intrinsecam horum actuum significationem, praesertim vero expressionem reatus cum desiderio expiationis; sine dubio rerum naturis consentaneum est, ut in religiosa societate sint speciatim segregati et consecrati, qui ex suo saltem munere sancti inter Deum et populum expiandum medii constituantur, et qui nomine totius societa-

tis publicam professionem absolutae dependentiae ac subiectionis hisce solemnibus actibus coram Deo exprimant. Hac autem institutione ministerii supposita, maxime vero supposita ordinatione Dei ipsius, sicut diximus de determinatione ipsorum actuum, ab aliis non solum illicite, sed etiam invalide exercitium talis cultus publici attentaretur.

II. Quam sint humanae naturae conformes et ex ea velut insità lege consequantur speciales hi actus cultus externi, et haec quae communi usu sacrificia appellari diximus, a posteriori fit perspicuum, quod ea ab origine humani generis apud omnes gentes tamquam fundamentum et partem essentialem totius cultus divini reperimus constituta. Omissis ceteris in cultu divino, ut ab ipso Deo in suo populo electo determinatus est, consideremus singula sacrificiorum elementa, quae hucusque ex sola rerum natura deduximus. Quamvis enim tota res sacrifica veteris Testamenti perfecte intelligi nequeat, nisi sublimior eius ratio typica prae oculis habeatur, possumus tamen eam interim spectare in se et abstractione facta ab ea altiori significatione, ut *a posteriori* comprobemus notionem sacrificiorum, quam *a priori* paulo ante statuimus. In considerationem autem veniunt materia et forma, quibus ipsum sacrificium quodammodo physice componitur, tum eius essentialis significatio quae se habet instar formae metaphysicae in sacrificio visibili ut in subiecto (cf. de Sacram. in Gen. th. IV.), ac denique sacerdotium velut ministerialis causa et correlatum extrinsecum.

1°. Res a Deo ipso destinatae ad sacrificia in altari aeneo, quod erat in atrio templi, sunt animalia domestica munda, tum panis (vel simila), vinum, oleum, h. e. velut « primariae creaturae » (cf. Isidorum supra p. 105) pertinentes ad sustentandam vitam hominum. In altari vero aureo tabernaculi et deinde templi symbolica oblatio erant thura incensa, et in mensa aurea duodecim panes propositionis pro numero tribuum filiorum Israël.

2°. Forma oblationis Deo faciendae in omnibus est destructio aliqua, in primariis quidem, quae erant sacrificia animalium, effusione sanguinis et consumptione per ignem;

sacrificia autem incruenta erant subordinata et velut appendix nexa sacrificiis cruentis, quae nihilominus etiam ipsa offerebantur concrematione.

Prima fronte videri possent excipi ab hac forma destructionis duodecim panes propositionis; unde aliqui, ut de Lugo disp. 19. sect. 1. n. 9. et ibi citati Azor et Malderus negant fuisse verum sacrificium. At Lev. XXIV. 5-9 coll. XXI. 6. 8. sane videntur panes illi propositi coram Domino expresse connumerari sacrificiis proprie dictis; dicuntur enim אִשֶּׁה לַיהוָה . מֵאִשֵּׁי יְהוָה quae appellatio non potest aliud significare quam sacrificium proprio sensu. Neque vero forma sacrificii in eis desideratur. Erant duodecim illi panes per plenam consecrationem Deo factam (sanctum sanctorum appellantur) perpetua praesentatio totius populi coram Domino (vide Origen. in Lev. hom. 13. T. II. p. 255). Distributi erant in duas strues, quarum utrique impositum erat « thus lucidissimum. » Quando iuxta ritum a Deo praescriptum singulis Sabbatis panes mutabantur, veteres manducatione sacerdotum « in loco sancto » consumi debebant; thus impositum sine dubio cremabatur in altari aureo. Iam *a*) panes una cum thure imposito considerandi sunt ut unum totum, in quo thus additum erat ad expressiorem significationem sacrificii. Sicut ergo in aliis sacrificiis non totum cremabatur (exceptis holocaustis), sed per combustionem partis sufficienter expressa erat significatio symbolica et propria ratio sacrificii; ita etiam hic combustio partis satis esse poterat ad rationem sacrificii. At *b*) panes ipsi consumebantur non per modum convivii ad sustentationem sacerdotum, ut in aliis quibusdam oblationibus fieri solebat, sed per manducationem sacram, cuius finis erat destructio rei consecratae et ita completio sacrificationis: « *erunt Aaron et filiorum eius, ut comedant eos in loco sancto: quia sanctum sanctorum est de sacrificiis Domini iure perpetuo* » Lev. XXIV. 9. Satis ergo etiam in his panibus intelligitur forma communis omnibus aliis sacrificiis, quam essentialis ratio ac significatio sacrificii omnino exigere videtur.

Porro factâ institutione divinâ, mutatio essentialis sive materiae sive formae fieri non poterat, quin oblatio iam

non ad cultum divinum sed ad superstitionem pertinuisset cf. Is. LXVI. 3.

3io. Ad significationem quod spectat, quam diximus formam velut metaphysicam sacrificii, imprimis idea substitutionis victimarum pro ipsis hominibus, qui sese Deo principio et fini universae creaturae plene subiectos et insuper propter peccatum se reos mortis profiteantur, per se iam satis manifesta est ex intrinseca indole totius symbolicae actionis. Praeclare Eusebius Demonstr. evang. l. I. c. 10, cum patriarchae, inquit, inde ab originibus humani generis « divino spiritu illustrati viderent, magno sibi opus esse obsequio ad suorum humanorum delictorum purgationem, pretium pro salute sua ei, qui vitam atque animam praebuisset, se debere putabant. Sed cum nihil praestantius aut pretiosius anima sua haberent, quod dicarent, pro hac interim brutorum animalium vitam offerebant, pro sua anima sacrificia suae vitae vicaria (ἀντιψυχα) offerentes. »

Sane haec ratio substitutionis et vicariae destructionis, si ita loqui fas est, in tota re sacrifica veteris Testamenti clarissime expressa reperitur. Apparet ea in sacrificio Abrahae Gen. XXII. 13; declaratur evidenter per caerimoniam impositionis manuum in caput victimae, ut describitur e. g. in holocaustis Exod. XXIX. 10. 15 sq.; Lev. I. 4; in hostiis pacificis Lev. III. 2 sqq.; in sacrificio maxime pro peccato sive sacerdotis, sive populi totius, sive principis, sive privatorum Lev. IV. 4. 15. 24. 29. Vide Eusebium l. c. Adhuc expressius haec substitutio velut ob oculos ponitur in solemni expiatione totius populi die decimo mensis septimi, quae adumbratur in caerimonia hirci emissarii. Est vero advertendum cum Dionysio Alexandrino (si is est auctor epistolae cont. Paul. Samosat. ed. de Magistris p. 228 sq.), duos hircos spectari velut unum ad unam et eandem rem significandam, ubi hircus mactatus substituitur pro universo populo et hircus emissus solum adhibetur ad complendas caerimonias expressius designantes substitutionem Lev. XVI. 21. 22. coll. vv. 9. 10. Confer etiam Lev. XIV. 4-7. Imo idem verbis disertis declaratur Lev. XVII. 11, ut etiam advertit Eusebius l. c: « Attende igitur diligenter, quomodo

in his dictum sit illud: ego dedi vobis in altari expiare animas vestras, sanguis enim pro anima piaculum erit; plane enim pro anima sanguinem mactatorum animalium piaculum offerri dicit. » Ad eandem exprimendam rationem vicariam sacrificiorum pertinet, quod ipse, pro quo offerebatur, manducando ex oblatione velut unum quid cum illa se esse velle significabat (conf. S. Thom. 3. q. 84. a. 4). Haec autem unitio locum solum habere poterat in sacrificiis, in quibus expiatio supponitur iam praecessisse (in sacrificiis pacificis, laudis, gratiarum actionis, petitionis); contra in sacrificiis pro peccato, quibus offerentis reatus imponebatur et quae ideo dicebantur simpliciter *peccatum*, talis unitio offerentis cum victima inefficaci ex sese ad expiandum peccatum fuisset quodammodo nova unitio cum suo peccato; et ideo in solemnioribus totum comburebatur, vel certe ipsi offerenti peccatori manducatione de eo participare fas non erat. Lev. III. et sqq.

Ex hac substitutione rei sacrificandae pro ipsius hominis vita iam etiam elucet significatio et finis sacrificii. Relate ad Deum, quam possumus appellare significationem *theologicam*, est per rei destructionem expressio objectiva supremi dominii in res omnes ut sint vel non sint, et pro statu hominis lapso expressio divinae iustitiae placandae; relate ad hominem, quae potest dici significatio *moralis*, est expressio externa internae agnitionis et submissionis sub hoc Dei dominio cum affectu suam vitam seque totum Deo sacrificandi, et internae agnitionis reatus, pro quo mors sibi debeatur. Quae tamen non est significatio duplex realiter distincta sed una duplici modo considerata. Unde « sacrificium visibile invisibilis sacrificii sacramentum, id est sacrum signum est » Augustinus Civit. Dei X. 5. Ad hanc significationem potest accedere et in omnibus sacrificiis a Deo institutis, excepto uno quod est centrum et terminus relationis omnium aliorum, revera accessit alia significatio *mystica* pertinens ad significandum aliud mysterium (vide Suarez disput. 73. sect. 2). Sed de hac non omni sacrificio essentiali significatione nunc non quaerimus.

In priori vero illa significatione essentiali continetur imprimis *adoratio*. Unde in Scriptura pro sacrificio dicitur simpliciter adoratio e.g. Gen. XXII. 5; 1 Reg. I. 3; XV. 30; Io. IV. 20 sq. etc. Cum adoratione ex natura rei iuxta dicta superius iungitur *gratiarum actio* et *petitio*. In significatione autem divinae iustitiae placandae constituitur *expressio indigentiae et desiderii expiationis*. Quoniam haec quadruplex significatio inest omni sacrificio, non est mirum, quod in liturgia veteris Testamenti non est distincta distributio sacrificiorum secundum has significationes, sed potius observatur distributio secundum diversam materiam ac formam sacrificiorum. Clara tamen est distinctio inter sacrificia pro peccato et sacrificia pacifica (שְׁלָמִים), quae sunt simul laudis, gratiarum actionis, petitionis, modo una modo altera ex his tribus significationibus praevalente. Falsum est igitur, quod ait Iahnius, communem penes theologos distinctionem sacrificiorum petitam ex fine secundum has quatuor significationes nullum habere in Scriptura fundamentum (Iahn. Archaeolog. T.V. §. 95). Cf. Suarez disp. 73. sect. 7.

Quoad vicariam substitutionem pro homine et pro vita hominis advertendum porro est, eam esse sacrificii notioni intrinsecam, quatenus non homo ipse sed pro homine res substituta offertur. Posset autem Deus homini praecipere, ut non solum affectu interno et sacrificio externo symbolice substituto, sed realiter se ipsum offerret in sacrificium, ubi nulla opus fore substitutione per se patet (vide de Lugo disp. 19. sect. 1. n. 7). At vero posset Deus etiam velle sacrificium unius hominis tamquam substitutionem pro toto humano genere. Haec substitutio esset maxime realis, cum humanum genus non iam solum oblatis per destructionem rebus suo dominio permissis symbolice significaret sacrificium debitum sui ipsius, sed in suo capite et repraesentante iuridico re ipsa sacrificaretur. Intelligi autem debet talis sacrificatio hominis non aliter, quam quod homo iuxta voluntatem Dei libere se ipsum vitamque suam offerat vicaria substitutione pro toto humano genere, quia sacrificium non nisi voluntarium Deo placere potest. Unde in huiusmodi sacrificio rationali destructio vitae per se spectata per-

tineret ad materiam sacrificii, ipsa voluntaria mortis admissio et oblatio Deo facta esset actio sacrificalis et forma sacrificii. Sed de his alibi.

Interim tamen obiter adverti potest ex dictis, cur martyrium non sit sacrificium. Videlicet martyres nec sunt a Deo instituti et ordinati ad se offerendum in sacrificium, sed ad testandum pro veritate fidei, nec sunt substituta oblatio pro aliis, nec etiam admissio mortis ex parte eorum videtur esse per se satis idonea ad actionem sacrificam, quia non est concomitanter libera, ut martyr dicere posset: « ego pono animam meam, nemo tollet eam a me, sed ego pono eam a me ipso, et potestatem habeo ponendi eam » Io. X. 17. 18. Cf. Leo M. ep. 124 ad Palaestinos c. 4. (Vide Bellarmin. l. V. c. 3).

4°. Praeter rationes intrinsecas sacrificiorum considerandum venit ministerium, quo tamquam actus publici et solemnes ex ipsa natura rei indigere videntur modo superius declarato. In oeconomia igitur patriarchali, quamdiu populus nondum in civili societate sed per familias in societate domestica consistebat, videmus familiarum patriarchas vel primogenitos, quibus exsors aliqua erat auctoritas, suo suorumque nomine sacrificia offerre; constituto autem iam populo, dum cultus publicus divinis legibus disponitur, tribus una speciali modo consecratur Deo pro universo populo, et ex hac tribu familia una seligitur, quae sola tamquam media inter Deum et populum sacrificia Deo offerret. Num. III. IV. VIII; Deut. XVIII. Facta institutione si quando alii citra mandatum Dei in ministerium sese ingererent servatis etiam omnibus elementis sacrificiorum intrinsecis, iam non erant isti actus legitimi, publici, et solemnes cultus divinitus instituti sed huius cultus profanationes Lev. XVII.; 2 Paral. XXVI. 16 sq.; Heb. V. 1. 4.

Habemus igitur ex hucusque declaratis in divina ipsa religione praescriptos certos quosdam actus externi cultus a ceteris omnino distinctos eosque fundamentales totius cultus externi, quorum haec sunt elementa: *materia* sunt res quaedam sensibiles et substantiales; *forma* est actio circa eas res vel physicae destructionis vel aequivalentis im-

mutationis. Utraque (materia et forma) coniuncta efficit, ut oblatio *in actu primo apta* sit, quae assumatur ad repraesentandum ipsum hominem coram Deo et ad significandum supremum Dei dominium exprimendamque agnitionem reatus in homine lapso. Denique videmus hos ipsos actus a Deo cultus sui institutore ad hanc significationem *in actu secundo assumptos* et determinatos, quae significatio se habet instar *formae metaphysicae* ad totam externam actionem et oblationem.

Ex hac analysi notionis sacrificii, sive ut in lege naturae fundatur, sive ut a Deo institutum est, consequitur haec definitio: Sacrificium est oblatio Deo facta rei sensibilis per eiusdem realem vel aequivalentem destructionem legitime instituta ad agnoscendum supremum Dei dominium et pro statu lapso ad profitendum divinam iustitiam hominisque reatum. « Oblatio rei sensibilis Deo facta » est genus proximum, reliqua quae adduntur, constituunt differentiam specificam ab aliis oblationibus. Simul in definitione exprimitur materia, forma, significatio seu finis sacrificii, ut quisque facile videt (1).

THESIS III.

De nomine sacrificii proprio *et* improprio *seu* analogico.

« Oblationes hucusque descriptas esse actus divini cultus speciales » suique nominis, ex eorum inspecta natura patet; esse et proprio no- » mine dici *sacrificia*, constat tum universim ex omnium gentium con- » sensione tum speciatim, quoad veri Dei cultum in religione revelata, » ex sacris Scripturis. »

Imprimis oblationes sensibiles quae Deo fiant materiâ, formâ, fine in superiori thesi descriptis, esse actus externi cultus distinctos toto genere non solum ab omnibus actibus internis et externis aliarum virtutum, sed etiam ab aliis

(1) Posset in definitione primum considerari solum essentia velut physica oblationis in se, et deinde eius significatio velut forma metaphysica, atque ita definitio data resolvi in duas, ut factum est a Suarez disp. 73. sect. 6. At nos solliciti sumus magis de expressione omnium essentialium proprietatum sacrificii in genere spectati, quam de rigore dialectico in formanda definitione.

actibus religiosi cultus externi, evidens est ex ipsa notione data. Sicut ergo potest dari definitio aut descriptio secundum essentiales notas, quae has omnes et solas oblationes complectatur, ita potest etiam rei definitae imponi nomen, quod iis omnibus et solis *proprie* conveniat. Quamvis deinde idem nomen ad alios actus sive internos sive externos, qui habeant aliquam cum his oblationibus connexionem et similitudinem, propter hanc ipsam similitudinem transferri possit; his tamen aliis actibus omnibus ratione similitudinis solum *analogice* conveniet, eo ipso quod ab oblationibus tali nomine *proprie* designatis toto genere differunt.

Iam vero constat ex usu omnium gentium, et quoad cultum religionis revelatae ex usu tum Scripturae tum fidelium quavis aetate Deum colentium, genus illud oblationum superiori definitione declaratum appellari *proprie sacrificia* lingua latina, et nomine aliquo respondente in omnibus aliis linguis. Nihilominus tamen eodem usu hoc nomen ad alios actus tum internos tum externos virtutum a toto illo genere oblationum diversissimos transfertur non alio quam alicuius cum his similitudinis fundamento, et proinde significatione solum *analogica*. Ideo in Scripturis solae oblationes descriptae constanter et velut nomine suo proprio absque restrictione vel declaratione appellantur sacrificia, alii actus dicuntur quidem sacrificia, sed cum aliquo addito, quo ostendatur non absolute sed *secundum quid* et per similitudinem hoc nomine appellari. Ita res significata per sacrificium, scilicet actus cultus interni dicuntur sacrificium sed cum oppositione ad sacrificium proprie dictum: « si voluisses sacrificium, dedissem utique.... sacrificium Deo spiritus contribulatus » Ps. L. 18; pariter actus alii cultus externi sed cum addito: hostia vociferationis, hostia laudis (*θυσια ἀινεσεως* תּוֹדָה), vituli labiorum, fructus labiorum etc. Ps. XLIX. 14. 23; Hos. XIV. 3; Heb. XIII. 15. Aliquando non est metaphorica appellatio, sed mera comparatio cum sacrificiis proprie dictis, ut in illo Ps. CXL. 2: « dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo; elevatio manuum mearum (sicut) sacrificium

vespertinum ». Item opera misericordiae et oblationes propter Deum factae proximo dicuntur hostiae, sed cum determinatione: « *talibus* hostiis promeretur Deus » Heb. XIII. 16. cf. Iac. I. 27. Ulterius vita integra in gravissimis aerumnis Deo dicata confertur cum holocausto Sap. XIII. 5; Rom. XII. 1; gentes ab Apostolis Deo consecratae per evangelium dicuntur sacrificium sanctificatum in Spiritu Sancto, et eodem sensu labores apostolici sunt sacrificatio Rom. XV. 16; Phil. II. 17. At quando oblationes, quas diximus esse sacrificia, cum huiusmodi actibus analogis conferuntur in propria ratione sacrificii, clarissime illae solae dicuntur sacrificia et hi posteriores a sacrificiis distinguuntur: « misericordiam volui et non sacrificium, et scientiam Dei plus quam holocausta » Hos. VI. 6; « melior est obedientia quam victimae » 1 Reg. XV. 22 etc.

Quamvis igitur nomen sacrificii non ita unum genus divini cultus significet, ut non possit significatione translata etiam adhiberi de aliis actibus religiosis, est tamen certum, tam in cultu fundato in lege solum naturali quam in cultu religionis revelatae modum specialem esse colendi Deum per oblationes superius descriptas, et has solas esse vere et proprie dicta sacrificia (Bellarm. l. V. c. 2; Suarez disp. 73. sect. 6).

Corollarium 1. Licet sacrificium sit in genere signorum sacrorum, atque ita possit significatione generica appellari et a Patribus quandoque appelletur sacramentum, differt tamen a sacramentis specifice dictis praeter reliqua fine proximo et significatione. Sacramenti enim finis immediatus est hominum sanctificatio, sacrificii significatio et finis immediatus est cultus Dei supremae maiestatis actu externo manifestatus (cf. de Sacram. in Gen. th. I). Per se ergo et generatim sacrificii pretium coram Deo est ex opere operantis, sicut universim cultus externus valorem habet ex cultu interno. Si cui tamen sacrificio perpetuae institutionis vel ex intrinseca dignitate vel ex Dei ordinatione insit vis et pretium ex opere operato, hoc non pertinebit ad immediatam sanctificationem hominum; sub hac enim formali ratione indueret naturam sacramenti: sed valor ex

opere operato in eo erit, ut honorem Deo debitum exhibeat, iniuriam ei factam resarciat, pro beneficiis acceptis gratias reddat, nova auxilia et beneficia impetret (1). Potest vero esse sacrificium, quod sit fundamentum, cui innitantur, et causa meritoria, ex qua deriventur omnia alia media gratiarum et sacramenta nominatim. Vide De Christo mediatore in tract. de Incarn.

Corollarium 2. « Sacrificium visibile invisibilis sacrificii sacramentum, id est, sacrum signum est » August. de Civ. Dei l. X. c. 5. cf. c. 19. Hinc *a*) sacrificii externi pretium et valor moralis per se petitur ex sacrificio interno, nisi dignitas specialis insit in ipsa re oblata, quod solum verificatur in sacrificio Christi. *b*) Si *verum* dicitur non ad distinctionem proprii a methaphorico, sed ad distinctionem rei significatae excellentioris prae signo, sicut Christus dixit se esse *vitem veram;* potest sacrificium internum appellari *verum* sacrificium in comparatione ad sacrificium externum. Ita loquitur Augustinus l. c.: « illud quod ab omnibus appellatur sacrificium, signum est *veri* sacrificii » cf. ib. c. 6. *c*) Si quando Deus in veteri Testamento sacrificia sibi non placere significat, id intelligendum est vel in comparatione ad antitypum in novo Testamento, cuius illa erant typus, vel in comparatione ad sacrificium internum, quatenus seiuncta ab hoc sacrificio interno offerebantur, vel, ut ait l. c. Augustinus, « ita nolle dicit, quomodo ab stultis ea velle creditur velut suae gratia voluptatis. »

Corollarium 3. Cum in sacrificio ex ipsa eius natura et intrinseca forma contineatur expressio agnitionis supremi dominii et huic respondentis absolutae dependentiae hominis ab eo, cui offertur sacrificium; patet, cur sine sacrilegio offerri non possit nisi soli vero Deo, et cur ex

(1) Valor ipsius sacrificii crucis est quidem ex opere operantis Christi, personae dignitatis infinitae, simul autem in ipsa re oblata est pretium morale, de quo nunc agimus, infinitum, atque ratione dignitatis obiectivae in re oblata potest dici valor huius sacrificii ex opere operato (vid. tract. de Incarnat.). Sed proprie spectatur valor ex opere operato in sacrificio Eucharistiae comparate ad opus operantis in sacerdote ministeriali, de qua re postea dicemus.

omnium hominum communi sensu in oblatione sacrificii contineatur professio divinitatis eius, cui offertur. « Sacrificium certe, nullus hominum est, qui audeat dicere deberi nisi Deo.... quis vero sacrificandum censuit nisi ei, quem Deum aut scivit aut putavit aut finxit? » August. de Civ. Dei X. 4. Hinc sacrificia oblata fictis diis eo modo sunt et dicuntur sacrificia, quo generatim cultus divinus dicitur qui falsis diis defertur. Possunt scilicet adesse intrinseca sacrificii elementa, sed deest obiectum dignitate sua respondens tali cultui; adeoque huiusmodi sacrificia quo excellentioris cultus sunt expressio, eo maioris sunt impietatis. « Verum haec cum exhibentur Deo secundum eius inspirationem et doctrinam, vera religio est; cum autem daemonibus secundum eorum impiam superbiam, noxia superstitio. Quapropter qui christianas litteras utriusque Testamenti sciunt, non hoc culpant in sacrilegis ritibus paganorum, quod construant templa, et instituant sacerdotia, et faciant sacrificia, sed quod haec idolis et daemoniis exhibeant » S. August. ep. 202 ad Deogratias q. 3. n. 18; de Civ. Dei. l. X. c. 19. Cf. Suarez disp. 73. sect. 6; aliter Vasquez disp. 220. c. 3. n. 30, et de Lugo disp. 19. sect. 1. n. 13.

THESIS IV.

De ratione typica sacrificiorum veteris Testamenti.

« Praeter rationem omni sacrificio essentialem, toti rei sacrificae veteris Testamenti ex divina dispositione inerat ratio typica respondens propriae indoli illius oeconomiae. Unde sacrificia praesertim cruenta, quatenus erant expiatoria, immediate pertinebant ad typicam « emundationem carnis » et ad significandam necessitatem expiationis theologicae, mediate vero ad praefigurandum magnum sacrificium, quo expiatio erat perficienda, et ex quo adhuc futuro « redemptio quoque erat praevaricationum sub priori testamento. »

Ratio typica sacrificiorum veteris Testamenti iam velut pars in toto comprehenditur in ordine essentiali totius veteris oeconomiae et nominatim totius cultus externi. Sunt enim illic omnia praefiguratio, praeparatio et manuductio ad perfectius novum Testamentum; unde a fortiori eadem ratio adumbrationis intelligitur fuisse in sacrificiis, quae

tamquam pars praecipua religiosi cultus, non secus ac de sacramentis diximus, necessario respondent propriae indoli oeconomiae, ad quam pertinent (vide de Sacram. in Gen. th. II).

Multis et data opera totum id, quod enuntiatur in thesi, S. Paulus docet in epist. ad Hebr. Summa doctrina Apostoli haec est. 1°. Generatim sacerdotes Levitici serviunt in templo et cultu et sacrificiis, quae sunt typus et umbra coelestium futurorum in novo Testamento. Horum coelestium pontifex, sanctorum minister et tabernaculi veri, i.e. antitypi prae typo veteri, est Christus Heb. VIII. 1. 2. 5. Speciatim 2°. vetus illud Testamentum in suo cultu externo, suis caerimoniis, suis sacrificiis imperfectum erat, et per se sacrificia illa erant inefficacia ad expiationem peccatorum, sed solum referebantur ad expiationem legalem, « ad emundationem carnis »; hoc autem ipso exprimebant necessitatem expiationis verae, et protendebant sacrificium Christi cruentum, quo illa erat perficienda.

Ostendunt hanc relationem imperfecti ad futurum perfectum *a*) ipsa tabernaculi ac templi constructio a Deo praescripta, et ritus quo offerebantur sacrificia. Sacrificia enim offerebantur in atrio, non in interiori tabernaculo quod erat Sanctum Sanctorum; in hoc solus pontifex semel in anno ingrediebatur inferens sanguinem sacrificii, sed sanguinem inefficacem et typicum, « hoc significante Spiritu Sancto, nondum propalatam esse sanctorum viam, adhuc priori tabernaculo habente statum. Quae parabola (typus) est temporis instantis (praesentis), iuxta quam munera et hostiae offeruntur, quae non possunt iuxta conscientiam perfectum facere servientem ». Ita simul exprimebatur necessitas et praefigurabatur futura veritas sacrificii, quo Pontifex Iesus Christus « in amplius et perfectius tabernaculum, neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, aeterna redemptione inventa » Heb. IX. 1–12. Eadem ratio *b*) demonstratur continuâ repetitione sacrificiorum, quae singula non erant applicatio expiationis iam aliquo sacrificio completae, sed in omnibus exprimebatur indigentia expiationis adhuc

complendae; et ita erant simul continua praefiguratio et continua obiectiva promissio sacrificii, quo expiatio erat perficienda. « Umbram enim habens lex futurorum bonorum non ipsam imaginem rerum, per singulos annos eisdem ipsis hostiis, quas offerunt indesinenter, numquam potest accedentes perfectos facere; alioquin cessassent offerri, ideo quod nullam haberent ultra conscientiam peccati (pro quo non iam esset praestita satisfactio), cultores semel mundati... Et omnis quidem sacerdos (Leviticus) praesto est quotidie ministrans et easdem saepe offerens hostias, quae numquam possunt auferre peccata: hic autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei... Una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos » Heb. X. 1-29. Insuper *c*) illa antiqua sacrificia erant ad emundationem extrinsecam et typicam, atque per hanc praefigurabant sanctificationem intrinsecam perficiendam sacrificio Christi. Ideoque sicut Testamentum vetus cum sua hereditate temporaria, quae erat typus hereditatis aeternae propriae filiorum novi Testamenti, initiabatur sanguine typico sacrificiorum, unde etiam tabernaculum et omnia vasa, quae iterum praefigurabant Ecclesiam novi Testamenti, consecrabantur sanguiue typico: ita his respondet tamquam antitypus praefiguratus initiatio novi Testamenti et sanctificatio Ecclesiae per sanguinem sacrificii Christi Redemptoris, ex quo sacrificio adhuc futuro non autem ex sacrificiis praefigurantibus derivabatur etiam pro veteri Testamento omnis gratia ad remissionem peccatorum et ad sanctificationem intrinsecam. « Si enim sanguis hircorum et taurorum et cinis vitulae aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quanto magis sanguis Christi... emundabit conscientiam nostram... Et ideo novi testamenti mediator est, ut morte intercedente in redemptionem earum praevaricationum quae erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt, aeternae hereditatis. Ubi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris... Unde nec primum sine sanguine dedicatum est. Lecto enim omni mandato... omnem populum aspersit dicens: hic sanguis testamenti, quod man-

davit ad vos Deus. Etiam tabernaculum et omnia vasa ministerii sanguine similiter aspersit; et omnia paene in sanguine secundum legem mundantur, et sine sanguinis effusione non fit remissio. Necesse est ergo exemplaria (ὑποδειγματα typi) quidem coelestium his mundari, ipsa autem coelestia melioribus hostiis quam istis » Heb. IX. 13-23.

CAPUT II.

DE CRUENTO SACRIFICIO CHRISTI IN CRUCE.

THESIS V.

Quomodo Christus ut caput pro membris dederit se ipsum substitutionem pro genere humano.

« Sicut per symbolicas substitutiones in sacrificiis typicis veteris » Testamenti exprimebatur necessitas et indigentia vicariae substitutio- » nis pro lapso humano genere ad ipsius expiationem; ita Filius Dei » per incarnationem factus homo, mediator Dei et hominum, tamquam » secundus Adam et caput totius generis humani in plenitudine tempo- » ris dedit se ipsum magnam substitutionem pro omnibus, ut divinae » iustitiae satisfaceret. »

Substitutio symbolica in sacrificiis veteris Testamenti satis est in superioribus demonstrata tum ex ipsa sacrificiorum natura, tum ex divina institutione. Sensus praedominans in omnibus sacrificiis principalibus illius oeconomiae, in sacrificiis inquam cruentis, sine dubio est conscientia peccati nondum expiati et reatus ad mortem. Huius conscientiae illa sacrificia sunt expressio, et ad hanc fovendam simulque ad spem et desiderium futurae expiationis excitandum diriguntur: « per singulos annos eisdem ipsis hostiis, quas offerunt indesinenter, numquam potest accedentes perfectos facere; alioquin cessassent offerri, ideo quod nullam haberent ultra conscientiam peccati, cultores semel mundati » Heb. X. 1. 2. Ideo toto tempore, quo nondum est pro peccato oblata satisfactio, sacrificia perdurant cruenta: « omnia paene in sanguine secundum legem mundantur, et sine sanguinis effusione non fit remissio » ib. IX. 22. Ipsa ergo etiam expiatio realis illis sacrificiis praefigurata perficienda erat effusione sanguinis Christi. Contra vero hac

peracta, et ablata conscientia peccati pro quo satisfactio nondum sit praestita, desinunt sacrificia cruenta eo ipso, quod eis continetur expressio reatus satisfactione nondum praestitâ: « ubi horum remissio, iam non est oblatio pro peccato » ib. X. 14. 18. 26.

Iam sicut in typicis illis sacrificiis erat substitutio victimarum pro ipso homine ad expressionem reatus et indigentiae satisfactionis; ita Filius Dei factus homo se ipsum dedit substitutionem vicariam et victimam pro universo genere lapso ad perficiendam satisfactionem.

Imprimis velut conditio ad repraesentandum totum genus humanum coram Deo exhibetur in Scripturis, quod ipse Redemptor non solum verus homo est, sed etiam ex nostra generatione et cognatione, semen mulieris, ex patribus secundum carnem (Gen. III. 15; XII, 3 etc.; Gal. III. 16. 19; Rom. IX. 15), ut Deo satisfaceret non pro alienis sed pro suis, *homo pro hominibus* Heb. II. 11-17; 1 Tim. II. 5-6. Hinc ulterius ratio repraesentationis iuridicae et substitutionis pro humano genere declaratur, quod ipse caput est humani generis et secundus Adam in ordine reparationis, sicut primus Adam peccando repraesentabat totum genus in condemnationem (Rom. V.).

Porro factus homo ex nostro genere et caput generis humani in se suscepit causam nostram, et se ipsum pro nobis substituit ad satisfaciendum Deo pro omnibus peccatis. « Vere languores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portavit... et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum... si posuerit pro peccato (אָשָׁם) peccatum h. e. sacrificium pro peccato animam (vitam) suam, videbit semen longaevum etc. » Is. LIII. 4 sqq. « Christus dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis » Eph. V. 2. « Unus mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum redemptionem (ἀντιλυτρον pretium vicarium) pro omnibus » 1. Tim. II, 6. « Deus filium suum mittens in similitudinem (ἐν ὁμοιωματι) carnis peccati et de peccato (περι ἁμαρτιας propter peccatum) damnavit peccatum (nostrum) in carne Christi » Rom. VIII. 3. « Redemit nos de maledicto legis fac-

tus pro nobis maledictum » Gal. III. 13 cf. Deut. XXI. 23. « Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit (Deus), ut nos efficeremur iustitia Dei in ipso » 2. Cor. V. 21 etc.

SS. Patres frequenter hanc Christi substitutionem vicariam describunt, ex qua consequens est, ab ipso genere humano non in se quidem sed in suo capite satisfactionem Deo oblatam esse. Unde etiam Patres praeeuntibus Scripturis aiunt, nos omnes in Christo primitiis nostris mortuos esse, resurrexisse, regnare in coelis. « Crucifixi itaque cum eo fuimus, inquit Cyrillus Alexandrinus, quo tempore caro eius crucifixa est, quae universam quodammodo in se naturam continebat, sicut etiam in Adam, quando maledictionem ipse incurrit, natura universa maledictionis morbum contraxit » Cyrill. in Rom. VI. 6. (Mai Nova Bibl. PP. T. III. p. 13, et ib. P. II. p. 11).

THESIS VI.

Christus in ipsa Incarnatione constitutus est sacerdos.

« Ad hanc substitutionem complendam Iesus Christus in ipsa Incarnatione institutus est sacerdos ad se ipsum offerendum Deo hostiam pro peccatis; in cruce autem se ipsum in *verum et proprium sacrificium* actu obtulit. »

Hanc thesim multis demonstravimus in tractatu de Incarnatione, ad quem locum proprie pertinet. Summa autem haec est:

I. Christus vere et proprie erat sacerdos in vita mortali ad offerendum sacrificium, et manet sacerdos in aeternum. Doctrina est diserta S. Pauli ad Heb. Nam 1°. essentiam veri sacerdotii docet Apostolus esse destinationem ad offerendum sacrificium. « Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis » Heb. V. 1. Tum 2°. Christus fuit a Deo iureiurando constitutus sacerdos secundum ordinem Melchisedech, adeoque in ordine sacerdotii longe perfectiori quam erat sacerdotium Leviticum. Nam ipsius Melchisedech sacerdotium exhi-

betur superioris ordinis prae Levitico; quanto ergo perfectius sacerdotium Christi sit oportet, cum tota dignitas in Melchisedech, ut in typum, derivetur ex sacerdotio principali et antitypo, quod est sacerdotium Christi? Heb. VII. Hinc 3^{io}. necesse est, ut etiam Christus obtulerit sacrificium sed sacrificium respondens perfectioni novae oeconomiae et sui sacerdotii, atque ideo longe praestantius, quam erant sacrificia typica et inefficacia veteris Testamenti. « Omnis enim pontifex ad offerendum munera et hostias constituitur; unde necesse est et hunc habere aliquid, quod offerat. Si ergo esset super terram (sacerdos terrenus secundum ordinem veteris Testamenti), nec esset sacerdos, cum essent qui offerrent secundum legem munera, qui exemplari (typo) et umbrae deserviunt coelestium.... Nunc autem melius sortitus est ministerium (λειτουργιαν sacerdotium), quanto et melioris testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est etc. » Heb. VIII. 1 seqq.

II. Sacerdos ad se ipsum offerendum in sacrificium institutus est Christus in ipsa Incarnatione. Nam 1°. sacerdos est non secundum divinam sed secundum humanam assumptam naturam, et secundum hanc non alia consecratione quam destinatione divina et voluntaria susceptione muneris ad redemptionem humani generis per sacrificium crucis; haec autem destinatio et muneris susceptio continetur in ipsa Incarnatione. 2°. Id docetur diserte in Scripturis: « *Ingrediens in mundum* dicit: hostiam et oblationem (diversam ab ipso Christo sacerdote, ut erant hostiae veteris Testamenti) noluisti; *corpus autem aptasti mihi*... Tunc dixi: ecce venio... In qua voluntate sanctificati sumus *per oblationem corporis Iesu Christi semel* » Heb. X. 5-10 cf. ib. V. 5. 6.

III. In verum et proprium sacrificium sese Christum obtulisse in cruce, 1°. continetur iam in antecedentibus. Docet enim Paulus, ideo Christum proprio sensu esse sacerdotem, quia proprie dictum obtulit sacrificium; hoc autem sacrificium ibidem declarat Apostolus, esse peractum morte Christi cruenta. « Talis decebat ut nobis esset pontifex... qui non habet necessitatem quotidie... offerre... hoc enim fecit *semel seipsum offerendo* » Heb. VII. 26. 27. « Christus

pontifex futurorum bonorum... *per proprium sanguinem introivit semel in Sancta.* » « Neque ut saepe offerat semetipsum (tali oblatione cruenta), quemadmodum pontifex intrat in Sancta per singulos annos in sanguine alieno... nunc autem semel in consummatione saeculorum, ad destitutionem peccati, *per hostiam suam* (δια της θυσιας αὐτου) apparuit.» «Hic autem *unam pro peccatis offerens hostiam* (θυσιαν), in sempiternum sedet in dextera Dei... *Una enim oblatione* consummavit in sempiternum sanctificatos etc.» Heb. IX. X. Praeterea 2°. veritas et proprietas sacrificii in cruce oblati convincitur ex sacrificiorum veteris Testamenti relatione typica ad oblationem Christi in cruce tamquam ad complementum et sacrificium antitypum. Vide th. IV. Insuper 3°. constanter in universis Scripturis mors Christi exhibetur ut sacrificium, sacrificium in odorem suavitatis, sacrificium pro peccato θυσια, ἱλασμος, ἱλαστηριον, ἁμαρτια, περι ἁμαρτιας, προσφορα και θυσια etc. Is. LIII. 10; Rom. III. 25; VIII. 3; 2 Cor. V. 21; Eph. V. 2; 1 Io. II. 1. 2; Christus ut agnus ferens peccata mundi, cuius immolatione et sanguine redempti sumus Io. I. 29; 1 Pet. I. 19; Apoc. V. 6. 9. 12; XIII. 8; 1 Cor. V. 7 etc.; Christus ut sacerdos et victima sanctificans in morte se ipsum pro nobis Io. XVII. 19.

Hinc Christiani omnes inde ab aetate apostolica, etiam haereticis non exceptis, saltem iis, qui Christum vere hominem non negabant, in hoc dogma semper consenserunt unanimes; Sociniani demum et Rationalistae sicut ceteras notiones christianas, ita hanc quoque doctrinam de sacrificio Christi cruento tamquam substitutione pro genere humano lapso penitus perverterunt.

IV. Superest, ut indicemus per summa capita declarationem, *quomodo* proprie dictum sacrificium in cruce oblatum intelligi possit. Imprimis *victima* quae offerebatur, est ipse Filius Dei caro factus, ad hoc datus, ad hoc incarnatus, ad hoc pro humano genere, a quo naturam assumpsit, substitutus, ut se vitamque suam humanam pro omnibus offerret sacrificium. Idem ergo ipse secundum naturam suam divinam est Deus, cui offertur sacrificium, et secundum naturam humanam est sacerdos simul qui offert,

et victima quae offertur. « Cum in forma Dei sacrificium cum Patre sumat, cum quo et unus Deus est, tamen in forma servi sacrificium maluit esse, quam sumere... Per hoc et sacerdos est, ipse offerens ipse et oblatio August. de Civ. Dei l. X. 20. cf. de Trin. l. IV. c. 14. Non ergo hypostasi distinguuntur accipiens, offerens, et oblatus (1), sed idem est accipiens secundum unam naturam, qui offerens et oblatio secundum naturam alteram; offerens quidem quatenus agit, oblatus quatenus patitur.

Forma sacrificii seu actio sacrificalis et sacerdotalis praesertim in sacrificio, ubi sacerdos destinatus est a Deo ad se ipsum offerendum (cf. supra pag. 298), non est materialis occisio, neque alia realis aut verbalis caerimonia, sed consistit in voluntaria admissione mortis atque in oblatione vitae et sui totius Deo facta. Haec autem oblatio in sacrificio crucis et verissima fuit et non solum interna, sed extrinsecus in visibili victima sese manifestavit ipsa destructionis libera admissione, et tormentorum, quae ab occisoribus solum materialiter inferebantur, voluntaria directione ad se ipsum offerendum, et spiritus emissione in cruce Io. X. 17. 18; Heb. X. 10. Non ergo occisores, quod absit, sacerdotalem actionem administrabant, sed solus ipse Christus magnus sacerdos obtulit in cruce sacrificium.

Finis et effectus huius sacrificii *a*) relate ad Deum est agnitio divinae maiestatis omnium, quae esse potest, maxima; et per hanc honor exhibitus simpliciter infinitus, consequenter compensatio iniuriae per peccatum illatae i. e. satisfactio infiniti pretii. Quae quidem honoris et satisfactionis dignitas derivatur primum a persona honorante, quae est Filius Dei; tum fundatur in pretio morali rei oblatae, quia est oblatio vitae eiusdem Filii Dei secundum humanam eius naturam. *b*) Relate ad

(1) Pater, Filius, Spiritus Sanctus sunt accipiens sacrificium, quatenus Deus unus sunt; offerens vero est solus Filius, quia non offert secundum naturam, qua unum est cum Patre et Spiritu Sancto, sed secundum naturam ipsi soli factam propriam, distinctam et diversam a natura, qua cum Patre et Spiritu Sancto unus Deus est.

homines, pro quibus facta est substitutio et sacrificium est oblatum, Deus acceptat satisfactionem pro toto humano genere et pro singulis ita (1), ut hoc pretium redemptionis, quantum ex se est et voluntate antecedente omnibus velit prodesse secundum ordinem suae sapientiae et providentiae. Hinc restauratio totius generis lapsi in ordinem supernaturalium gratiarum et in destinationem ad adoptivam filiationem et hereditatem filiorum est ex pretio sacrificii crucis. Filius ergo Dei morte sua et sanguinis effusione sacrifica novum condidit aeternum Testamentum, ad quod pertinet etiam totus supernaturalis ordo temporis antecedentis derivatus ab eodem sacrificio promisso et praeviso. Ut omnes possint capessere hereditatem, satisfactione eadem placatus et propter meritum sacrificii crucis instituit Deus pro omnibus media sanctificationis, et omnibus destinat actuales gratias necessarias ad sanctificationem et salutem, quae igitur omnia tum media extrinseca sanctificationis, tum actuales gratiae, tum ipsa sanctificatio et salus aeterna sunt fructus et merces infiniti meriti sacrificii in cruce oblati. Ex hac tamen ipsa gratiarum distributione et institutione mediorum salutis *c*) patet, ad applicationem meriti et ad effectum sanctificationis et salutis in actu secundo obtinendum postulari ex parte hominis usum mediorum et cooperationem cum gratia. Vide ampliorem explicationem in tractatu de Incarnatione.

(1) Patet, divinam acceptationem contineri in ipso aeterno consilio Incarnationis, in missione et destinatione Christi in Mediatorem et Redemptorem generis humani Heb. X. 5-10.

THESIS VII.

Consummatio meriti et satisfactionis Christi pro nobis in sacrificio crucis.

« Hoc cruento sacrificio satisfactio pro peccatis completa et meritum » ad conciliandas quasvis gratias consummatum est ita, ut nec redem- » ptionis meritum amplius augendum sit, nec « alia relinquatur pro » peccatis hostia, » ex qua neglecto fructu illius unius sacrificii semel » oblati satisfactio et redemptio expectari possit. »

Meritum redemptionis consummatum est et satisfactio pro peccatis ita completa sacrificio crucis, ut nullum sit hominum peccatum aut esse possit, pro quo ea, quantum ad sufficientiam, non sit persoluta; et cuius proinde remissio ex parte Dei non fuerit parata propter ipsam Christi satisfactionem, dummodo homines mediis institutis ad eius applicationem et gratiis propter idem meritum concessis uterentur.

Consummatio haec meriti et satisfactionis per sacrificium in cruce est unum ex primariis capitibus doctrinae christianae tam ut in Scripturis praesertim novi Testamenti consignata est, quam ut in universali praedicatione et professione ecclesiastica continetur. Hic sola declaratione ab Apostolo in epist. Hebr. tradita contentis nobis esse licet.

Docet Apostolus diserte 1°. *per affirmationem,* Christum simul et semel redemptionem ac proinde satisfactionem et meritum, quo facta est redemptio, sacrificio crucis consummasse. Christus sacerdos in aeternum et sine successore in suo ordine (Heb. VII. 23) « non habet necessitatem quotidie hostias (alias et alias ut in sacrificiis inefficacibus veteris Testamenti) offerre, *hoc enim fecit semel seipsum offerendo* » ib. VII. 27; « per proprium sanguinem introivit *semel* in Sancta, *aeterna redemptione inventa* » ib. VIII. 12; « neque ut saepe offerat semetipsum, quemadmodum pontifex intrat in Sancta per singulos annos... nunc autem *semel ad destitutionem peccati per hostiam suam apparuit* » ib. IX. 25-28; « *sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel* (ἐφαπαξ) » ib. X. 10; « omnis sacerdos

praesto est quotidie ministrans... hic autem *unam pro peccatis offerens hostiam* in sempiternum sedet in dextera Dei »; « *una enim oblatione consummavit in sempiternum* (ἐις το διηνεκες) *sanctificatos* » ib. X. 11-14.

Ulterius 2°. hoc ipsum declarat *per negationem.* Completo scilicet merito redemptionis et consummata satisfactione per sacrificium crucis iam nullum aliud sacrificium vel requiritur vel exstat, quo novum meritum et nova satisfactio ad redemptionem humani generis superaddatur, quamvis, ut statim dicemus, possit esse et sit perpetua repetitio sacrificii ad perpetuam applicationem meriti semel consummati: « ubi enim horum (peccatorum) remissio (propter praestitam satisfactionem adaequatam parata remissio ex parte Dei), *iam non est oblatio pro peccato* » ib. X. 18. Si quis ergo ab eo sacrificio et ab ea redemptione unica semel completa sese seiungit atque ei velut renuntiat, pro illo nullum aliud exstat sacrificium redemptionis: « *iam non relinquitur pro peccatis hostia*, terribilis autem quaedam exspectatio iudicii » ib. X. 26.

Thesaurus ergo ille infinitus meriti in cruce consummati nec minui potest, nec amplius alio sacrificio augetur. Quaecumque vero gratia inde a lapsu primi hominis sive ante sive post completum illud sacrificium collata umquam fuit vel conferetur, quaecumque fuit vel est mediorum divinitus institutorum dignitas et virtus ad sanctificationem, quaecumque antecedentium sacrificiorum supernaturalis significatio et sacrificii subsequentis in Ecclesia efficacia; id totum est ex merito in cruce consummato, eiusdemque ad singulos multiplex applicatio ab origine ad finem saeculorum decurrens semper nova in effectu semper eandem habet supremam causam meritoriam.

THESIS VIII.

Sacrificium unicum cruentum ad consummationem meriti non excludit sacrificium perenne ad eiusdem meriti applicationem.

« Plenitudo meriti et satisfactionis consummata per sacrificium crucis, cuius solius unitatem Paulus in sua epistola ad Heb. comparat cum multiplicatione sacrificiorum veteris Legis, nullatenus excludit sacrificium perenne, quo meriti eiusdem et satisfactionis continua fiat applicatio; imo si quod huiusmodi institutum est, sacrificii crucis semel oblati virtus inexhausta eo illustrius demonstratur. »

Scopus S. Pauli in ep. Heb. non est declarare cultum religiosum in Ecclesia Christi comparate ad cultum Legis Mosaicae; sed scopus est demonstrare excellentiam sacerdotii Christi, quatenus se ipsum obtulit *cruento sacrificio,* prae sacerdotio Aaronico, cuius oblationes erant victimae animalium et sanguis alienus. Hoc autem ipso excellentiam et efficaciam unius sacrificii cruenti in cruce opponit inefficaciae multiplicatorum sacrificiorum veteris Legis.

Formalis ratio, sub qua Apostolus instituit comparationem inter sacrificia vetera et sacrificium in cruce, ea est, quod illa sacrificia vetera nullam per se praestabant satisfactionem pro peccatis, sed solum erant expressio reatus et indigentiae satisfactionis; Christus autem suo sacrificio cruento plenam exhibuit satisfactionem pro omnium hominum peccatis et adaequatum meritum redemptionis. Hinc in illis sacrificiis semper manebat conscientia peccati, pro quo nondum sit exhibita satisfactio; et ideo ad eandem indigentiam redemptionis exprimendam continuo repetebantur: « per singulos annos eisdem ipsis hostiis, quas offerunt indesinenter, numquam (Lex vetus) potest accedentes perfectos facere; alioquin cessassent offerri, ideo quod nullam haberent ultra conscientiam peccati, cultores semel mundati; sed in ipsis commemoratio peccatorum (pro quibus nondum praestita satisfactio) per singulos annos fit » Heb. X. 1-3. Scilicet « accusatio peccatorum fuit quod fiebat, non solutio » Primas. in Heb. X. Bibl. Max. Patrum T. X. p. 269.

Non igitur universim de quavis ratione sacrificii docet Apostolus, repetitionem sacrificii esse argumentum inefficaciae et imperfectionis; sed docet, repetitionem *talium* sacrificiorum, quae ordinentur ad eandem semper indigentiam satisfactionis nondum praestitae exprimendam, esse demonstrationem inefficaciae ad satisfactionem praestandam.

Ex adverso sacrificium crucis infinite meritorium hoc ipso, quod complevit adaequatam satisfactionem, semel tantum est oblatum, nec ulla eius repetendi est necessitas; imo si repeteretur ad novam satisfactionem et ad novum meritum comparandum, eo ipso negaretur consummatio satisfactionis completa per sacrificium prius oblatum. Hoc intelligendum est eo fere modo, quo in singulis Christi operibus inde a primo instanti assumptae humanae naturae est quidem in se et in actu primo pretium infinitum et ideo sufficientissimum ad redemptionem, iuxta acceptationem tamen Dei et ex intentione Christi redemptio in actu secundo per omnia alia subsequentia opera suppleta est et sacrificio crucis demum consummata. Propterea igitur quia plena consummatio pretii redemptionis est facta per sacrificium crucis, ut Paulus docet, hoc sacrificium non est nisi unicum. « Una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos... Ubi autem horum remissio (secundum consummatam satisfactionem), iam non est (talis) oblatio pro peccato » ib. X. 14. 18. Ergo iterum non docet Paulus, perfectione sacrificii crucis excludi repetitionem cuiusvis sacrificii etiam ad applicationem meriti semel consummati; sed docet, excludi sacrificium, quod vel sit confessio satisfactionis nondum praestitae, ut erant sacrificia veteris Testamenti, vel quod ordinetur ad complendum meritum redemptionis aut ad novam redemptionem, ac si haec nondum esset consummata.

Clarum est igitur, 1°. iis omnibus, quae docet Apostolus de unitate sacrificii crucis propter perfectionem consummatae satisfactionis et de multiplicatione sacrificiorum veteris Testamenti propter inefficaciam, qua tantummodo erant expressiones nondum praestitae satisfactionis, non excludi sacrificium perenne ad applicationem satisfactionis in

cruce completae. Imo si spectatur modus, quo se habet Christi satisfactio postulans applicationem (cf. p. 313.), et si simul spectatur natura cultus publici et solemnis, cuius perfectio sacrificio continetur; institutio huiusmodi iugis sacrificii pro cultu perfectiori novi Testamenti exigi omnino videtur (cf. Conc. Trid. sess. XXII. cap. 1).

2°. Pro scopo declarandi perfectionem sacrificii crucis in oppositione ad imperfectionem sacrificiorum Legis, nulla Paulo fuit necessitas seorsum et explicite h. l. agendi etiam de sacrificio incruento et perenni in novo Testamento instituti ad applicationem meritorum sacrificio crucis consummatorum. Eo minus haec erat necessitas, quod iuge sacrificium novi Testamenti unum est cum sacrificio crucis tum victimâ, tum sacerdote principali, tum satisfactione et merito, et solum modo offerendi diversum (cf. Conc. Trid. sess. XXII. cap. 1. 2). Quam unitatis rationem Apostolum in hac epistola prae oculis habuisse, haud aegre deducitur ex iis quae scribit c. XIII. 10-13, in Ecclesia novi Testamenti esse *altare,* cuius sacrificium est Christus oblatus, Christianos participare de hoc sacrificio manducatione, sicut filii Synagogae participant de victimis oblatis; de altari autem nostro iis partecipare fas non esse, sed ad hoc ius acquirendum oportere exire e Synagoga et transire ad Ecclesiam Christi crucifixi, sicut ipse obtulit sacrificium cruentum extra portam Ierusalem (1).

Una manet adhuc declaranda difficultas, quod Paulus diserte proponit Christum ut sacerdotem *secundum ordinem Melchisedech,* et tamen saltem directe et explicite non considerat iuge sacrificium incruentum, quo proprie et formaliter constituitur sacerdotium Christi *secundum ordinem Melchisedech.*

Est quidem tum ex modo sacrificii Melchisedech (Gen. XIV. 18) tum ex intellectu catholico et Patrum consensu certum, a sacerdotio Melchisedech spectato secundum ritum (ταξιν דִּבְרָה) praefigurari sacerdotium Christi imprimis,

(1) Vix potest negari modum loquendi S. Pauli h. l. praeseferre eas cautiones, quae a Patribus in usum deductae constituebant *disciplinam arcani.*

quatenus offert se ipsum modo incruento sub speciebus panis et vini (vide Patres apud Petav. de Incarn. l. XII. c. 12. n. 6. sqq.; Bellarmin. de Euch. l. V. c. 6 etc. etc.). At Paulo in sua epistola non erat propositum comparandi sacerdotium Melchisedech cum sacerdotio Christi secundum similitudinem ritus, sed contendendi perfectionem sacerdotii Christi secundum oblationem cruentam in cruce cum imperfectione sacerdotii Levitici in suis oblationibus inefficacibus ad satisfactionem, ut satis demonstratum est. Hinc considerat in Melchisedech typo Christi sacerdotis ea, quae eum ostendunt excellentiorem sacerdotibus Leviticis, quod ei Abraham et in Abraham tribus Levi decimas dedit, quod ipso nomine erat rex iustitiae, munere rex pacis, sacerdotio sine antecessore et sine successore, et ita typus sacerdotis in aeternum (Heb. VII); non autem ad hunc scopum pertinebat consideratio oblationis in pane et vino, cuius antitypum in oblatione incruenta sub specie panis et vini Apostolus, ut diximus, saltem directe non spectabat.

CAPUT III.

DE VERITATE SACRIFICII EUCHARISTIAE.

THESIS IX.

Veritas sacrificii Eucharistiae demonstrata ex perpetua et universali traditione.

« Consensus totius nominis christiani inde ab aetate apostolica theoretice et practice se manifestans, ex liturgiis orientalibus et occidentalibus Patrumque scriptis comprobatus, certos non reddit, instituisse Salvatorem qui ad merendam redemptionem sacrificio cruento semel est oblatus, ut ipse idem *sacrificio incruento, vero tamen et proprio* ad applicandum redemptionis meritum perpetuo offerretur in Eucharistiae celebratione. »

Quod dicimus in thesi, tam est constans, ut Grabius Lutheranae primum deinde Anglicanae sectae homo rei evidentia convictus ingenue agnoverit traditionem apostolicam dogmatis catholici ac fassus sit « Lutheri et Calvini errorem », et Deum bonum, errorem quantum! scilicet « emendatores sacrorum », ut appellabantur, ipsam substan-

tiam cultus christiani a Christo Deo instituti pervertisse et penitus sustulisse. Verba Grabii in adnotat. ad S. Iren. l. IV. c. 32 haec sunt: « Certum est, Irenaeum ac omnes, quorum scripta habemus, Patres Apostolis sive coaevos sive proxime succedentes s. Eucharistiam pro novae Legis sacrificio habuisse, et panem atque vinum tamquam sacra munera in altari Deo Patri obtulisse, ante consecrationem quidem velut primitias creaturarum in recognitionem supremi eius super universa dominii (hoc falsum, nisi quatenus panis et vinum est terminus *a quo*), post consecrationem vero ut mysticum (substantiale tamen ac reale) corpus et sanguinem Christi ad repraesentandam cruentam personalis (debuit dicere: in propria specie et statu connaturali) eius corporis ac sanguinis in cruce oblationem, et beneficia mortis eius omnibus, pro quibus offerretur, impetranda. Atque hanc non privatam particularis Ecclesiae vel Doctoris, sed publicam universalis Ecclesiae doctrinam atque praxin fuisse, quam illa ab Apostolis, Apostoli ab ipso Christo edocti acceperunt, diserte docet Irenaeus, atque ante ipsum Iustinus Martyr, cuius ut et S. Ignatii, Tertulliani, Cypriani aliorumque verba describere non est necesse. Unius solum Clementis Romani verba certissime genuina ex eius ad Corinthios epistola adducere placet (sequuntur citationes ex Clem. 1. epist. n. 40. 44). Atqui cum huius epistolae auctor ille ipse Clemens fuisse videatur, cuius nomen in libro vitae scriptum Phil. IV. 3 scripsit Paulus, cumque is duobus vel tribus post Petri et Pauli Apostolorum martyrium, et viginti ante S. Ioannis obitum annis scripserit, vix ullus dubitandi locus relictus est, ab ipsis SS. Apostolis hanc de sacrificio Eucharistiae doctrinam promanasse, ac proinde omnino tenendam esse, licet nullum pro ea dictum ex ipsis Prophetarum vel Apostolorum scriptis adduci posset... Iosephi Medi sententiae toto corde subscribo atque opto, ut postquam multi pii doctique e parte Protestantium viri hunc Lutheri et Calvini errorem, ac veram apostolicae Ecclesiae doctrinam bene agnoverunt, huius quoque sanctissimas formulas liturgicas, quibus dictum sacrificium Deo offertur, ab illis male e

suis coetibus proscriptas in usum revocent, et hunc summum Divinae Maiestati honorem debite reddant. » Hactenus Grabii Protestantis verba, quae non solum in hac re impiam Reformatorum haeresim detegunt, sed haec ipsa essentialis cultus christiani destructio evidenter simul convincit, nec illos sacrilegos homines potuisse esse emendatores sacrorum, nec communiones ex his originibus ortas posse esse Ecclesiam Christi, quantumvis hanc particularem impietatem suorum fundatorum postliminio reiicere in animum inducerent. Verum haec generalior disputatio non huius est loci.

Prolixa testimonia ad theseos probationem cum accuratiori indicatione locorum unde petuntur, habes passim apud theologos et liturgiarum collectores, nobis in re eliquatissima compendio uti licet. Consuli possunt Bellarminus de Euch. lib. V. et VI; Maldonatus de Euch. P. III. p. 226 sqq.; Petavius de Incarnat. l. XII. c. 12-14; Drouin de Re Sacrament. l. V. q. 4. cap. 2; Scheffmacher in epistolis ad Protest. T. II. epist. I; Muratorius in dissertatione de reb. liturg. cc. 16–18 (praefixa T. I. Liturgiae Romanae); Assemanius in Cod. Liturg. T. IV. dissertat. praevia p. 25 sqq.

I. Liturgiae antiquae apud diversas nationes orientis et occidentis, apud diversas sectas a catholica Ecclesia pridem avulsas, linguis diversis exaratae ab Indis usque ad Hispanias, ab Aethiopia usque ad Moscovitas inde a primis susceptae fidei temporibus in quotidiano publico et solemni usu, licet in multis inter se discrepent, in hoc tamen omnes velut in re praecipua et substantia totius religiosi cultus evidenter conspirant, quod tam sacris caerimoniis quam verbis clarissimis sistunt celebrationem Eucharistiae ut verum et proprium sacrificium Agni immaculati Christi Iesu. Nulla enim est inter omnes, quae in Canone (Actione, ἀναφορᾷ) et in aliis orationibus sacrificium non aeque clare exhibeat ac Canon Liturgiae Romanae, quem Novatores saeculi XVI. reiecerunt ideo, « quia in eo omnia fere sonant ac olent oblationes» (Lutherus apud Bellarmin. l.V. c.5). Vide Conc. Trid. sess. XXII. cap. 4. can. 5.

Formulae ubivis obviae in diversis Liturgiis sunt: 1° *locutiones generales*, quae praesertim spectatae in suo solemni et universali usu etiam per se solae sufficerent: « offerimus, immolamus, deferimus immolandas hostias, sacrificium, holocaustum, sacrificium perenne, sacrificium incruentum, sacrificium sanctum, divinum, coeleste, tremendum et incruentum, rationabilem (1) et incruentam λατρειαν. »

2° Declaratur sacrificium perenne et singulare ita, ut victima sit semper eadem, idem semper Agnus immaculatus. Dicitur: « sacrificium singulare, quod Maiestati tuae semper redditur et debetur; » spiritualis hostia, quae ineffabili mysterio immolatur semper et eadem semper offertur; » Agnus Dei, qui se pro nobis offerendo non desinit; » « qui numquam moritur immolatus, sed semper vivit occisus; » « Agnus vivens; » « sacrificium vivum altaribus impositum; » et contra spectato formali statu victimae: « Agnum occisum super altare videmus »; nam « gladius est rationalis et incorporeus in hoc sacrificio, quod tibi offerimus. »

3ᶦᵒ Christus simul sacerdos et victima et suscipiens sacrificium laudatur ipse huius sacrificii institutor: « qui formam perennis sacrificii instituens se tibi primum obtulit et prius docuit offerri; » in nocte coenae « Iesus Christus sacrificandi ritum instituit, dum panem et vinum in sacramentum sui corporis et sanguinis transformavit », « dedisti nobis Filium tuum unigenitum, debitorem et debitum, hostiam et unctum, agnum et panem coelestem, summum sacerdotem et sacrificium, quia ipse semper inconsumptibiliter distribuitur inter nos. »

(I) Haec designatio « *rationabile* sacrificium » frequentissima in Liturgiis orientis et occidentis sine dubio quoad verbum materiale desumpta est ex Rom. XII.1. Quomodocumque apud Paulum explicetur, certe in Liturgiis non ad modum offerendi et ad opus operantis refertur, sed designat ipsam victimam rationalem, i. e. Christum Agnum vivum in oppositione ad sacrificia irrationalium animalium in veteri Testamento. Patet id ex aliis epithetis coniunctis. Sic Iacobus Edessenus in Exposit. Liturg. apud Asseman. Bibl. Or. T. I. p. 479 sq. appellat « sacrificium rationabile, tremendum, et incruentum. » ܕܒܚܬܐ ܡܡܠܠܬܐ ܕܕܚܝܠܬܐ ܕܠܐ ܕܡܐ

4° Ubique hoc sacrificium tamquam implementum (πλήρωμα) confertur cum sacrificiis typicis veteris Testamenti: « altaribus tuis non ignis alienus nec irrationabilium cruor effunditur animalium, sed Spiritus Sancti operante virtute sacrificium iam nostrum corpus et sanguis est ipsius sacerdotis Christi Domini Nostri; » « tuae laudis hostiam iugiter immolamus, cuius figuram Abel iustus instituit, agnus quoque legalis ostendit, celebravit Abraham, Melchisedech sacerdos exhibuit, sed verus Agnus et aeternus Pontifex Christus implevit. »

5° Angeli ministrant praesenti sacrificio: « Virtutes coelorum stant nobiscum in sanctuario et ministerium exhibent corpori Filii Dei, qui immolatus est coram nobis; » « Dominus dominantium progreditur, ut mactetur et detur in cibum fidelibus, eum autem praecedunt chori Angelorum. »

6° Hoc ipso immolatur victima, quod (per transsubstantiationem) fit praesens corpus et sanguis in statu cibi ac potus; sollicite tamen a sumptione et participatione victimae ipsa sacrificatio semper distinguitur: « Fili Dei, qui immolatus Patri pro reconciliatione panis vitae distribueris inter nos; » « tribue quaesumus, ut eum praesentibus immolemus sacrificiis et sumamus; » « in ipsius Agni immaculati agnitione gloriantes, qui se ipsum pro nobis obtulit immolandum, ut corpore eius et sanguine ad aeternam vitam sacrificiis coelestibus pascamur. »

7° Exprimitur professio veritatis sacrificii luculentissime in iisdem Liturgiis, ubi describitur tamquam sacrificium propitiationis pro universa Ecclesia, pro vivis et pie defunctis, cum relatione quidem ad sacrificium crucis sed tamen ita, ut propitiatorium dicatur praesens sacrificium a sacerdote oblatum (qua de re infra specialius nobis agendum erit). Rogatur Deus « per oblationem hanc sanctam et sacrificium propitiatorium, quod Deo Patri oblatum, sanctificatum et perfectum est per illapsum Spiritus sancti; » « offeram tibi sacrificium hoc rationabile, incruentum, in remissionem peccatorum meorum, veniam delictorum populi tui, requiem et refrigerium patrum nostrorum, qui obdormierunt; » « mirandae dispositionis effectus, quod de substantiae genere

peccatricis immaculata hostia gigneretur, cuius pro eiusdem naturae reatu possis immolatione placari; » « suscipe Domine sacrificium, cuius te voluisti dignanter immolatione placari; » « suscipe hoc sacrificium ex manibus meis (sacerdotis), ut mihi placatus sis; » « sacrificii praesentis oblatio mea expurget facinora, per quod totius mundi voluisti relaxari peccata; » « qui nos tunc reparasti per crucem, per ipsum immaculatum panem et sanguinem iterum lapsos repara; » « nullum umquam ex his, pro quibus holocausta franguntur, muneris sui exterum esse patiatur; » « propitius esto Domine animabus defunctorum, pro quibus offerimus hoc sanctum sacrificium » etc.

II. Sicut « legem credendi lex statuit supplicandi (cf. supra p. 109.), ita vicissim lex credendi disponit ac dirigit formam supplicandi. Liturgiarum igitur tantus consensus in orbe universo est splendidissima expressio fidei universalis in veritatem divinitus traditam sacrificii eucharistici; eoque ipso illa unanimis forma precandi pro singulis et universis est simul lex credendi. Fieri ergo non potuit, quin fidei custodes et doctores idem dogma constanter tradiderint in suo munere docendi, quod solemniter quotidie coram universa Ecclesia in liturgiis profitebantur.

1°. Itaque celebratio Eucharistiae a Patribus omnium Ecclesiarum et omnium aetatum inde a Clemente Romano, Iustino, Irenaeo, Tertulliano, Cypriano nomine sacrificii, immolationis, oblationis constanter designatur et iis in adiunctis, ut hanc appellationem tamquam nomen proprium a fidelibus habitam fuisse demonstretur. Reperitur enim imprimis haec celebrationis eucharisticae appellatio simpliciter et sine addito, quando Patribus de re alia agentibus mentio incidit Eucharistiae, ubi nomine notissimo et omnibus familiari designanda erat. Ita in Concilio Nicaeno I. can. 18; in epistola Iulii Pontificis ad Eusebianos n. 12; apud Tertullianum, Optatum, Siricium, Innocentium I. etc., quos vide penes Petavium l. c. Praeterea epitheta quae solent addere, sacrificium sensu proprio intelligi debere convincunt; dicunt enim « plenum et verum sacrificium » Cyprianus, « summum et verissimum sacrificium » Augustinus,

« sacrificium Deo plenum » Eusebius, « sacrificium tremendum » Cyrillus Hierosolymit., Chrysostomus et alii. (Vide Bellarmin. l. V. c. 15. §. « Quinto Patres » etc.).

2°. Tradunt, hoc sacrificium in universa Ecclesia quotidie Deo offerri: « Ecclesiae oblatio quam Dominus docuit offerri in universo mundo, purum sacrificium reputatum est apud Deum » Iren. l. IV. c. 18; « sanctum, vivificum et incruentum sacrificium (θυσιαν) per Ecclesias celebramus (τελοῦμεν), non simplicis hominis corpus esse credentes, quod propositum est » Cyrillus Alex. explicat. anathem. XI. T. VI. p. 156; « sacerdotes sacrificia Deo quotidie celebrant » Cyprianus ep. 54. ad Cornelium. Vide Hieronymum, Fulgentium etc. ll. cc.

3tio. Docent frequenter, sacrificium perenne novi Testamenti successisse sacrificiis typicis veteris Legis. « Sacrificium similae typus erat panis Eucharistiae, quem Dominus tradidit facere (ὃν παρέδωκε ποιεῖν). De sacrificiis a vobis (Iudaeis) quondam oblatis dicit Deus per Malachiam: non est mihi voluntas etc.; de sacrificiis autem panis Eucharistiae et calicis Eucharistiae a nobis gentibus in omni loco ei oblatis praedixit tunc, nomen eius a nobis glorificari. » Iustinus dialog. cum Tryph. nn. 41. 111. 117. « Tanto magis impius est, qui audet impurus offerre in sacrificium corpus Domini, qui dedit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo, quanto unigeniti Filii corpus arietibus et tauris antecellit » Basilius de Baptism. l. II. q. 2. « Mensam sacerdos ipse Mediator novi Testamenti exhibet secundum ordinem Melchisedech de corpore et sanguine suo; id enim sacrificium successit omnibus illis sacrificiis veteris Testamenti, quae immolabantur in umbra futuri... quia pro illis omnibus sacrificiis et oblationibus corpus eius offertur et participantibus ministratur » Aug. de Civ. Dei l. XVII. 20; cf. l. X. 20.

4°. Declarant, eo ipso Christum in ultima coena se ipsum obtulisse in sacrificium, quod se constituit in statu cibi et potus, atque ita se secundum ipsam humanitatem exinanivit. Gregor. Nyss. de resurrect. T. II. p. 821; Dionys. Alex. (vel alius vetustus Doctor) contr. Samosat. q. 7. ed.

De Magistris p. 254; Cyrill. Alex. (vel alius) de mystic. coena T. V. P. II. p. 374, de quibus alibi dicemus.

5° Christus ipse est, qui per suos ministros in altaribus se offert in sacrificium, et ipse est victima una numero tam in cruce quam in omnibus altaribus. « Sequimur Christum, ut possumus, sacerdotes, ut offeramus pro populo sacrificium, etsi infirmi merito, tamen honorabiles sacrificio, quia etsi nunc Christus non videatur (oculis corporis) offerre, tamen ipse offertur in terris, quando Christi corpus offertur; immo ipse offerre manifestatur in nobis, cuius sermo sanctificat sacrificium quod offertur » Ambros. in Ps. XXXVIII. n. 25. « Eundem semper offerimus, hoc est non nunc ovem aliam cras aliam sed eandem semper, itaque unum est sacrificium. Eo quod multis in locis offertur, multine sunt Christi? Nequaquam, sed unus ubique Christus. Quomodo ergo qui multis in locis offertur, unum est corpus non multa corpora, ita etiam unum est sacrificium. » Chrysost. in Heb. hom. XVII. n. 3. etc.

6° Distinguunt hoc verum et proprium sacrificium quod a solis sacerdotibus potest offerri, a sacrificiis improprie dictis, a sacrificio interno et sacrificio sui ipsius. « Sciens ego, neminem dignum esse magno Deo et sacrificio et sacerdote, qui non prius se ipsum obtulerit Deo hostiam viventem... Deoque sacrificium laudis immolaverit et spiritum contritum, quod solum sacrificium omnium largitor postulat a nobis (ex nostro *opere operantis* offerendum, et ut finem proximum sacrificii externi, et omnibus necessarium *necessitate medii* absoluta); quomodo possem audere offerre ei sacrificium externum, magnorum mysteriorum antitypum, aut quomodo sacerdotis habitum et nomen subirem? » Gregor. Nazianz. or. II. (al. I.) n. 95. « In novo Testamento habent exsors sacerdotium ad offerendum sacrificium incruentum, quibus hoc offerre fas est; unusquisque autem proprii corporis sacerdos ordinatus est. » Isidorus Pelus. l. III. ep. 75. Similis oppositio occurrit apud Cyprianum, Eusebium aliosque.

Pariter distinguunt ab oblatione sacrifica orationes et alios ritus coniunctos cum oblatione corporis et sanguinis

Christi: « Postquam perfectum est spirituale sacrificium (πνευματικη θυσια cf. supra p. 151), incruentus cultus (ἀναιμακτος λατρεια), super illam hostiam propitiationis obsecramus Deum pro communi Ecclesiae pace... et universim pro cunctis auxilio indigentibus precamur nos omnes, et hanc victimam offerimus » Cyrill. Hieros. Cat. myst. V. n. 8. Eusebius, Gregorius Nazianzenus etc. Advertendum tamen est, aliquando nomine *precum* vel *orationis* venire totam sacram liturgiam adeoque ipsam sacrificationem, ut apud Ignat. ad Smyrn. n. 7 (1), Iustin. dialog. n. 117, Tertullian. de orat. c. 14. Ita etiam nomen ipsum εὐχαριστια et εὐχαριστεῖν aliquando significat consecrationem et sacrificationem (cf. supra p. 81.).

Ulterius distinguunt constanter etiam Patres, sicut in Liturgiis vidimus, sacrificationem et sacrificium iam oblatum a participatione victimae (Conc. Nicaen. Gregor. Nyss. Tertullian. Cyprian. Hieronym. etc.), quod contra eos etiam notandum, qui actionem sacrificam constituunt in communione sacerdotis.

Postremo distinguunt sacrificium, quod semper offertur in altari, a sacrificio semel oblato in cruce ita, ut una quidem numero sit victima, sed diversa actio sacrifica. Unde quando actionem cum actione comparant, aiunt mortem Christi et immolationem, intellecto hoc nomine de reali vitae destructione, in Eucharistia esse mysticam, et imaginem mortis ac immolationis, quae facta est in cruce (conf. supra p. 132. 133. et Bellarmin. l. V. c. 15. §. « Alter modus exponendi etc.). « In hac veritate qua sumus (comparate ad umbras veteris Testamenti), unus *pro omnibus mortuus est,* et idem per singulas Ecclesiarum domos in mysterio panis et vini *reficit immolatus,* vivificat creditus, consecrantes sanctificat consecratus... voluit animas pretioso sanguine suo semper sanctificari *per imaginem propriae passionis,* et ideo discipulis fidelibus mandat, quos primos et Ecclesiae suae *constituit sacerdotes, ut in-*

(1) Quod in praesenti lectione apud ignatium dicitur: εὐχαριστιας και προσευχης ἀπεχονται, a Theodoreto (dial. 3. T. IV. p. 231 ed. Schulze) citatur ita: εὐχαριστιας και προσφορας οὐκ ἀποδεχονται.

desinenter ista vitae aeternae mysteria exercerent, quae necesse est a cunctis sacerdotibus per singulas orbis terrae Ecclesias celebrari » Gaudent. Brix. Serm. 2. in Exod. ad Neophyt. et alii multi. Cf. Conc. Trid. sess. XXII. cap. 2.

7°. Denique quod de ratione propitiatorio huius sacrificii in omnibus liturgiis exercite simul et dogmatice proponi diximus, id ipsum continetur in reliquis SS. Patrum documentis, de qua tamen re seorsum postea agemus. Interim vide sis Bellarmin. l. VI. cc. 2. 3. 7; l. V. c. 19.

THESIS X.

Veritas sacrificii Eucharistiae demonstratur ex eius promissione Mal. I. 11.

« Apostolica haec traditio perpetuo et universali consensu custodita » tamquam uberior explicatio cohaeret cum doctrina in ipsis Scripturis » consignata. Huc pertinent imprimis oracula prophetarum et nominatim » vaticinium Malachiae I. 11. (coll. III. 3; Is. LXVI. 21), quo 1° promittitur » nova oeconomia et in ea cultus Dei futurus universalis in oppositione » ad cultum Mosaicum particularem; unde 2° cultus novus promittitur » *externus,* isque in omni loco peragendus *vero ac proprie dicto sacri-* » *ficio,* quod succedat sacrificiis Aaronicis; 3° quia igitur non genus sa- » crificiorum reprobatum est, sed species immutata (Iren. l. IV. 18), dif- » ferentia inter sacrificia abolenda et sacrificium promissum describitur » iis characteribus, qui incruentum sacrificium Eucharistiae ibi prae- » nunciatum esse clare demonstrent. »

In prophetia Malachiae a c. I. v. 6. usque ad c. III. v. 4. distinguuntur tres partes intime inter se nexae et pari fere modo dispositae: pars prima I. 6-11; secunda I. 12-14; tertia II. 1.–III. 4. In singulis praecedit increpatio scelerum populi reducis ab exilio, sequitur conclusionis instar annuntiatio novi Testamenti, quae duo etiam alibi apud prophetas frequenter reperiuntur coniuncta. Nos hic tantum de prima parte I. 5-11. sumus solliciti, in cuius conclusione id, quod in thesi dicimus, contineri demonstramus.

I. Increpatio in hac prima parte unice dirigitur ad sacerdotes Leviticos: « ad vos, o sacerdotes, qui despicitis nomen meum! » Versatur autem ea tota circa neglectum imo etiam contemptum in offerendis victimis: « offertis super altare meum panem pollutum... si offeratis caecum ad immolandum... si offeratis claudum et languidum, nonne

malum est? » Sermo est igitur in tota illa increpatione de liturgia et cultu externo sacrificiorum. Unde exspectatur, ut conclusio respondeat antecedenti reprehensioni, et proinde etiam in illa de cultu divino agatur. Quod revera ita esse, verba ipsa demonstrant: v. 10 « non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra: v. 11. ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum. »

Dicimus, hic praenuntiari abolitionem cultus Mosaici, et promitti cultum novi Testamenti illi substituendum cf. Heb. X. 8. 9. Nam 1° cultus promissus extenditur ab ortu solis usque ad occasum, qua expressione semper designatur orbis terrarum, numquam vero sola terra Israël. Insuper cultus ille futurus est *in gentibus* בַּגּוֹיִם (cum articulo), quod nomen in plurali semper designat gentes diversas a populo Israël; denique cultus futurus est *in omni loco*. Haec vero omnia repugnant cultui Mosaico peculiari. Cf. Io. IV. 20.21. Porro 2° agnitio et glorificatio nominis Dei inter omnes gentes apud prophetas semper est character proprius temporis Messiani. Neque obest forma temporis praesentis, qua utitur Malachias; hic enim usus frequens apud prophetas consequitur ex modo ipso, quo futura in tempore solebant videre velut praesentia in spatio. Ex his 3^{tio} intelligitur, verba v. 10: « munus non suscipiam de manu vestra », in oppositione ad universalitatem cultus novi Testamenti debere accipi absolute de abolitione sacrificiorum secundum legem Mosaicam offerendorum, non vero solum velut expressionem displicentiae in sacrificiis non rite oblatis per sacerdotes. Oblatio illegitima, de qua conquestus erat, est solum occasio praenuntiandi abolitionem, non vero propria causa, cur Deus non suscipiat amplius munus de manu sacerdotum Leviticorum.

II. Cultus abolendus est *externus,* et solum quatenus externus est, immediate de eo sermo habetur. Ei autem respondet cultus novus substituendus; ergo hic quoque non mere

internus est sed externus, quod etiam ex singulis verbis v. 11. plane constat. Imo sicut id quod praenuntiatur abolendum, sunt sacrificia proprie dicta, ita sacrificiis abolitis a propheta praedicitur substituendum in novo Testamento sacrificium veri et proprii nominis.

Verba, quibus promissus Dei cultus externus universalis declaratur, nobis consideranda sunt haec: « et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda. » Textus hebraicus h. l. ad pleniorem demonstrationem opportunus ita habet:

וּבְכָל־מָקוֹם מֻקְטָר מֻגָּשׁ לִשְׁמִי וּמִנְחָה טְהוֹרָה

Ad litteram verti potest: « et in omni loco suffimentum oblatum nomini meo, et (incruentum) sacrificium mundum » (1). Ubi ultimum incisum: « et sacrificium mundum », est appositio ac declaratio praecedentium: « suffimentum oblatum » etc.

Iam imprimis loquendo de tribus hisce verbis in communi, sunt ea in veteri Testamento frequentissima et solemnia ad designandum sacrificium proprie dictum; hoc enim sensu usurpatur קִטֵּר cum suis derivatis circiter 146ies, נגשׁ in Piel et Hiphil saltem 12ies, מִנְחָה fere 154ies, numquam vero ullum eorum adhibetur de cultu interno, vel *in cultu divino externo* de oblationibus aliis, quae non sint vera sacrificia (2). Quanto ergo minus hanc trium verborum

(1) Graeca versio LXX reddit: ϑυμιαμα προσαγεται τῳ ὀνοματι μου και ϑυσια καϑαρα. Syr. eodem modo: « ponunt aromata et offerunt nomini meo sacrificia munda ». Ionathan Targumista totum locum iudaice circumscribit intelligens *orationes*, quae offerantur a Iudaeis in dispersione inter gentes, quam textus sacri detorsionem Iudaeis exprobrat et refellit saec. II. S. Iustinus Martyr Dialog. cum Tryph. n. 117.

Hebraica lectio non est sine variantibus, quae tamen sensum relinquunt eundem. Particulam ו ante מִנְחָה omittunt Codices viginti; Codices alii ut interpretes Vulgatus et Syrus ponunt coniunctionem ו ante מֻגָּשׁ (apud Kennicot et De Rossi).

(2) Significatione non sacra מִנְחָה adhibetur de tributis et donis oblatis regi vel aliis magnatibus; verbum קִטֵּר sensu alio quam sacrifico non occurrit, nisi forte quater in nominibus derivatis et quidem sensu non sacro (Ps. CXIX. 83; CXLVIII. 8; Prov. XXVII. 9; Cant. III. 6); נָגַשׁ *appropinquavit*, Piel et Hiph. *propinquum fecit* frequentatur in sensu vulgari et extra significationem liturgicam.

sacrificalium coacervationem intelligere possumus de alia cultus specie, nisi quam semper etiam singula per se sumpta significant?

Speciatim singula si consideremus, קָטַר cum suis derivatis ex etymologia significans adolere, suffire, magis proprie designat quidem sacrificium incensi thuris in altari aureo. Unde cum haec forma sacrificii propius pertineat ad exprimendam sacrificio externo devotionem cordis et orationem (cf. Apoc. V. 8; VIII. 3. 4.), Patres aliqui in textu Malachiae habentes prae oculis versionem graecam distinguere potuerunt ita, ut « thymiama oblatum » intelligerent de orationibus, quibus celebratur sacrificium Eucharistiae, et « *mincha* purum » de ipso Eucharistiae sacrificio. (Vide Iren. l. IV. c. 17. n. 6; Tertull. contr. Marc. l. III. c. 22; l. IV. c. 1; Hieronym. in Mal. I. 10. T. VI. p. 952; auctorem hom. in Ps. XCV. inter Opp. Chrysost. T. V. p. 630). Attamen in usu loquendi liturgico veteris Testamenti hoc verbum non solum adhibetur de sacrificio thurificationis, sed de cuiusque speciei sacrificiis et nominatim de *mincha* i. e. de sacrificio incruento, de quo etiam usurpatur verbum alterum נגשׁ in Hiphil, ut הִקְטִיר מִנְחָה Ierem. XXXIII. 18; הִגִּישׁ מִנְחָה Amos V. 25; Mal. II. 12; III. 3. Recte igitur substantive sumptum participium Hophal מֻקְטָר intelligitur de sacrificio vel in genere vel melius in specie de sacrificio incruento, et alterum participium additum מֻגָּשׁ de eius oblatione. Adeoque erit מֻקְטָר מֻגָּשׁ « sacrificium (incruentum) oblatum », quae significatio evidentius determinatur per additam declarationem in forma *appositionis:* « *mincha* purum ». Ad hoc nomen מִנְחָה quod adtinet, illud multis in locis et quidem iis, quibus praecepta liturgica traduntur et ideo norma quaedam continetur ad significationem nominum liturgicorum determinandam, diserte distinguitur ut sacrificium incruentum a sacrificiis cruentis. Licet vero quandoque מִנְחָה significationem praeseferat genericam sacrificii tamquam species posita pro genere, determinate tamen ad designandum sacrificium cruentum non nisi semel adhibetur Gen. IV. 4. de sacrificio Abel,

ubi in comparatione cum sacrificio incruento fratris Cain specialis erat ratio utrumque exprimendi eodem nomine. Igitur omnia tria verba a Malachia adhibita non solum sunt sacrificalia sensu generico, sed per se et significatione maxime propria etiam speciem designant sacrificii incruenti, maxime duo nomina substantiva מִנְחָה מֻקְטָר.

Itaque 1° ex verbis ipsis v. 11. constat, cultum promissum contineri vero et proprio sacrificio. 2° Id luculentius demonstratur ex oppositione huius commatis 11. ad antecedentia; ex hac enim manifesto apparet, non simpliciter aboleri vetera sacrificia, sed illis substitui sacrificium et illa per hoc substitutum excludi. Unde hoc substitutum non improprium sed proprie dictum sacrificium intelligi debet, aeque ac propria erant sacrificia abolenda veteris Testamenti. Insuper 3[io] sacrificium substituendum celebrari dicitur c. III. v. 3. 4. (coll. Is. LXVI. 21.) a legitimis ministris et sacerdotibus, qui nomine Levitarum designantur non ratione tribus sed ratione muneris sacerdotalis; assumendi enim dicuntur ex omnibus gentibus. 4° Quod maximum est, canon interpretationis extrinsecus sed tutissimus et omnibus qui veritatem assequi velint, in interpretandis Scripturis quoad « res ad aedificationem doctrinae christianae pertinentes » necessario sequendus, intellectus scilicet catholicus in communi consensione Patrum manifestatus certos nos reddit, istum quem diximus, esse genuinum sensum textus huius dogmatici. Patrum interpretationes sufficienti numero collectas vide apud Bellarmin. l. V. c. 10; Petav. de Incarn. l. XII. c. 12. n. 12. sqq.; Cornelium a Lapide in h. l. qui simpliciter affirmat, « de fide esse, hanc oblationem mundam esse sacrificium corporis et sanguinis Christi in Eucharistia. » Concilium sane ipsum Tridentinum sess. XXII. cap. 1. non solum textum Malachiae adfert ad confirmandam veritatem catholicam de perenni sacrificio in Ecclesia novi Testamenti, sed explicite docet, sacrificium Eucharistiae esse illam oblationem, « quam Dominus per Malachiam nomini suo, quod magnum futurum esset in gentibus, in omni loco mundam offerendam praedixit. »

Fateor, me non assequi, quid sibi velit vir doctus cl. Reinke (in Maleachi p. 322) de Patrum consensione dubitans, eo quod Chrysostomus in Ps. VIII. n. 1; in Ps. CXII. n. 1; Cyrillus Hieros. Cat. XVIII. n. 25; Isidorus Clarius et Vatablus ab interpretatione textus Malachiae de sacrificio Eucharistiae dissentiant. Chrysostomus enim tum ipsis locis citatis docet, praedici a Malachia novam λατρειαν, tum hom. V. n. 12. contra Iudaeos (T. I. p. 647.) diserte de nostro sacrificio in Ecclesia christiana prophetiam interpretatur. Cyrillus l. c. solum habet prae oculis reprobationem Synagogae et catholicitatem Ecclesiae christianae, ad quam probandam adfert inter cetera vaticinium: « ab ortu solis usque ad occasum magnum nomen meum in gentibus. » At haec sane non est dissensio ab interpretatione vaticinii de sacrificio Eucharistiae, cum Cyrillus non totum, quod vaticinio continetur, sed illud unum respiciat, quod ad eius scopum tum pertinebat. Isidorus Clarius et Vatablus scriptores saeculi XVI, quibus addi possent Arias Montanus (cf. Bellarmin. l. V. c. 10), Iahn (Archaeol. T. V. §. 31. p. 180) aliique similes, tali in causa nullius profecto sunt auctoritatis.

III. Characteres, quibus promissum sacrificium a sacrificiis abrogandis veteris Testamenti distinguitur, ex dictis intelliguntur. Nota distinguens est 1° *universalitas*, ut non sit proprium unius populi sed commune omnibus gentibus ab ortu solis ad occasum. Cum hac universalitate et extensione ad gentes, quae non sunt stirpis Israeliticae, connectitur 2° *diversitas sacerdotii*, cum sacerdotes non ex tribu peculiari sed ex omnibus gentibus sint assumendi, adeoque sacerdotium non iure generationis carnalis sed consecratione et generatione spirituali propagandum sit. « Translato autem sacerdotio necesse est, ut et legis translatio fiat. » Heb. VII. 12. Tum 3^{io} *forma sacrificii* indicatur respondens sacrificiis typicis incruentis, quae praecipue consistebant in oblatione panis (similae) et vini. Unde in hac forma sacrificii incruenti, quod est *mincha*, adsignificatur ordo et ritus (דִּבְרָה) mutati sacerdotii secundum ordinem Melchisedech (Ps. CIX. heb. CX. 4). 4° *Intrinsecâ excellentiâ* novum sacrificium est oblatio *munda*. Ubi animadvertatur, a propheta

in increpatione antecedenti, cui respondet promissio, reprehendi *immunditiem victimarum*, non autem immediate et directe dispositionem internam offerentium; respondens ergo *munditia* oblationis inter omnes gentes et in omni loco est munditia ipsius sacrificii in se, non autem ratione solum dispositionis melioris offerentium. Id etiam apparet clarius inde, quod dicitur oblatio munda *in omni loco*, quae ergo pollui non potest ita, ut non sit in se munda, sicut a sacerdotibus Leviticis offerendo « caecum et claudum et languidum » polluebantur sacrificia legalia. Denique 5° sacrificium hoc mundum insignis est glorificatio nominis Dei in omnibus gentibus. Atqui hi characteres sacrificio Eucharistiae, ut ab Ecclesia catholica inde ab instituto novo Testamento inter omnes gentes offertur, plene respondent, et extra hoc sacrificium sacrosanctum nullibi reperiri possunt, saltem omnes simul et ut in proprietate verborum a propheta describuntur. Veritas huius interpretationis secundum canones intrinsecos ex textu et contextu institutae luculentam habet confirmationem in consensione catholica, quod vaticinium, ut paulo ante diximus, semper hoc sensu in Ecclesia est intellectum.

THESIS XI

Veritas sacrificii Eucharistiae demonstratur ex verbis institutionis.

« Quod in prophetis promissum erat, Christus adimplevit; in ul-
» tima enim coena ipse sacerdos secundum ordinem Melchisedech corpus
» et sanguinem suum sub speciebus panis et vini vere et proprie obtu-
» lit in sacrificium et in Ecclesia perpetuo offerendum instituit. Nam ex
» ipsis verbis institutionis Eucharistiae (Luc. XXII. 20; Matth. XXVI. 28;
» Marc. XIV. 24; tum Luc. XXII. 19; 1 Cor. XI. 24) constat, actionem qua
» Christus corpus suum pro nobis dandum in cruce et sanguinem suum
» pro multis in cruce effundendum realiter et substantialiter sistebat sub
» speciebus panis et vini, fuisse actionem sacrificam, qua constitueba-
» tur Christus ipse sub sacramentalibus speciebus in formali ratione et
» statu victimae; adeoque constat etiam, celebrationem Eucharistiae, quam
» eandem perpetuo « in sui memoriam facere » praecepit, verum esse
» sacrificium corporis et sanguinis Christi, « et oblationem mundam di-
» vino nomini magno in gentibus. »

Demonstratio huius theseos facile peti posset ex iis quae diximus de Sacram. Euch. th. IV. p. 38 sq., ubi declaratione sacrificii corporis ac sanguinis Christi, ut ea in verbis institutionis continetur, usi sumus ad evidentius argumentum deducendum pro reali Christi praesentia sub speciebus panis ac vini. Nihilominus quia rei gravitas ita postulare videtur et nonnulli id se desiderare significarunt, totum iterum resumere placuit. Incipiam a verbis consecrationis calicis, ut sunt apud tres Evangelistas Lucam, Marcum, Matthaeum.

Luc. XXII. 20. *τουτο το ποτηριον ἡ καινη διαθηκη ἐν τῳ αἱματι μου το ὑπερ ὑμων ἐκχυνομενον*
Hic est calix novum testamentum in sanguine meo,
qui pro vobis fundetur.

Marc. XIV. 24. *τουτο ἐστι το αἱμα μου, το της καινης διαθηκης το περι πολλων ἐκχυνομενον*
Hic est sanguis meus novi testamenti,
qui pro multis effundetur.

Matth. XXVI. 28. *τουτο γαρ ἐστι το αἱμα μου το της καινης διαθηκης το περι πολλων ἐκχυνομενον εἰς ἀφεσιν ἁμαρτιων*
Hic est enim sanguis meus novi testamenti,
Qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

Imprimis apud Lucam *effusio* enuntiatur evidenter *de sanguine, formaliter ut est in calice.* Forma enim verborum non habet: «sanguis effunditur vel effundetur,» sed: «*hic calix effunditur.*» Haec autem metonymica notissima locutio non solum significat, id quod continetur in calice effundendum esse alibi, puta in cruce; sed significat, effundi quatenus ponitur in calice, seu in hoc statu, formaliter ut est in calice. In sacrificio crucis effusus est quidem ille ipse sanguis, qui erat in calice, non tamen in cruce effusus est calix, quia sanguis ibi non est effusus formaliter ut contentus in calice et in eo statu sacramentali, quo erat in calice. Est ergo evidens, formam locutionis, ut est apud Luc. «hic calix qui effunditur τουτο το ποτηριον το ἐκχυνομενον» significare effusionem sanguinis, formaliter quatenus ponitur in calice et continetur in calice. Nam id quod ponitur et continetur vi verborum in calice, esse proprium sanguinem Christi, supponimus demonstratum (de Sacram. Euch. th. IV. sqq. Comparationem inter constructionem verborum directam apud Matth., Marc. et inter indirectam apud Luc., 1. Cor. XI. nominatim vide ibi Corollario 1. p. 49).

Cum necessario idem sit sensus verborum apud omnes tres Evangelistas, ex demonstratis constat, etiam apud Matthaeum et Marcum participium «ἐκχυρομενον qui effunditur» referri ad sanguinem, formaliter ut ponitur in statu sacramentali: «hic est sanguis meus (in statu sacramentali), qui (in hoc statu) pro multis effunditur.»

Ut ex dictis apparet, demonstratio, qua evincitur effusionem sanguinis edici de sanguine in statu sacramentali, non fundatur in forma temporis praesentis iuxta textum graecum «το ἐκχυνομενον qui effunditur.» Facile concedo, praesens posse adhiberi de futuro potissimum de proxime futuro, cuius consilium iam est praesens: «pono animam meam,» «vado ad Patrem,» «adhuc modicum et mundus me iam non videt, vos autem videtis me,» «quod facis, fac cito etc.» At in textu de quo agimus, forma praesentis determinatur ad significationem praesentis per ipsum subiectum, de quo enuntiatur effusio: *calix* (i. e. sanguis formaliter quatenus ponitur in calice) effunditur.

Hinc quamvis apud Lucam enuntiaretur in futuro: *calix effundetur,* intelligi tamen deberet de effusione sanguinis in statu sacramentali, donec Christus iterum veniat (1 Cor. XI. 26) perpetuo celebranda in Ecclesia (cf. Bellarmin. l. V. cap. 12).

Maneat igitur certum ac ratum, a Salvatore in institutione ita constitui corpus et sanguinem sub speciebus panis et vini, ut hanc ipsam positionem sui in statu sacramentali declaret esse *effusionem sanguinis pro nobis, pro multis, pro multis in remissionem peccatorum:* « hic calix i. e. hic sanguis meus formaliter ut in calice, pro vobis effunditur, pro multis effunditur, pro multis effunditur in remissionem peccatorum. » Atqui sanguinis Christi effusio pro nobis, pro multis, pro multis in remissionem peccatorum manifesta est declaratio sacrificii. Ergo Christus Redemptor ipsis verbis institutionis declarat ipsam positionem corporis et sanguinis sui in statu sacramentali tamquam veram sacrificii oblationem. Hoc autem idem, quod ipse fecerat, iussit Apostolos facere in perpetuum h. e. Apostolos et eorum in perpetua serie successores usque ad secundum eius adventum (1 Cor. XI. 24-27). Est ergo a divino Redemptore perennis Eucharistiae celebratio instituta in perenne sui ipsius sacrificium.

Dixi illis verbis: « qui pro vobis, pro multis, pro multis in remissionem peccatorum effunditur, » *declarari* verum et proprium sacrificium, non tamen dixi, illis verbis fieri et offerri sacrificium. Declarant enim illa verba, sacrificium fieri ipsa positione corporis et sanguinis Christi in statu sacramentali. Unde ex parte sacerdotis principis Christi sacrificatio in eo est, quod per verba a se instituta et a ministro suo nomine pronuntiata super panem et vinum se constituit in statu sacramentali et ita in statu victimae, et per hanc ipsam sui constitutionem in statu victimae Deo Patri pro nobis, pro multis, pro multis in remissionem peccatorum se offert. Ex parte ministri proinde sacrificatio consistit in ea ipsa actione, qua constituit corpus et sanguinem Christi in statu sacramentali. Id autem fit per verba, quibus efficitur transsubstantiatio panis in corpus, et vini in sanguinem Christi. Unde apparet cur verba: « qui pro

vobis effunditur," licet declarent sacrificium, illud tamen non efficiant, et proinde merito censeantur non pertinere ad essentiam formae et actionis sacrificae.

Ad pleniorem rei intelligentiam reliqua est explicatio duplicis difficultatis, quomodo in oblatione sacrificii incruenti possit dici sanguis effundi, et quomodo textus graecus cum latino vulgato concilietur.

Quoniam in principalibus sacrificiis veteris Testamenti et in ipso sacrificio antitypo Christi in cruce destructio fiebat sanguinis effusione; haec *effusio sanguinis* tam in illis sacrificiis typicis quam in ipso sacrificio Christi usu loquendi communi in Scripturis nominatur ad significandum sacrificium. Sic sacrificium Christi declaratur frequentissime per effusionem sanguinis Act. XX. 28; Rom. III. 25; V. 9; Eph. I.7; II. 13; Coloss. I.14. 20; Heb. passim; 1 Pet. I. 2. 19; 1 Jo. I. 7; Apoc. saepe. Est igitur expressio certissime sacrificalis; cum autem modum ipsum significet, quo fiat sacrificium, quaeritur, quomodo et quo sensu sacrificium Eucharistiae dicatur effusio sanguinis.

Effusio sanguinis dici potest tripliciter, 1°. effusio *mere materialis,* de qua hic non potest esse sermo; 2°. effusio *sacrifica sed realis,* quae per se spectata pertinet ad partem materialem sacrificii, et cuius voluntaria admissio ad destructionem constituit formam sacrificii cruenti in cruce; 3^{io}. effusio *mystica,* qualis est in sacrificio Eucharistiae secundum praesentem institutionem. Nam *a*) illa ipsa victima, quae in cruce est oblata per realem effusionem sanguinis, cum omnibus meritis sacrificio cruento completis sistitur sub speciebus panis et sub speciebus vini *in formali statu victimae,* quem alibi explicabimus, in quo formaliter consistat; unde iam haec positio in statu victimae sicut est vera sacrificatio, ita saltem propter respectum quem habet ad sacrificium cruentum, potest dici *effusio sanguinis*. *b*) Accedit *modus,* quo fit positio in statu victimae secundum praesentem institutionem. Vi verborum enim ponitur sanguis sub speciebus vini seorsum a corpore vi verborum positi sub speciebus panis. Quamvis autem hoc utroque non fiat realis separatio sanguinis a corpore propter ea, quae demonstrata

sunt (de Sacram. Euch. th. XI), exhibetur tamen repraesentatio illius effusionis sanguinis, per quam oblatum est sacrificium in cruce. Haec est proprie illa, quae dici solet *mystica* effusio sanguinis, h. e. talis modus sacrificii praesentis, qui significet et repraesentet effusionem factam in cruce (1).

Ex his duobus, ex victimae in cruce cruento modo oblatae reali positione sub speciebus panis et vini in formali statu victimae una cum exhibitione totius meriti in cruce completi, et ex modo sacrificationis repraesentante sacrificium cruentum in cruce, intelligitur huic incruento sacrificio intrinsecam esse relationem ad cruentum sacrificium, quae etiam explicite ab ipso Salvatore in institutione et ab Apostolo in eius declaratione indicata est (Luc. XXII. 19; 1 Cor. XI. 24-26). Unde duo sunt consideranda in sacrificio Eucharistiae; positio praesens in statu victimae seu praesens realis sacrificatio, et sacrificii praesentis relatio ad sacrificium in cruce. Si dicitur ut in textu graeco: « hic est sanguis meus, qui pro multis *effunditur,* » enuntiatur *in recto sacrificatio praesens* cum relatione ad effusionem realem in cruce, quae ergo relatio *adsignificatur.* Si dicitur ut in Vulgata latina (2): « hic est sanguis meus, qui pro multis *effundetur* » (intelligendo effusionem in cruce), significatur *in recto terminus relationis,* ad quem refertur sacrificatio praesens, et haec ergo *in obliquo adsignificatur.* Unde non aliud in utraque lectione, sed idem alio modo enuntiatur.

Quando ergo dicitur, in textu dogmatico fas non esse recedere a lectione Vulgatae, quae etiam confirmatur ipsa forma latinae liturgiae; concedimus totum, sed addimus, fas sane esse et imo necessarium ad genuinum sensum textus

(1) Ex hac mystica effusione sanguinis Lessius (de Perfect. div. l. XII. c. 13 n. 95) aliique explicant propriam rationem sacrificii, *quomodo* sit, de qua re inferius dicemus; confer interim contra hanc opinionem Card. de Lugo disp. 19. sect. 4. n. 61.

(2) Non tamen desunt Codices antiquae versionis latinae, qui habeant formam temporis praesentis *effunditur,* ut Cod. Vercellensis scriptus, ut fertur, manu S. Eusebii; Cantabrigensis; S. Gatiani; Monasterii Maioris etc.

Vulgatae assequendum uti omnibus praesidiis opportunis, inter quae post auctoritatem Ecclesiae primum locum tenet collatio cum textu originali.

Post ea quae diximus, paucis possumus absolvere demonstrationem veri sacrificii ex verbis consecrationis panis, ut sunt apud S. Paulum collato textu S. Lucae.

1. Cor. XI. 24. τουτο μου ἐστι το σωμα
το ὑπερ ὑμων κλωμενον
Hoc est corpus meum,
quod pro vobis tradetur.

Luc. XXII. 19. τουτο ἐστι το σωμα μου
το ὑπερ ὑμων διδομενον
Hoc est corpus meum,
quod pro vobis datur.

Io. VI. 52. ὁ ἀρτος δε ὃν ἐγω δωσω, ἡ σαρξ μου ἐστιν,
ἣν ἐγω δωσω ὑπερ της του κοσμου ζωης
Et panis, quem ego dabo, caro mea est
pro mundi vita.

In textu graeco Pauli corpus Christi, quod fit praesens sub speciebus panis, dicitur *frangi pro nobis:* « accipite et manducate: hoc est corpus meum, *quod pro vobis frangitur.* » Verbum *frangere* quando refertur ad id, quod manducandum est, constanter in usu loquendi biblico significat parare, comparare, dare in cibum. Sensus ergo apud Paulum immediatus est: « hoc est corpus meum, quod pro vobis datur in cibum, ponitur in statu cibi. » Verba autem apud Paulum necessario rem eandem significant, quam verba apud Lucam; ambo enim eandem sententiam Christi et proinde eundem sensum referunt. Iam apud Lucam verba: « corpus meum, *quod pro vobis datur,* » exprimunt sacrificium. Nam haec locutio: corpus Christi *pro vobis datur,* ex collatione cum Math. Marc. Ioann. aequivalens alteri: « pro multis datur, pro multis in remissionem peccatorum datur, pro mundi vita datur, » sine dubio significat, Christum pro nobis offerri in sacrificium, ut in citata th. IV. de Sacram. Euch. satis demonstravimus. Ergo etiam verba, ut referuntur a Paulo, exprimunt, sacrificari Christum pro nobis.

His positis dico, directe significari sacrificium praesens, quatenus ponitur corpus et sanguinis Christi in statu cibi et potus, non autem sacrificium crucis nisi in obliquo. Nam expressio sacrificii apud Luc. « quod pro vobis datur, » a Paulo declaratur: « quod pro vobis frangitur, » et locutio utraque significat sacrificationem. Atqui verba Pauli immediate significant positionem corporis Christi in statu cibi, quae fit per conversionem panis in corpus Christi. Ergo apud Paulum sacrificatio dicitur fieri per ipsam positionem corporis Christi in statu cibi, ac proinde directe significatur, in sacrificium offerri Christi corpus et sanguinem, quatenus fit praesens in Eucharistia, non autem significatur his verbis directe sacrificium in cruce. Unde sicut diximus de verbis in consecratione sanguinis, ita etiam hic argumentum ad demonstrationem sacrificii eucharistici non petitur solum ex forma temporis praesentis: « quod pro vobis datur; » sed petitur ex eo, quod diserte sacrificatio enuntiatur de corpore et sanguine Christi, formaliter ut praesens fit in Eucharistia.

Porro cum ex paulo ante demonstratis sacrificium Eucharistiae habeat intrinsecam relationem ad sacrificium cruentum in cruce; ea omnia, quae diximus de explicatione versionis Vulgatae adhibito praesidio textus graeci in consecratione calicis, huc etiam transferenda sunt. Verba scilicet graeci textus: « quod pro vobis frangitur, » significant directe sacrificium corporis Christi in statu cibi, et adsignificant sacrificium crucis ut terminum relationis; verba ut sunt in latina Vulgata: « quod pro vobis tradetur, » significant directe terminum relationis, et adsignificant sacrificium Eucharistiae, quod ad illum refertur. Cf. Bellarmin. l. V. c. 12; Ysambert. in 3. q. 83. disp. 2ª. a. 5; Scheffmacher epp. ad Protest. T. II. ep. 1ª.

CAPUT IV.

DE EFFECTU AC FRUCTU SACRIFICII EUCHARISTIAE.

THESIS XII.

Est sarificium etiam propitiatorium.

« Iisdem documentis christianae fidei, ex quibus veritatem sacrificii eucharistici demonstravimus, pariter demonstratur, illud non modo adorationis et laudis, sed etiam sacrificium esse impetrationis et propitiationis pro vivis et defunctis.»

Ad theseos demonstrationem considerabimus sacrificium Eucharistiae in sua relatione hinc ad sacrificia typica, inde ad sacrificium prototypum in cruce oblatum, tum universalem professionem in Liturgiis omnibus expressam, ac denique SS. Patrum constantem doctrinam.

1°. Ex intrinseca ratione huius sacrificii eo ipso, quod haec unica oblatio munda successit omnibus sacrificiis typicis veteris Testamenti, et « omnem differentiam hostiarum unius corporis et sanguinis Christi complet oblatio, » ut cum S. Leone M. (De pass. Domini serm. VII) Patres ac Liturgiae saepe repetunt; ratio sacrificii pro peccato, quae fuit fere praecipua in typis, huic sacrificio pro illis omnibus substituto et unico in nova perfectiori oeconomia deesse non potest. Nam licet per sacrificium semel oblatum in cruce pretium sit persolutum et satisfactio praestita quoad sufficientiam pro omnibus peccatis, non tamen ideo peccata sunt iam remissa singulis hominibus; ad hanc enim remissionem requiritur illius meriti et satisfactionis in cruce completae applicatio ad singulos (th. VII. VIII). Atqui ad hanc applicationem satisfactionis cruento sacrificio semel consummatae voluit ipse sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech et ipse victima iugiter offerri sacrificio incruento, ita ut sacrificii cruenti, sub formali ratione quatenus erat propitiatio pro peccatis totius mundi (1 Io. II. 2), iugiter repetita expressio et redemptionis oblatio perennis sit ipsum sacrificium incruentum. «Necessarium nobis erat, ut coleretur iugiter per mysterium, quod semel offerebatur in pretium; ut quia *quotidiana et indefessa currebat pro*

hominum salute redemptio (semel completa, quotidie applicanda), *perpetua etiam esset redemptionis oblatio* (qua redemptio applicaretur), et perennis victima viveret in memoria et *semper praesens esset in gratia* » S. Isidorus Hispal. De corp. et sang. Domini ed. Arevali T. VII. p. 316 (sub nomine Caesarii Arelat. in Bibl. Max. PP. T. VIII. p. 825). « Offerunt quotidie sacerdotes nostri, sed ad recordationem mortis eius. *Et quia nos quotidie peccamus et quotidie indigemus mundari,* quia ille non potest iam mori, dedit nobis hoc sacramentum corporis et sanguinis sui, *ut sicut passio illius redemptio et absolutio fuit mundi, ita etiam ista oblatio redemptio et mundatio sit omnibus (effectu ipso) in vera fide offerentibus* » Primas. in Heb. X. Bibl. Max. PP. T. X. p. 269.

2°. Haec ratio sacrificii propitiatorii non solum deducitur et consequitur ex relatione, quae sacrificio corporis et sanguinis Christi sub speciebus panis et vini est intrinseca ad sacrificium in cruce, dum ille ipse Redemptor, qui se obtulit victimam in cruce, iugiter se sistit ut victimam et cum omnibus suis meritis tunc consummatis se offert Deo Patri; sed eandem etiam diserte expressam videmus ab ipso Salvatore in institutione sacrificii Eucharistiae ut eius finem et fructum: « hoc est corpus meum, *quod pro vobis datur, pro vobis frangitur;* caro mea, *quam ego dabo pro mundi vita;* » « sanguis meus, *qui pro vobis, pro multis, pro multis in remissionem peccatorum effunditur.* » Vide dicta in superiori thesi de his verbis significantibus sacrificium sub speciebus panis et vini et adsignificantibus sacrificium in cruce.

3^tio^. Iuxta hanc intrinsecam sacrificii rationem et explicitam Christi institutionem reperimus sacrificii incruenti vim propitiatoriam pro vivis et defunctis in omnibus Liturgiis theoretice et practice expressam.

a) Liturgia nulla est, in qua praescriptae non sint intra ipsam sacrificii celebrationem orationes ad remissionem peccatorum vivis et defunctis impetrandam. Qui quidem usus solemnis et universalis demonstrat, pro vivis et defunctis offerri sacrificium ut hostiam propitiationis. « In Machabaeo-

rum libris legimus, oblatum pro mortuis sacrificium; sed etsi nusquam in Scripturis veteribus omnino legeretur, non parva est universae Ecclesiae, quae in hac consuetudine claret, auctoritas, ubi in precibus sacerdotis, quae Domino Deo ad eius altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum » August. de cura pro mort. gerenda c. 1. n. 3. Nam ut ratiocinatur Chrysostomus (in Phil. hom. 3. n. 4), « apostolicis legibus sancitum est, ut in venerandis tremendisque mysteriis memoria fiat defunctorum, » quia haec non simplex est oratio, sed quae per sacrificium efficaciam sortiatur: « quomodo enim Deum non placabimus orantes pro eis, dum universus populus stat manibus extensis, et sacerdotum chorus venerationis plenum offert sacrificium? » Simillima apud Cyrill. Hieros. Cat. mystag. V. num. 9.

At praeterea *b*) in omnibus Liturgiis explicita est propitiatorii sacrificii declaratio. « Offerimus tibi hoc incruentum sacrificium pro peccatis nostris et ignorantiis populi » (Liturg. S. Iacobi; S. Chrysost.); « ad expianda delicta » (Liturg. S. Basilii); « hostiam placationis; sacrificium propitiatorium; sacrificium, cuius voluisti immolatione placari » (in Liturg. orientalibus et occidentalibus passim); « offeram tibi incruentum hoc et rationabile sacrificium in remissionem peccatorum meorum, veniam delictorum populi, requiem et refrigerium patrum nostrorum, qui obdormierunt » (Liturg. Syriaca Gregorii ap. Murator. l. c. c. 17. p. 205); » oblatio ista quae a viventibus pro defunctis offertur, expiat iniquitatem animae, et per eam remittuntur illis delicta » (Liturg. Iacobi, alias Xysti vel Petri).

Quoad oblationem et commemorationem pro defunctis notetur, in Liturgiis hanc commemorationem « ad refrigerium defunctorum » apprime distingui a commemoratione et invocatione Sanctorum, quae item intra sacram Actionem occurrit. S. Cyrillus Hieros. in Cat. mystag. V. n. 9. 10, ubi explicat sacram liturgiam, « Sanctos beatos, ait, invocari, ut eorum orationibus et legationibus Deus preces nostras suscipiat; » defunctos alios nominari « illis in adiumentum maximum. » Ita etiam Chrysostomus hom. 21. in Act. n. 4.

« Non frustra *oblationes pro defunctis fiunt*, non frustra preces, non frustra eleemosynae. Haec omnia Spiritus disposuit, volens *ut nos mutuo iuvemus*... Non frustra diaconus clamat: *pro iis qui in Christo defuncti sunt*... In manibus est hostia et omnia parata prostant; adsunt angeli, archangeli, adest Filius Dei etc. et putas haec frustra fieri? » Tum subdit de invocatione martyrum: « etiam *pro martyribus magnus honor nominari Domino praesente,* dum mors illa celebratur et tremendum sacrificium et (peraguntur) ineffabilia mysteria etc. »

4°. Patrum doctrina tam est luculenta, ut vix umquam de hoc sacrificio sermonem habeant, quin diserte virtutem eius expiatoriam commendent. « Hoc facite in meam commemorationem... ista est commemoratio sola (in oppositione ad typum veteris Testamenti in panibus propositionis), quae propitium hominibus facit Deum » Origen. in Lev. hom. 13. T. II. p. 255. « Christus offert sacerdos et offertur, ut peccata nostra dimittat » Ambros. De Offic. c. 48. « Illis sacrificiis (veteris Testamenti), quae pro peccatis offerebantur, significabatur unum hoc sacrificium, quo vera fit remissio peccatorum, a cuius tamen sacrificii sanguine in alimentum sumendo non solum nemo prohibetur, sed ad bibendum potius omnes exhortantur (passive), qui volunt habere vitam » August. in Lev. q. 57. n. 4. « Universim pro omnibus, qui auxilio indigent, precamur et hoc sacrificium offerimus; » « Christum immolatum pro peccatis nostris offerimus, pro defunctis et pro nobis propitiaturi clementem Deum » Cyrill. Hieros. Cat. myst. V. n. 8. 10.

Nominatim pro defunctis offerri constanter docent, et « maximum, aiunt, hoc illis animabus adiumentum credi a Christianis, quod pro illis oratio defertur sanctâ et tremendâ propositâ hostiâ » Cyrill. l. c. Chrysost. in Phil. hom. 3. n. 4. Praeterea communem disciplinam commemorant sacrificium offerendi specialiter pro quibusdam defunctis. « Pro anima eius (mariti) refrigerium adpostulet (vidua) et offerat (per sacerdotes) annuis diebus dormitionis eius » Tertull. de monogam.; de exhortat. cast.; de corona milit. Cyprianus ep. 66 memorat et confirmat sanctionem quarumdam legum eccle-

siasticarum, ut si quis illas violaverit, «pro eo (defuncto) non offeratur, nec pro nomine eius sacrificium celebretur.» Eusebius pro anima Constantini, Ambrosius pro Theodosio et Valentiniano imperatoribus, pro Satyro fratre suo, pro sorore Faustini, Augustinus pro matre sua sacrificii oblationem commendant.

Hinc videmus iam saec. IV ab Epiphanio (Anacephal. T. II. p. 148) et Augustino (de haeresibus haeres. 53) inter haeretica dogmata etiam hanc recensitam Aërii sententiam: «offerri pro mortuis non oportere.»

THESIS XIII.

De modo propitiationis et impetrationis in hoc sacrificio.

« Quamvis in oblatione sacrificii tum meritum tum impetratio et » satisfactio considerari etiam debeant, ut sunt *ex opere operantis;* prae» cipue tamen spectandus est valor sacrificii *ex opere operato,* quatenus » Christus ipse tamquam princeps sacerdos per sacerdotes ministros offert » se ipsum ut victimam. Quo posito 1° distingui debet efficacia sacrifi» cii ad impetrationem et ad propitiationem; 2° ea utraque, ratione prin» cipii, non est per novum Christi meritum novamque satisfactionem, » sed per meriti in cruce consummati applicationem; 3° propitiatio ra» tione effectus non est ad immediatam peccatorum remissionem, sed » hoc sacrificio « placatus Dominus gratiam et donum poenitentiae con» cedens crimina et peccata etiam ingentia dimittit; » denique 4° pertinet » valor propitiatorius ad immediatam remissionem poenae pro culpis » expiatis adhuc luendae. »

I. Ut in oblatione sacrificii rite discernamus valorem ex opere operantis et ex opere operato, considerentur oportet ipsi diversi offerentes; nimirum sacerdos qui proprie offert sacrificium ut minister Christi, tum fideles alii qui ad oblationem aliqua sua opera concurrunt, Ecclesia ut offert per sacerdotem, Christus denique summus sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech. Valor enim oblationis spectari debet non solum in re oblata, sed etiam in modo offerendi et praesertim ex persona offerente. Res eadem aliter atque aliter offerebatur a Christo in cruce et a Virgine Matre dolorum sub cruce, sed non idem erat oblationis valor sive ex modo sive ex persona offerente.

1°. In sacerdote offerente et in aliis fidelibus, qui oblationem sacrificii vel procurant vel ei assistunt vel ministrant, sine dubio opus hoc sanctissimum habet rationem meriti, satisfactionis, impetrationis etiam *ex opere operantis*, dummodo debitae conditiones non desint. Patet vero, sacrificii oblationem ita spectatam et valoris finiti esse, et quoad applicationem pro aliis sequi communem rationem bonorum operum, quae ita habet, ut satisfactio et impetratio unius membri propter communionem Sanctorum possit applicari aliis membris, non tamen ad alios trasferri possit meritum, quod formaliter spectatum omnino *personale* est.

2°. Ecclesia (h. e. universi fideles coniuncti et subordinati suis Pastoribus et sub supremo Pastore visibili, Vicario Christi Pastoris animarum invisibilis, constituentes unum gregem, unum corpus Christi morale, unam sponsam), Ecclesia inquam universa per suos sacerdotes tamquam ministros mediatores constitutos inter Deum et homines offert sacrificium. « Quotidianum Ecclesiae sacrificium, quae cum ipsius capitis corpus sit, se ipsam per ipsum discit offerre» (1) August. de Civ. Dei X. 20. Unde sacerdotes singuli offerunt nomine etiam totius Ecclesiae: « Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus (vice hominum) constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis » Heb. I. 5. Sub hac ratione Deus oblationem factam a dilecta sponsa Ecclesia semper accipit in odorem suavitatis, ut sacrificium adorationis et laudis, gratiarum actionis, propitiationis et impetrationis, praecisione facta ab *opere operantis* sacerdotis. Quatenus igitur Deus in oblatione intuetur sanctitatem et dignitatem offerentis Ecclesiae, hic valor potest dici *ex opere operato* respectu sacerdotis, respectu tamen Ecclesiae est quasi ex opere operantis, isque pretii finiti. Ex his intelligitur, quomodo *a*) orationes in Missae sacrificio habeant valorem *ex opere operato*, ut

(1) Ita legebant Maurini in Mss. pro lectione pulcherrima trium aliarum editionum: « quotidianum Ecclesiae sacrificium; cum ipsius corporis ipse sit caput et ipsius capitis ipsa sit corpus, tam ipsa per ipsum quam ipse per ipsam suetus offerri. »

orationes Ecclesiae; et quomodo *b*) nullae dentur Missae *privatae* sensu, quo Protestantes calumniantur.

3[tio]. Quando de sacrificii Eucharistiae proprio valore agitur, spectari debet, quatenus offerens principalis est Christus ipse sacerdos secundum ordinem Melchisedech, idem qui et victima oblata. Offert autem se ipsum imprimis ut sacerdos princeps, quatenus sacerdotes ministri ex eius institutione, potestate ab ipso accepta, eius auctoritate et nomine, eius personam referentes ipsum Agnum immaculatum sacrificant (cf. de Sacram. in gen. th. X.); sicut ipse personaliter fungens sacerdotio absque sacerdote ministro se sacrificaverat in prima institutione in ultima coena. At non solum vi institutionis et per auctoritatem, qua delegat sacerdotes ministros ad sacrificium suo nomine offerendum, sed etiam voluntate praesenti in singulis celebrationibus se constituens in statu cibi et potus sese Ecclesiae dat offerendum, et se ipsum offert aeterno Patri (cf. supra p. 337).

Sub hac ratione quae sane in sacrificio Eucharistiae primum et prae ceteris spectari debet, ut sacerdos offerens est ipse Christus Salvator, patet sacrificii valorem non pendere a sanctitate, meritis et *opere operantium* sive sacerdotum ministrorum Christi sive aliorum membrorum Ecclesiae, sed esse respectu sacerdotum et fidelium *ex opere operato*. Respectu vero Christi valor huius sacrificii, quatenus intelligitur valor meriti et satisfactionis, est ex opere operantis Christi ut se obtulit in cruce; quatenus valor dicitur praecise dignitas ex persona offerente et victimâ oblatâ, dignitas est a Christo, etiam ut adhuc nunc se offert et offertur in altari.

Porro ut intelligatur, quantus et ex quo principio sit valor *operis operati* in hoc sacrificio, considerari debet huius incruenti sacrificii ex intriseca sua natura essentialis relatio ad sacrificium redemptionis in cruce. Sistit et offert se Christus in hoc incruento sacrificio ut victimam, formaliter quatenus meritum nostrae redemptionis et satisfactionem pro nostris peccatis complevit in sacrificio cruento, et sub formali ratione huius meriti et satisfactionis completae hic iugiter se offert, ac proinde totum illud meritum consummatum continuo renovata oblatione Deo Patri re-

praesentat et exhibet. Hoc etiam sensu sacrificium Eucharistiae a Patribus et in Liturgiis dicitur *renovatio mortis Christi, renovatio et continuatio sacrificii in cruce, celebratio nostrae redemptionis etc.* Hinc valor intrinsecus, seu pretium et dignitas in se spectata huius sacrificii est simpliciter aestimationis infinitae.

Scilicet *a*) *relate ad Deum* adoratio, laus et gratiarum actio infinitae eius maiestatis *condigna* olim in cruce exhibita hoc Iesu Christi unigeniti Dei Filii sacrificio per ipsum magnum sacerdotem et in ipso ut in pretiosa victima iterum divino conspectui repraesentatur ac repetitur; et eodem modo honor Deo ad sarciendam iniuriam in cruce redditus maior quavis iniuria illata hoc eodem sacrificio repraesentatur. Unde *b*) *relate ad homines* nullum est bonum, cui impetrando non par et eminens in hoc sacrificio sit dignitas; nulla possunt esse peccata, pro quibus ad placandum Deum in eo non contineatur sufficiens compensatio et pretium superabundans.

Constat autem tum ex modo dictis tum ex superioribus (th. VII.), infinitatem hanc valoris ac dignitatis sacrificii non posse intelligi de novo merito et nova satisfactione, cum Christus exaltatus ad dexteram Dei iam non sit in statu merendi; sed intelligi debere de meriti in cruce consummati applicatione, quod quia est infinitum, est in applicatione inexhaustum in indefinitum. Ad modum vero loquendi quod adtinet, licet non possit dici in hoc sacrificio nova *satisfactio* ex opere operato et quatenus offerens est Christus ipse, sed solum satisfactionis iam praestitae applicatio, potest tamen dici nova Christi Redemptoris *impetratio* seu *interpellatio* apud Patrem (cf. Rom. VIII. 34; Heb. VII. 25; IX. 24). Ratio discriminis est, quia satisfactio intelligitur obiective ipsum opus quo satisfit pro iniuria illata, impetratio autem et interpellatio potest dici etiam meriti olim consummati repraesentatio, ut vi illius beneficia concedantur (cf. Tract. De Incarnat.).

Hucusque spectavimus sacrificii *aptitudinem* ex intrinseca dignitate ad impetrationem beneficiorum et propitiationem Dei offensi, h. e. spectavimus dignitatem in se ipsa

et valorem in actu primo, atque ita facile eius infinitatem intelligimus. At in actu secundo valor est, quatenus ad effectum determinatum a Christo secundum humanitatem offertur et a Deo acceptatur. Iam vero in acceptatione et actu secundo ne ipsum quidem sacrificium crucis erat vel esse potuit ad effectum infinitum. Ergo et sacrificium Eucharistiae applicans meritum crucis habet efficientiam in actu secundo non infinitam, sed finitam et supernaturalis providentiae consilio determinatam (cf. Tract. De Incarnat.).

Finita inquam est haec efficientia *intensive,* ut probatum manet ex dictis. Si vero spectetur ea *extensive* h. e. comparate ad numerum eorum, quibus fructus applicatur, multae sunt et valde discrepantes theologorum sententiae. Quatenus fructus participatur ab assistentibus ratione specialis eorum coniunctionis cum oblatione sacrificii, evidens est, fructum etiam qui sit ex opere operato, non minui in singulis propter multitudinem assistentium, et hoc sensu potest dici efficacia infinita *extensive.* Quod vero spectat ad eos, pro quibus sacrificium intentione sacerdotis specialiter offertur; efficacia *impetrationis* consequens ex infinita dignitate intrinseca sacrificii potest admitti secundum eandem infinitatem *extensive* spectatam. Quoad applicationem vero *satisfactionis* videtur ex sensu et praxi Ecclesiae dicendum, eam esse ita determinatam in divina acceptatione, ut hic fructus intentione sacerdotis applicatus multis, non totus singulis obveniat aeque ac si pro uno solo fuisset applicatus, sed potius in multos secundum partem et aliquem gradum distribuatur. Vide Suarez disp. 79. sect. II. 12; De Lugo disp. 19. sect. 9; Ysambert. in 3. q. 83. disp. 7. a. 1. 8. 10.

II. Consideravimus principium, unde sit et quantus sit valor sacrificii Eucharistiae ad impetrationem et propitiationem. Nunc quaerimus, qualis sit haec impetratio et maxime qualis propitiatio, et quomodo haec ab illa in sacrificio distinguatur.

Concilium Tridentinum sess. XXII. can. 3. ita definit: „Si quis dixerit, Missae sacrificium tantum esse laudis et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium, vel soli pro-

desse sumenti, *neque pro vivis et defunctis, pro peccatis, poenis, satisfactionibus et aliis necessitatibus offerri debere,* anathema sit.»

Itaque 1°. sacrificium est *impetratorium,* et sub hac ratione dicitur offerri «pro aliis necessitatibus» i. e. pro omnibus necessitatibus ordinis supernaturalis, et naturalibus ad finem supernaturalem conducentibus. Quaeritur, utrum impetratio haec dici debeat *ex opere operato,* circa quod videtur diversitas sententiarum esse potius in modo loquendi, quam in re ipsa. Sacrificium, quatenus a Christo sacerdote principe per sacerdotes ministros offertur, habet vim impetrandi ex sese et ultra omne meritum hominum, qui offerunt et pro quibus offertur. Sequitur tamen communem rationem impetrationis, quae, ut sit infallibilis, requirit certas conditiones ex parte postulantis, ex parte eius pro quo postulatur, ex parte obiecti quod postulatur, atque inter has maxime ex parte obiecti debitam congruentiam cum divina providentia ac gubernatione. Quoniam in praesenti spectamus sacrificium, quatenus est a Christo interpellante pro nobis, conditiones debitae solum possunt deesse ex parte eorum pro quibus postulatur, et consequenter etiam ex parte obiecti. Quamvis ergo non sit infallibilis impetratio eius obiecti, quod est in voluntate hominum, est tamen infallibilis impetratio eius boni, quod est in voluntate Christi interpellantis, nisi ponatur obex ab homine; et est impetratio vi dignitatis ipsius sacrificii, non autem ab hominis merito tamquam a causa. Nulla ergo est sufficiens ratio, cur non dicatur impetratio *ex opere operato.*

Est 2°. sacrificium *propitiatorium.* Haec ratio propitiationis *a*) facile intelligitur, quatenus sacrificium dicitur offerri «pro poenis et satisfactionibus.» Exhibetur scilicet Deo per sacrificium incruentum satisfactio consummata sacrificio cruento pro poenis adhuc luendis ab illis, pro quibus offertur. Poenae huiusmodi luendae in membris Ecclesiae adhuc viventibus sunt vel poenae sustinendae vel spontaneae *satisfactiones praestandae;* in animabus purgatorii, quae iam proprio sensu satisfacere nequeunt, sed solum patiuntur poenam seu (ut dici solet) satispatiuntur, possunt

dici *poenae* simpliciter; ita enim videtur Concilium distinxisse, quando dixit, sacrificium offerri «*pro vivis et defunctis... pro poenis, satisfactionibus etc.*» Clarissime haec efficientia sacrificii Eucharistiae demonstratur ex eo, quod illud nobis describitur in universa traditione tamquam *propitiatorium pro defunctis* (Conc. Trid. sess. XXV. decret. de purgat. cf. thesim antecedentem), pro quibus nulla alia vel certe nulla magis propria propitiatio intelligi potest, quam haec pro poenis residuis. Atqui si sacrificium hanc habet virtutem propitiationis pro defunctis, a fortiori eadem concedi debet pro membris Ecclesiae adhuc viventibus.

Dispositio ad hunc fructum percipiendum non alia necessario requiritur, quam status gratiae. Licet vero gradum poenae, qui remittatur, definire non possimus, isque probabilius in viventibus pendeat etiam a dispositione magis vel minus perfecta; est tamen effectus *ex opere operato* atque adeo infallibilis, nisi obex eum impediat.

b) Docet Concilium Tridentinum l. c., sacrificium Missae etiam «*pro peccatis* offerri debere.» Quomodo autem possit dici propitiatorium pro peccatis, declaratione indiget. Ex comparatione enim capitum doctrinae de iustificatione constat, in praesenti ordine nullum esse medium ordinarium sanctificationis immediatae nisi vel *ex opere operantis* vel *ex opere operato per sacramenta:* unde etiam constat, sacrificium sub formali ratione sacrificii non esse ordinatum ad immediatam nostram iustificationem et sanctificationem per gratiam habitualem; immo si ita esset, illud sub hac ratione accensendum esset sacramentis novae Legis. Ex altera vero parte sacrificium Eucharistiae in Liturgiis, a Patribus et in universa traditione (th. XII.) praedicatur *propitiatorium pro peccatis.* Hoc igitur intelligi debet non de efficacia ad immediatam iustificationem, sed de propitiatione Dei, qua per aliud medium interpositum homo peccator ad iustificationis gratiam perducatur, ut docuit Concilium ibid. cap. 2: «docet sancta Synodus, sacrificium istud vere propitiatorium esse... Huius quippe *oblatione placatus Dominus gratiam et donum poenitentiae concedens,* crimina et peccata etiam ingentia dimittit.»

Sed hac doctrina posita remanet declarandum, quomodo ratio propitiationis differat ab impetratione; videtur enim hoc totum nihil esse aliud quam impetratio gratiarum actualium, quibus peccator ad poenitentiam et per hanc ad iustificationem perducatur; tum vero haec propitiatio ab impetratione in genere non differt nisi obiecto, quatenus hic impetrantur gratiae directae ad remissionem peccatorum obtinendam. Solutio huius difficultatis iam continetur in verbis ipsis Concilii: «*huius sacrificii oblatione placatus* Dominus *concedit gratiam et donum poenitentiae.*» Peccata scilicet, praesertim «crimina et peccata ingentia» causa sunt, cur iustitia divina uberiores gratias subtrahat, quas, nisi peccata obstarent, concedere vellet. Iam per sacrificium, quo satisfactio in cruce consummata pro determinatis peccatoribus divino conspectui exhibetur et ita eis specialiter applicatur, haec iusta ira Dei placatur, ne poenam inferat subtractionis gratiarum; quam proinde placationem consequitur divina misericordia et liberalitas in concedendis gratiis abundantioribus, et per has ulterius, accedente hominis cooperatione, perficitur poenitentia et iustificatio. Propitiatio igitur respicit directe placandam divinam *iustitiam, ne poenam inferat,* impetratio divinam *bonitatem ac misericordiam, ut beneficia concedat.* Unde gratiae aliae, quibus non peccata commissa impedimento erant, sed quas tamen divina bonitas concedit ob meritum Christi per sacrificium Eucharistiae pro homine exhibitum et applicatum aliter non concedendas, adscribendae sunt sacrificio non quatenus propitiatorium, sed quatenus impetratorium est. Quia vero « si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus » (1 Io. I. 8.), pro omnibus sane necessaria est propitiatio velut antecedens impetrationem.

Effectus hic propitiationis pro peccatis gravibus nondum remissis est quidem et ipse *ex opere operato.* Duo tamen advertenda sunt. α) Possunt esse in hac quoque propitiatione gradus diversi, ut pro gravitate et multitudine criminum, proque diversa dispositione peccatoris placatio irae Dei plenior sit vel minus plena, atque ideo multiplicatio oblationum sacrificii ad eundem effectum pro eodem

homine (sive fiat applicatio intentione sacerdotis, sive consideretur specialis participatio per devotam assistentiam in celebratione sacrificii) non solum non superflua sed ex ipso modo efficaciae sacrificii maxime commendata est. β) Cum effectus in eo sit, ut gratias, quae in poenam peccatorum iuste subtrahuntur, Deus sacrificio placatus iam conferre velit; patet, gratias uberiores non semper continuo sed tempore opportuno, nec per miraculum sed iuxta ordinatam providentiam, nec ita conferendas esse, ut effectus ipse ultimus poenitentiae et remissionis peccatorum culpa hominis frustrari non possit. Utrumque quod dicimus, nominatim necessitatem et gradus diversos dispositionis atque accommodam gratiarum distributionem indicat Concilium Tridentinum l. c.: « docet S. Synodus, sacrificium istud vere propitiatorium esse, per ipsumque fieri, ut *si cum vero corde et recta fide, cum metu et reverentia, contriti ac poenitentes ad Deum accedamus,* misericordiam consequamur et *gratiam inveniamus in auxilio opportuno.* » Vide de Lugo disp. 19. sect. 9. n. 140 seqq.

c) De propitiatione pro peccatis venialibus eodem fere modo sentiendum videtur; referri scilicet sacrificium ex opere operato ad eorum remissionem non immediate sed mediate per placationem divinae iustitiae, ne in poenam venialium etiam culparum uberiores gratias neget, quibus cooperando homo deinde obtineat remissionem peccatorum per poenitentiam. Hoc praesertim tenendum est, si iuxta sententiam probabiliorem in praesenti ordine peccata venialia viventibus numquam remittuntur sine novae gratiae sanctificantis infusione; ad gratiam enim ex opere operato conferendam sacramentum non autem sacrificium ordinatur. Unde vides, quoad remissionem poenae adhuc superstitis et remissionem venialis culpae Eucharistiam sub ratione *sacramenti* et sub altera *sacrificii* ordine inverso se habere. (Vide de Sacram. Euch. th. XVII. p. 279. 280.). Hoc autem loco merito ea propitiatio per sacrificium advertenda est, ne Deus in iustam poenam venialium subtrahat gratiarum ubertatem, quibus a malo omnium maximo, ipso videlicet peccato gravi praeservemur.

Corollarium 1. Ut Christi minister et legatus apud Deum ex intentione saltem habituali totius Ecclesiae sacerdos offert sacrificium *a*) generatim pro tota Ecclesia. Unde sacrificio respondet semper fructus pertinens directe ad commune bonum Ecclesiae et secundum hoc ad singula Ecclesiae membra, quatenus ad commune bonum conferunt. Hinc est, quod in liturgia inter commemorationem generalem totius Ecclesiae speciatim visibile caput Ecclesiae Romanus Pontifex et singularum Ecclesiarum Pastores exprimuntur. Imo *indirecte* ad ipsos infideles et avulsos ab Ecclesia, ut, qui membra Ecclesiae sunt solum in potentia et obligatione, fiant membra actu, ex eadem ratione fructus extenditur (1). Hic igitur fructus dici potest *generalis.*

b) Natura sacrificii, praxis et doctrina universalis, quae ex Patribus et Liturgiis colligitur, fidei analogia ex modo, quo satisfactio et impetratio universim aliis applicari potest, certo demonstrant, sacrificium offerri posse, et ideo saepissime ex obligatione, quae ex diversis titulis oriri potest, offerri debere speciatim pro certis quibusdam hominibus vivis vel defunctis et ad finem determinatum. Unde pariter constat, esse in potestate sacerdotis *specialem fructum* propitiationis et impetrationis, etiam qui sit ex opere operato sacrificii, sua intentione applicandi determinatis personis et pro determinato fine. Imo fructus specialis, saltem quatenus pertinet ad satisfactionem pro poenis adhuc residuis, sine aliqua actuali, virtuali, vel habituali intentione sacerdotis nemini applicari posse videtur, sed manere, ut loquitur Suarez (disp. 79. sect. 9), in thesauro Ecclesiae. Recte tamen ipse Suarez advertit ibidem, hanc hypothesin, ut sacerdos saltem virtuali intentione nec sibi nec alteri velit fructum applicatum, vix posse habere locum. Ob hanc nihilominus rationem suadent sic dictam « intentionem se-

(1) Qui in verbis institutionis declarationem: « qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum, » ex ratione universalitatis negant referri posse ad sacrificium Eucharistiae, ut Vasquez disp. 199., non considerant relationem verborum esse ad sacrificium tum cruentum tum incruentum licet diverso modo, et sacrificium incruentum ipsum, quantum ex se est, et *indirecte* extendi ad omnes homines (cf. th. XI).

*

cundam, » ut si is, pro quo sacrificium speciatim offertur, fructus est incapax, aliis prosit vel ipsi sacerdoti (Suarez ib. sect. 10. ad fin.).

Denique *c*) fieri nequit, ut supposita sufficienti dispositione ipsi sacerdoti offerenti non solum ex opere operantis, sed etiam ex opere operato sacrificium non sit propitiationis et impetrationis. Hic dici potest *fructus specialissimus*. Etiam quoad fideles, qui sacrificio devote assistentes specialiter cum sacerdote uniuntur, et in liturgia dicuntur et ipsi offerentes licet denominatione solum derivata propter illam unionem cum sacerdote proprie in persona Christi sacrificante (cf. Suarez disp. 77. sect. 3), hoc idem servata debita proportione dicendum videtur, si excipiatur propitiatio pro poenis residuis, quam eis ex opere operato obvenire nullum est satis firmum argumentum (Suarez disp. 79. sect. 8. cf. De Lugo disp. 19. sect. 11).

Distinctio igitur fructus sacrificii Eucharistiae in *generalem, specialem* (*medium* alii appellant) et *specialissimum* licet quoad verba antiquior Scoto non sit, rite tamen intellecta fundatur in ipsa huius sacrificii natura, et proinde quoad rem est tam antiqua quam ipsum sacrificium.

Corollarium 2. Fructus generalis et specialis *ex opere operato,* qui aliis applicatur, independens est a merito et sanctitate sacerdotis, non autem fructus ex opere operantis. Hunc fructum *ex opere operantis* videntur intelligere, qui postulant sibi a sacerdote applicari, vel promittunt aliis applicandum fructum sacrificii *specialissimum,* si tamen theologice loquuntur, et non solum rhetorice positivum mutant in superlativum. Est autem fructus ex opere operantis minus certus et per se sumptus inferior quam fructus ex opere operato.

CAPUT V.

DE RATIONE INTRINSECA, QUA OBLATIO EUCHARISTIAE EST SACRIFICIUM.

THESIS XIV.

Quomodo se habeat definitio sacrificii in genere ad demonstrationem veritatis sacrificii in Eucharistia.

« Eo ipso quod credendum proponitur, Eucharistiae celebrationem » esse verum et proprium sacrificium, credendum pariter est, elementa » omnia, quae essentiam constituunt sacrificii generatim spectati, in » hoc speciali sacrificio reperiri; non tamen ideo aeque ad fidem explicatam pertinet, vel quae sint omnes et solae essentiales notae sacrificii in genere, vel in quo huius eucharisticae sacrificationis essentia unice reponenda sit. Confundunt ergo obiectum catholicae fidei propositum cum obiecto theologicae deductionis et analysis, qui catholicorum Doctorum dissensione in explicanda propria *forma* et *essentia* » sacrificii eucharistici abutuntur ad impugnandam consensionem in profitenda *veritate* sacrificii. »

Verissima quidem est propositio, quam statuunt Fratres de Wallenburch (Tract. I. Exam. 3. n. 23. T. I. p. 165): «revelato definito, formaliter revelatur definitio;» erraret tamen gravissime, qui inde concluderet, semper etiam ad fidem catholicam sufficienter propositam pertinere definitionem, quoties existentia rei definitae satis proposita est, et proinde non posse esse inter catholicos Doctores citra fidei discrimen dissensionem in rei definitione, quando citra haeresim dissensio esse non potest circa rem ipsam definitam. Sic fide sufficienter propositâ constat, libros s. Scripturae esse libros divinitus inspiratos, opus bonum supernaturale non fieri ab homine nisi viribus gratiae efficacis, peccatum originale esse verum peccatum etc., non tamen ideo ad fidem catholicam satis propositam, ita ut absque haeresi dissentire nemo possit, aeque pertinet definitio et determinatio essentiae, quid sit liber inspiratus, quid gratia efficax, quid peccatum originale quoad omnes et singulas notas specificas (imo in stabilienda definitione etiam generica habitualis peccati ne erretur, prae oculis habenda est veritas revelata, peccatum originale esse verum et proprium peccatum). Ex-

plicatione ergo indiget illa propositio: «revelato definito, revelatur definitio,» quo sensu vera, quo falsa sit. Revelatum *definitum,* seu potius revelata *res, definienda per suas notas essentiales,* potest se habere ad definitionem tripliciter. *a*) Potest esse definitio ita per se evidens, ut nemo aliquam notam in tali definitione contentam negare possit rei revelatae, quin eo ipso neget, rem esse eam quae revelatur. Tum sane in ipsa satis proposita revelatione rei etiam satis proposita est rei definitio. Sic in revelatione proposita, quod Christus est homo, etiam propositum est, quod Christus est animal rationale. Qui ergo negaret in Christo unam vel alteram harum notarum, necessario negaret ipsam rem explicite revelatam, Christum esse hominem. *b*) Potest definitio non quidem esse evidens ex sola enuntiatione rei revelatae, sed tamen contineri in revelatione sufficienter propositâ. Sic definitio sacramenti novae Legis non quidem est evidens ex sola enuntiatione, sed continetur in revelatione sufficienter proposita, sacramentum novae Legis esse sensibile signum *efficax gratiae.* Ideo admittens e. g. baptismum esse sacramentum novae Legis non ideo minus esset haereticus, si negaret esse signum efficax gratiae. *c*) Possunt notae essentiales omnes et singulae rei, cuius existentia revelata est, neque evidentes esse per se ex sola enuntiatione rei definiendae, neque declaratae in revelatione sufficienter propositâ, sed solum deducendae et eruendae diligentiori comparatione privatorum Doctorum. In hac hypothesi aliquae notae saltem generaliores et in confuso, ut sciatur quid credendum sit, continentur in revelatione satis propositâ eo ipso, quod dicitur res credenda sufficienter proposita; in illis ergo notis generalioribus non magis potest esse dissensio inter Catholicos quam in re ipsa revelata et explicite credenda. Sed quoad notas aliquas speciales et necessarias ad definitionem specificam aliter res se habet. Definitum obiective includit necessario omnes notas definitione exprimendas; unde quando revelatum est definitum, implicite continentur etiam in revelatione obiectiva omnes notae essentiales, quibus definitio construenda est; sed non ideo iam sufficienter propositum est ita, ut omnes credere teneantur, quae et

quales sint singulae illae notae essentiales. Potest utique fieri talis fidei obiectivae explicatio in Ecclesia Dei, ut accedente sufficienti consensu vel etiam authentica declaratione notae illae speciales revera materialiter contentae in obiectiva revelatione, etiam sufficienter proponantur credendae; sed quamdiu res est permissa deductioni privatorum theologorum, hique sciente et non contradicente magisterio authentico inter se dissentiunt, profecto hic dissensus non est circa revelationem sufficienter propositam.

Sic in re praesenti dogma est revelatum et propositum ita, ut omnes credere teneantur, in Missa offerri Deo verum et proprium sacrificium. Unde etiam pari modo revelatum et propositum est, omnes proprietates essentiales veri sacrificii reperiri in hac oblatione; non tamen hoc ipso iam explicatae sunt et ad credendum sufficienter propositae omnes et singulae proprietates, quae sacrificii essentiam formaliter constituunt et quae reipsa sunt in obiecto revelato. Habetur quidem ab omnibus notio saltem confusa sacrificii, ut sit oblatio rei substantialis Deo facta in agnitionem supremae maiestatis, atque cultus externi actus specialis propriique nominis. At notae omnes et solae essentiales ad talem oblationem constituendam poterunt determinari ope deductionis ex ipsis diversis sacrificiis, eorum forma, fine ac scopo, quae omnia etiam in revelatione continentur; hactenus tamen talis deductio perficitur examine et illationibus privatorum theologorum, nec est sufficienter proposita, ut ipse dissensus et diversitas opinionum inter catholicos theologos evidenter ostendit.

Quando ergo theologice demonstrandum est, oblationem Eucharistiae esse verum et proprium sacrificium, demonstratio, saltem princeps, non potest esse synthetica descendens ab universali ad speciale et singulare ita, ut primum statuatur definitio sacrificii in genere et determinentur essentiales eius notae, ac deinde ex consideratis notis constituentibus hanc specialem oblationem eucharisticam inferatur, eam esse vere et proprie dictum sacrificium. Sed ordine inverso primum demonstramus, in verbo Dei revelato proponi Eucharistiae celebrationem ut verum et proprium sacrificium;

tum vero non ad demonstrationem existentiae sed ad declarationem essentiae, *quomodo sit* sacrificium, et ad directam solutionem quarumdam difficultatum quae fieri possunt, per analysin inquirimus essentiales characteres, quibus hoc speciale sacrificium formaliter constituatur in ratione sacrificii. Illud prius pertinens ad quaestionem, *an sit*, constat ex fide catholica proposita ac definita; quaestio altera, *quomodo sit*, in re praesenti pertinet ad theologicam inquisitionem, ubi citra discrimen fidei aut sanae doctrinae potest esse aliqua sententiarum diversitas.

Posse autem ex revelatione plenissime solvi quaestionem, *an sit*, quin iam praesupponatur vel eâdem certitudine fidei consequatur *distincta* determinatio notarum essentialium, *quomodo sit*, ex superioribus constat. In Scriptura enim, in universa traditione apostolica, in explicita definitione Ecclesiae continetur, oblationem Eucharistiae esse verum et proprium sacrificium; non tamen eadem claritate continetur aut explicite propositum est, quae omnes et solae proprietates intrinsecae illud constituant in formali ratione sacrificii, sed hoc, ut saepe dixi, deductionibus theologorum nec ab omnibus eodem modo stabilitur.

Qui igitur aiunt, non posse constare maiori certitudine, Eucharistiam esse sacrificium proprie dictum, quam constent characteres essentiales sacrificii proprie dicti; ii confundunt duas quaestiones valde diversas existentiae et essentiae, *an sit* et *quomodo sit*. Propositio igitur haec distinguenda est ita: non posse certius constare esse sacrificium, quam constet habere omnes notas sacrificio essentiales, *concedimus;* non posse certius constare esse sacrificium et habere proinde notas essentiales sacrificii, quam constet, quaenam sint notae omnes et solae constituentes formalem rationem sacrificii, *negamus*. Ulterius si dicatur: non potest esse revelatum, Eucharistiae oblationem esse sacrificium, quin revelatae sint notae essentiales sacrificii existentes in oblatione Eucharistiae; pariter distinguimus: non potest in obiectiva revelatione contineri veritas sacrificii, quin notae essentiales sacrificii contineantur in obiecto revelato, *concedo;* non potest sufficienter ad obligationem fidei proposita

esse revelatio existentiae sacrificii, quin eodem modo propositae sint notae, quae omnes et solae constituant essentiam sacrificii, *nego*.

At si fidei et catechesi satis esse potest novisse revelationem propositam de existentia sacrificii eucharistici, scientia theologica continetur quidem etiam in cognitione scientifica, quomodo haec veritas sacrificii revelata sit in verbo Dei tum scripto tum tradito, non tamen hac una cognitione absolvitur; sed praeterea ad theologiam pertinet inquisitio essentiae, ut deducantur proprietates essentiales, quibus formaliter ratio sacrificii constituatur, ut distintius intelligatur, *quomodo* Eucharistia sit veri propriique nominis sacrificium.

THESIS XV.

Sacrificium hoc incruentum esse relativum *ad sacrificium cruentum in cruce, demonstratur ex ipsa intrinseca ratione ac forma, qua est institutum.*

« Ad intelligendam rationem intrinsecam, qua oblatio Eucharistiae » formaliter constituatur sacrificium, animadverti primum debet, incruen- » tam hanc oblationem, quae in se est verum ac proprium sacrificium, » simul esse sacrificium relativum ad sacrificium cruentum in cruce; » ita enim Christus Salvator illud instituit, ut constituendo vi verbo- » rum corpus sub speciebus panis, et sanguinem sub speciebus vini, in » ipsa re fiat semper nova et expressa repraesentatio effusionis sangui- » nis semel in cruce factae, atque adeo effusio mystica, licet realis ef- » fusio non consequatur. »

Ex verbis ipsis institutionis: « hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur (frangitur, datur); hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur (effunditur), » quibus respondet disertum Christi mandatum: « hoc facite in meam commemorationem, » et addita Apostoli explicatio: « quotiescumque enim manducabitis (ἐσϑιητε) panem hunc, et calicem bibetis (πινητε), mortem Domini annuntiabitis (καταγγελλετε annuntiatis vel annuntiate), donec veniat; » ex christiana deinde professione manifestissima, Patrumque et omnium Liturgiarum explicita doctrina constat, Salvatorem ita instituisse sacrificium incruentum, ut intrinseca sua natura

et modo offerendi sit relativum ad sacrificium cruentum, eiusque realis et obiectiva commemoratio.

Fundamentum huius relationis non constituitur solum extrinseca voluntate et ordinatione Christi institutoris, sed est intrinsecum tum in eo, quod Christus ipse, formaliter quatenus oblatus est in cruce et ad applicationem meritorum in cruce consummatorum, se sistit in altari sub speciebus panis et vini; tum in ipso modo, quo corpus et sanguis Christi constituitur sub speciebus panis et vini. De priori illa ratione ac fundamento intrinsecae relationis ad sacrificium crucis satis dictum est in superioribus, nominatim in thesi XII. Nunc modum ipsum oblationis ex institutione Christi essentialem consideramus, quo sacrificium hoc (eius veritate supposita) constituatur *relativum.* Instituit Christus sacrificium corporis et sanguinis sui ita, ut vi verborum distinctim ponatur corpus sub speciebus panis, et sanguis sub speciebus vini. Hac autem distincta consecratione, non in re aliena et in mera imagine, sed in ipso reali corpore et sanguine Christi repraesentatur separatio et effusio sanguinis facta in cruce. Unde divinus Redemptor in ipsa institutione hanc distinctam positionem corporis et sanguinis sub speciebus panis et vini declarat esse « effusionem sanguinis. » Dum scilicet habet prae oculis effusionem realem in cruce, et sacrificium praesens corporis et sanguinis distinctim sub speciebus panis et vini tamquam realem repraesentationem illius, eodem nomine complectitur sacrificium repraesentans et sacrificium repraesentatum, appellans effusionem sanguinis sacrificium incruentum, quia refertur ad effusionem realem eamque repraesentat, et derivans nomen ab effusione reali et repraesentata ad sacrificium, quod ipso proprio suo modo eam repraesentat: hic est sanguis meus, qui pro multis *effunditur* sacrificio reali sed effusione mystica (repraesentante); qui pro multis *effundetur* sacrificio et effusione reali ac per praesens sacrificium repraesentatâ (1) (cf. th. XI.).

(1) Quatenus Christus Redemptor voluntate, qua se ipsum offerebat in ultima coena sacrificio relativo, respiciebat sui sacrificationem sacrificio cruento et absoluto in cruce, simul includens in illa prima obla-

SS. Patres et Liturgiae hanc realem imaginem et repraesentationem passionis ac mortis cruentae exhibitam in sacrificio incruento saepe declarant. « Apparet, inquit Cyprianus, sanguinem Christi non offerri, si desit vinum calici, nec sacrificium Dominicum legitima sanctificatione celebrari, nisi oblatio et *sacrificium nostrum responderit passioni* ..... Quia passionis eius *mentionem in sacrificiis omnibus facimus*, *passio est enim Domini sacrificium quod offerimus;* nihil aliud quam quod ille fecit, facere debemus» Cyprian. ep. 63 ad Caecil. (ed. Baluz. p. 107. 109). « Ante agnus offerebatur, nunc Christus offertur, sed *offertur quasi homo quasi recipiens passionem* » Ambros. de Offic. l. I. c. 48. « A Christo instituti sacrificii coelestis causam rationemque noscamus... Voluit beneficia sua manere apud nos, voluit animas pretioso sanguine suo semper sanctificare *per imaginem passionis*. Et ideo discipulis fidelibus mandat, quos primos Ecclesiae suae constituit sacerdotes, ut indesinenter ista vitae aeternae mysteria exercerent» Gaudent. Brix. Serm. 2°. in Exod. ad Neophyt. « Haec singulariter victima ab aeterno interitu animam salvat, quae *illam nobis mortem Unigeniti per mysterium reparat,* qui licet resurgens a mortuis iam non moritur et mors ei ultra non dominabitur, tamen in semetipso immortaliter atque incorruptibiliter vivens pro nobis iterum in hoc mysterio sacrae oblationis immolatur... Hinc ergo pensemus, quale sit pro nobis hoc sacrificium, quod *pro absolutione nostra passionem*

tione institutrice perpetuam sui oblationem usque ad consummationem saeculi in singulis oblationibus futuris per ministros sacerdotes; et quatenus vicissim voluntate, qua se sacrificabat in cruce, respiciebat omnes futuras oblationes incruentas ad illud relativas; hoc, inquam, sensu intelligi solum potest, quod ait Card. Cienfuegos, actum sacrificationis in cruce et in omnibus altaribus esse unum numero; non autem est probabile, quod Cardinalis asserit, eundem numero actum internum quo Christus se sacrificabat in ultima coena, fuisse *reproductum* in cruce, et *reproduci*, quoties sacerdotes consecrant, atque ideo non solum ratione sacerdotis principis et victimae, sed etiam *ratione actus sacrificantis e offerentis esse numero unum sacrificium crucis et sacrificium Eucharistiae,* quoties offertur. Cienfuegos Vita abscond. disp. VI. sect. 2. §. 1. n. 24. De unitate et distinctione sacrificii dicemus infra.

unigeniti Filii semper imitatur» S. Gregor. M. Dialog. l. IV. c. 58. Pari modo Augustinus sacrificium incruentum passim nominat *sacramentum sacrificii cruenti*, et Patres universe vidimus celebrationem Eucharistiae dicere antitypum, signum, imaginem, symbolum passionis Dominicae (de Sacram. Euch. th. X. p. 132 seq., et de Sacrif. th. IX. p. 327). Eodem etiam pertinet Patrum et Liturgiarum modus loquendi, quando verba consecratoria dicunt gladium spiritualem, gladium rationalem et incorporeum, quo victima immolatur. « Ne cuncteris et orare et legatione fungi pro nobis, quando verbo Verbum attrahis, *quando incruenta sectione secas corpus et sanguinem Dominicum vocem adhibens pro gladio»* (1) Nazianz. ep. 171. al. 240 ad Amphiloch. Episcop. (cf. th. IX. p. 322.). Totam hanc doctrinam S. Thomas 3. q. 83. a. 1. paucis ita complectitur: « Celebratio huius sacramenti imago quaedam est repraesentativa passionis Christi, quae est vera eius immolatio (cruenta), et ideo celebratio huius sacramenti dicitur Christi immolatio. »

Sine dubio igitur relatio ad sacrificium cruentum in cruce fundatur in ipsa intrinseca natura huius sacrificii incruenti, ut a Christo institutum est. Unde si tollatur haec relatio secundum institutionem Christi huic sacrificio essentialis, tollitur ipsa ratio sacrificii. Sublata igitur sanguinis effusione mystica, i. e. consecratione distincta corporis et sanguinis Christi sub duplici specie, quae effusionem sanguinis in cruce et sacrificium cruentum repraesentat, per consecrationem unius tantum speciei reddetur quidem Christus realiter praesens, sed sacrificium non erit.

A quaestione hactenus declarata, quomodo hoc sacrificium sit *relativum,* longe diversa est quaestio altera, utrum vel ipsa relatio et repraesentatio sacrificii absoluti in cruce peracti (ut contendit Vasquez), vel consecratio distincta corporis et sanguinis sub duplici specie, praecise quatenus vi verborum seorsum ponitur corpus et sanguis Christi (ut censuerunt Lessius aliique), constituat formaliter celebrationem Eucharistiae in ratione veri et proprii sacrificii. Esse *sacrificium*

(1) Ὁταν ἀναιμακτῳ τομῃ σωμα και ἁιμα τεμνης δεσποτικον, φωνην ἐχων το ξιφος.

relativum duo significat, esse scilicet in se verum et proprium sacrificium habens omnes proprietates ad rationem sacrificii essentiales, et insuper habere relationem ad aliud sacrificium, quae relatio huic quidem sacrificio speciali non tamen omni sacrificio essentialis est. Utrum vero haec relatio vel illa effusio sanguinis mystica tamquam relationis fundamentum, vel aliquid aliud sit ratio formalis intrinseca, ex qua constituatur verum et proprium sacrificium in se, nondum quaesivimus; in hac enim thesi solum supposita veritate sacrificii, quam in superioribus ex revelatione demonstravimus, declaratum est, cur et *quomodo sit relativum* ad sacrificium crucis; sed nondum declaravimus, *quomado in se sit verum et proprium sacrificium,* seu quid sit illud, quo celebratio Eucharistiae intrinsece constituatur sacrificium, et quomodo ei conveniant proprietates essentiales omni sacrificio proprie dicto.

THESIS XVI.

Declaratur intrinseca ratio formalis, qua sacrificium Missae sit sacrificium verum *ac* proprium.

« Quamvis ex mystica sanguinis effusione, de qua diximus, praeclare » intelligatur forma sacrificii relativi, si est verum sacrificium, non ta- » men ex ea per se spectata satis intelligitur, *quomodo* Eucharistiae » celebratio in se ipsa sit verum et proprium sacrificium. Putamus ergo » cum Cardinali de Lugo plurimisque deinceps theologis, intrinsecam » sacrificationis formam in eo esse, quod Christus magnus sacerdos per » ministerium sacerdotum eius nomine offerentium, corpus et sangui- » nem suum sub speciebus panis et vini constituit secundum quamdam » sanctissimae suae humanitatis a functionibus et rationibus existendi » connaturalibus exinanitionem ad statum cibi ac potus. Haec enim sen- » tentia ex comparatione modi existendi sacramentalis cum communi » sacrificii notione, ex SS. Patrum doctrina, atque ex formulis liturgicis » non paucis quoad rem ipsam facile colligitur, et quoad ipsum etiam » modum loquendi a christiana antiquitate non est aliena. »

I. Gabriel Vasquez disp. 220. c. 3. explicat notionem sacrificii in genere, quae ergo cuivis speciei sacrificii convenire deberet. Ex parte significationis, quam ipse appellat formam (nos diximus formam metaphysicam supra p. 294.), propriam rationem sacrificii ait esse, ut significet Deum « auctorem vitae et mortis; » hanc vero significationem de-

bere inesse *rei* alicui, non autem verbis solummodo. Ut porro revera talis significatio rei insit, concedit, requiri ex parte materiae (rei oblatae) immutationem, qua sola apte significatur illud absolutum dominium in vitam et mortem (1). Unde triplicem constituit definitionem sacrificii in genere, primam ex parte significationis seu formae (metaphysicae): « sacrificium est nota existens in re (h. e. signum constitutum non in verbis sed in re, signum reale non verbale), qua profitemur Deum auctorem vitae et mortis.» Altera definitio Vasquezii est ex parte materiae seu rei oblatae: « sacrificium est res, quae per sui immutationem Deo offertur. » Porro si respicitur *in recto* actio, qua offertur (quam nos diximus formam physicam supra l. c.), tertiam statuit definitionem: « sacrificium est mutatio rei, quae Deo offertur » ibid. n. 25. Has definitiones (a quibus minime nos dissentire, patet ex dictis thes. II. p. 300) Vasquez proponit velut sacrificii in genere; interim tamen significat n. 25, mutationem rei oblatae non requiri in sacrificio relativo, quod sit commemoratio sacrificii absoluti; hoc autem ipso negat, suam definitionem ex parte actionis sacrificae comprehendere quamvis speciem sacrificii, et proinde negat esse genericam. Quando deinde declarat disp. 222. c. 7 et 8 formalem rationem sacrificii eucharistici, eam in hoc unice constituit, quod corpus et sanguis Christi ita fit praesens, ut repraesentet sacrificium in cruce oblatum eiusque sit commemoratio. «Nam, inquit, commemoratio mortis Christi futurae, qualis fuit in consecratione facta in postrema coena, aut mortis praeteritae, qualis fit a quolibet sacerdote post mortem Christi consecrante, eo ipso quod mortem Christi repraesentat et quasi praesentem eam facit, denotat Deum auctorem vitae et mortis, ac si tunc Christus in honorem Dei reipsa occideretur. » Unde non secus ac si ab omnibus admitti deberet, in commemoratione sacrificii veri esse talem agnitionem supremi dominii in vitam et mortem, qualis requiritur ad verum sacrificium, sine alia probatione con-

(1) « Omnipotentia Dei ad conservandum et destruendum omnia immutatione rei, quae offertur, recte denotatur, ut sine illa apte significari non possit » ib. n. 25.

cludit: « commemorativum sacrificium sine rei oblatae immutatione esse potest, tametsi ad essentiam sacrificii absoluti necessaria sit, eo quod ratio formalis sacrificii, quae est significatio non in verbis sed in rebus, qua denotatur Deus auctor vitae et mortis, sine tali immutatione in sacrificio commemorativo reperitur. » ib. c. 8. n. 65.

Hanc opinionem multis argumentis refutatam videre potes apud Card. de Lugo disp. 19. sect. 4. n. 57 sqq. et vehementius apud Card. Cienfuegos (Vita abscond. disp. 5. sect. 1. num. 4 sqq.), qui eam putat repugnare Concilio Tridentino sess. XXII. can. 3. « Concilium, inquit Cardinalis, proscribit dicentes sacrificium altaris esse nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti. Sed opinio Vasquez et sequacium contendit, iuge sacrificium esse nudam commemorationem sacrificii cruenti, tametsi eo ipso sit verum sacrificium per hoc solum, quod sit pure nudeque commemorativum sacrificii crucis, licet nihil aliud exerceat circa hostiam (victimam) praesentem. Ergo proscripta videtur reipsa in Tridentino. » Haec censura certe nimia est; neque enim Concilium aliud proscribere voluit quam haeresim, quae ita affirmat, celebrationem Eucharistiae esse nudam commemorationem sacrificii crucis, ut neget eam esse verum et proprium sacrificium. Est tamen notatu dignum, quod, si Vasquezii sententia vera esset, Lutherani admittentes realem praesentiam et commemorationem ac repraesentationem sacrificii in cruce peracti, concedentes etiam, hoc sensu latiori posse Eucharistiam dici sacrificium (1), viderentur reipsa admittere totum, quod constituit verum ac proprium sacrificium,

(1) « Actio coenae Dominicae, inquit Kemnitius, veteribus vocatur sacrificium, oblatio, immolatio, quia coena Dominica celebratur et usurpatur in memoriam seu commemorationem unici sacrificii Christi in cruce semel peracti » (Exam. Conc. Trid. T. II. mihi p. 153 seq.). Bellarminus de hac Kemnitii doctrina ita scribit: « Addit quarto sacrificii acceptionem pro sacrificio commemorativo, id est pro ea re, quae fit in memoriam sacrificii crucis... Videtur eam admittere, ut possit eludere loca Patrum, in quibus Missa dicitur sacrificium. Ceterum ea acceptio plane arbitraria et conficta est; nam nec Scriptura nec Patres sacrificium appellant id, quod est solum figura vel commemoratio sacrificii » Bellarmin. l. V. c. 2.

et ita ad hoc caput quod spectat, videretur controversia esse magis de nomine, quam de re ipsa. Hoc autem certe nemo catholicus dixerit. Verbis paulo acrioribus more suo Card. Cienfuegos l. c. hanc rationem urget: «Haec opinio (Vasquezii) frequenter deseritur et non infrequenter carpitur, et quidem summo iure, quoniam illa viam planam sternit haereticis, omne verum et proprium sacrificium ab altari arcentibus, tametsi agnoscant et praedicent veram commemorationem sacrificii cruenti ibidem ad vivum iugiter repraesentari, sive per mysticas benedictiones panis et vini divisim factas et verborum energiam mortis Christi Domini significativam iuxta illos, qui praesentiam realem Christi Domini impia contentione aversantur, sive per veram consecrationem ponentem Christum Dominum sub utraque specie iuxta Lutheranos, ut ex terminis planum est» etc. Sicut severum hoc iudicium Cardinalis nolumus nostrum facere, potest enim multipliciter contra illud excipi; ita etiam minus probare valemus sententiam eorum theologorum, qui Vasquezii opinionem eo nomine commendant, quod sit facilior et eâ admissâ Protestantes iam nihil habeant, cur in Missa verum sacrificium offerri negent. Quaeratur primum de veritate et tum demum de facilitate, quam ceterum ego quidem in hoc explicandi modo *ad intelligendam proprietatem sacrificii* nullam video, sed potius video difficultatem maximam.

Sane 1°. sacrificium proprie dictum non quocumque modo est realis protestatio supremi dominii Dei seu, ut Vasquez loquitur, nota realis supremi dominii in vitam et mortem, sed modo determinato, scilicet per rei immutationem et saltem morali aestimatione aequivalentem destructionem, quod Vasquez ipse de sacrificio absoluto fatetur et contendit. Atqui hoc concesso per relationem ad sacrificium absolutum eiusdemque repraesentationem poterit quidem oriri aliqua supremi domini protestatio, sed non protestatio propria sacrificio. Ergo non potest intelligi ratio sacrificii ex sola repraesentatione sacrificii absoluti. Longe enim aliud est, quod hic et nunc per rei destructionem fit professio et protestatio supremi dominii et absolutae nostrae dependentiae,

in quo propria ratio sacrificii distinguens ab omnibus aliis actibus religiosis sita est; et aliud est, quod solum repraesentatur talis agnitio supremi dominii alibi per rei destructionem facta.

2°. Quando dicitur *sacrificium relativum,* duo dicuntur; esse scilicet illud imprimis in se verum sacrificium, deinde vero referri ad aliud. Quatenus est verum sacrificium non differt a sacrificio absoluto, sed unice eo, quod unum refertur, alterum non refertur ad aliud sacrificium. Utrum ergo sacrificium sit absolutum an relativum, perinde omnino est respectu notarum essentialium ad rationem *veri sacrificii;* istae igitur notae si desint in relativo, poterit illud esse aliquod aliud signum, alius actus repraesentans sacrificium absolutum, sed non poterit esse *verum sacrificium.*

3°. Nihil refert conditio, quam postulant Vasquez et eius sequaces; quod scilicet debet repraesentatio fieri in illa ipsa re, quae alibi oblata est sacrificio absoluto. Nam primo si sufficeret ad sacrificium relativum repraesentatio sacrificii absoluti alibi peracti, diversitas victimae non posset impedire rationem sacrificii relativi, sed solum efficeret, ut alia res offerretur sacrificio relativo, alia esset oblata sacrificio absoluto. Deinde identitas rei alibi oblatae vero sacrificio nihil confert ad veritatem sacrificationis praesentis, nisi hic et nunc inducatur verus status victimae, qui sola repraesentatione sacrificationis alibi factae certe non inducitur. Sic si Iephte et filia eius resurgerent, et in honorem Dei vellent repraesentare sacrificium olim oblatum (Iudic. XI. 39), non ideo in tali repraesentatione ulla esset nota sacrificii, ut recte animadvertit Card. de Lugo l. c. n. 58.

Denique 4°. omissis ceteris, quamvis verissima sit repraesentatio sacrificii cruenti per celebrationem Eucharistiae, reperitur tamen in ea etiam illud ipsum, quod in aliis omnibus sacrificiis constituit propriam rationem intrinsecam sacrificii, ut demonstrabimus; ergo in hoc debet constitui ratio, qua sit *verum* sacrificium in se; in illa vero repraesentatione solum continetur propria forma, qua est sacrificium *relativum.*

Patres, quos citat Vasquez (disp. 222, c. 7) pro sua sententia, nihil omnino aliud docent, quam quod nos in superiori thesi declaravimus, hoc scilicet incruentum sacrificium esse relativum ad sacrificium cruentum in cruce peractum; at quam fallaciter inde concludatur, in ipsa hac relatione a Patribus reponi rationem intrinsecam, ex qua sit verum et proprium sacrificium in se, ex dictis satis constat. Quatenus igitur sententia Vasquezii docet, sacrificium eucharisticum esse sx sua institutione essentialiter relativum ad sacrificium crucis, ea est verissima et ab omnibus catholicis admittitur, sed est sententia supplenda per considerationem formalis rationis, qua constituatur proprie dictum *sacrificium in se.*

Eodem fere modo sentiendum esse putamus de doctrina Lessii aliorumque, quae non est omnino eadem ac Vasquezii. Docent enim illi, rationem sacrificii praecise in eo esse, quod vi verborum seorsum ponitur corpus Christi sub una specie et sanguis Christi sub altera. « Non obstat veritati huius sacrificii, inquit Lessius, quod non fit reipsa separatio sanguinis a carne, quia id est quasi per accidens propter concomitantiam partium. Nam quantum est ex vi verborum, fit vera separatio, et sub specie panis solum ponitur corpus non sanguis, sub specie vini solus sanguis non corpus. Et hoc sufficit ad rationem huius sacrificii, tum ut sit verum sacrificium; fit enim circa hostiam, dum sic ponitur, sufficiens mutatio, qua protestemur Deum habere supremam in omnia potestatem; tum ut sit sacrificium commemorativum repraesentans nobis sacrificium crucis et mortem Domini. » De Perfect. div. l. XII. c. 13. n. 97.

Hanc doctrinam equidem libenter admitterem, si omnia elementa complecteretur, quae in Eucharistia ad veram rationem sacrificii et ad statum victimae constituendum concurrunt, et si non aliqua contineret magis ex necessitate ad probandam opinionem quam ex rei veritate dicta. Itaque 1°. non est verum, quod dicitur: « vi verborum fit vera separatio; » verba enim: hoc est *corpus meum,* non sunt *excludentia* sanguinem et animam et vitam, sed *significant* quidem corpus tantummodo abstrahendo a statu, in quo rea-

liter est cum suo sanguine et cum anima et vita, attamen *demonstrant* corpus tale, quale tum est, quando verba pronuntiantur, adeoque corpus in sua reali perfectione cum suo sanguine et anima et vita (vide de Sacram. Euch. th. XI. p. 144-146). Secus enim si verba essent excludentia, vel separatio deberet realiter fieri vel verba non essent vera, quod utrumque absit ut ullus Christianus sentiat. Cum igitur verba efficiant quod significant, illa: « hoc est corpus meum, » efficiunt praesentiam corporis, quod *explicite significant;* fit tamen praesens totus Christus, qui per verba « corpus meum » *demonstratur*. Pariter verba altera: « hic est sanguis meus, » efficiunt praesentiam sanguinis *explicite significati;* fit tamen pariter praesens totus Christus, qui est obiectum *demonstratum* verbis « sanguis meus. » Quod autem vi significationis verborum distincte efficitur praesens corpus ac sanguis sub diversis speciebus, et consequenter per necessariam concomitantiam sub utravis specie totus Christus, id quidem sufficit ad significandam et repraesentandam effusionem sanguinis in cruce; sed haec distincta positio sub diversis speciebus per se spectata, nisi aliquid addatur, nullam profecto inducit mutationem, et proinde etiam ex ea sola status victimae sub speciebus sacramentalibus intelligi non potest. (Vide de Lugo disp. 19. sect. 4. n. 61). Unde 2°. in hac sententia status, quem induit Christi corpus ac sanguis in Eucharistia, non secundum omnes suas rationes consideratur, ex quibus ratio victimae et proinde essentia sacrificii, *quomodo* sit, intelligi potest. Indicavit quidem Lessius ipse ibid. n. 95, intelligi sacrificium, « quatenus per modum hostiae occisae corpus et sanguis Christi in altari exhibentur, » sed hunc modum non explicuit, adeoque eius sententia supplenda est et ulterius declaranda.

Commemoranda adhuc est explicatio Suarezii disp. 75. sect. 5, qui destructionem quidem aliquam creaturae concedit esse necessariam in sacrificio; sed destructionem rei principaliter oblatae, ait, fuisse solum in sacrificiis veteribus imperfectis, in nostro sacrificio perfecto esse potius productionem in honorem Dei factam rei principaliter oblatae, et destructionem solum esse panis et vini velut *termini a*

quo. Omnino praeclara est comparatio inter vetera imperfecta sacrificia in Lege servitutis, ubi victima destruebatur ad exprimendum supremum Dei dominium et reatum hominis peccatoris nondum expiatum, atque inter hoc nostrum sacrificium in Lege gratiae et in Testamento filiorum, ubi Christus ipse reproducitur in statu victimae incruentae ad applicandam satisfactionem pro reatibus nostris iam praestitam (1). Sed declarandum manet, quis sit ille status victimae incruentae, et quomodo Christus formaliter in statu victimae constituatur sub speciebus panis et vini.

Commemoratis iam sententiis, quae fere solae inter plures alias probabilitatem aliquam habent, mancae tamen sunt et supplendae, progredimur ad explicandam notionem propriam huius adorandi sacrificii ex sententia, quae a Cardinali de Lugo non certe primum proposita sed clariori in luce collocata nobis quidem praeferenda et omnino vera videtur.

II. Assumimus imprimis ut certissimum, victimam in hoc sacrificio, seu rem quae offertur, esse ipsum corpus et sanguinem Domini, et proinde Christum ipsum, quatenus fit praesens sub speciebus panis ac vini. Unde etiam assumimus, essentiam ipsam actionis sacrificae (sacrificii sensu activo) contineri consecratione, qua praesens sistitur corpus et sanguis Domini sub speciebus, atque adeo oblationem

(1) Quamdiu genus humanum lapsum conscientiam habuit peccati nondum expiati (Heb. X. 2. 3), sacrificiorum omnium forma ex divina institutione erat simpliciter rei oblatae destructio, et nominatim in sacrificiis praecipuis destructio vitae animalis per sanguinis effusionem, qua homines peccatores modo oculis patenti se mortis reos profiterentur. At vero iam expiato peccato per sanguinis Christi oblationem semel factam, institutum est sacrificium mundum in quadam productione divinae victimae in eo statu, quo apta esset et ordinata ad intimam cum redemptis unionem secundum modum visibilem quidem, sed tamen sola fide intelligibilem. Ipsa scilicet sacrificiorum diversitate Dei sapientia manifestat diversitatem Legis utriusque, cui sacrificia respodent (Heb. VII. 12). Illic Deus iratus, Deus vindex (אֵל שַׁדַּי), lex in servitutem generans, spiritus servorum; hic Pater misericordiarum, Deus totius consolationis, lex gratiae, spiritus filiorum; illic praevalet, quod est externum et carnale, hic quod est internum et spiritale; illic *mors* regnavit per unum, hic multo magis *in vita* regnabunt per unum Iesum Christum. Rom. V.

ipsam perfici secundum essentiam suam non aliis sive rebus sive verbis, quam quod per consecrationem praesens sistitur Christus sub speciebus in statu victimae. Christus enim in ultima coena corpus ac sanguinem suum et per hoc se ipsum obtulit vero sacrificio externo visibili non alia re vel aliis verbis, quam quod (ad agnitionem supremae maiestatis Dei, in attestationem coram Deo dependentiae absolutae rerum omnium, ac reatus humani generis, tunc redimendi nunc redempti sacrificio crucis) corpus et sanguinem suum, et per hoc se ipsum sistebat sub speciebus panis et vini in statu victimae. Non alio autem sed hoc ipso modo, quo tum se offerebat sine ministerio sacerdotum subordinatorum, nunc sese offert per ministros sacerdotes: «*hoc* facite in meam commemorationem». Ergo iuge hoc sacrificium non alia re vel aliis verbis perficitur, quam quod consecratione corpus et sanguis Christi sistitur sub speciebus panis et vini in statu victimae. «Eum qui ex creatura panis est, accepit et gratias egit dicens: hoc est meum corpus; et calicem similiter, qui est ex ea creatura, quae est secundum nos, suum sanguinem confessus est, *et novi Testamenti novam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in universo mundo offert Deo*» Iren. l. IV. c. 17. n. 5. «Hoc est corpus meum, inquit. Hoc verbum transmutat proposita. Et quemadmodum vox illa: crescite et multiplicamini, semel quidem prolata est, pro omni vero tempore naturae nostrae vim praebet ad generationem; ita et *vox haec (hoc est corpus meum) semel prolata, in Ecclesiis ad unamquamque mensam ab illo ad hodiernum usque tempus et usque ad adventum eius sacrificium perfectum efficit* (την θυσιαν ἀπηρτισμενην ἐργαζεται)» Chrysost. hom. 1. de prodit. Iud. n. 6. (Tom. II. p. 384). Cf. th. IX. XI; vide Vasquez disp. 222. c. 5. Igitur verba sive ante sive post consecrationem, quibus exprimitur oblatio et sacrificium, non efficiunt sacrificium sed significant illud vel faciendum vel factum per ipsam consecrationem, sicut etiam in sacramentis multa adduntur non ad conficiendum sacramentum sed ad expressiorem significationem rei, quae fit per sacramentum. Confer de Sacram. Euch. th. VII. p. 74-77. Sane mirum est, fuisse Theologos qui

sollicite quaererent, quibusnam verbis fieret oblatio; ac si oblatio sacrificii proprie dicti, ut distinguitur a sacrificio interno ac improprio, aliud esset quam ipsa inductio status victimae, qua exprimitur agnitio supremi dominii Dei in res omnes et absoluta rerum omnium dependentia ab ipso. Quando ergo quaerimus, quidnam sit illud, quo formaliter constituitur ratio veri et proprii sacrificii in celebratione Eucharistiae, unice sollicitos nos esse oportet de ratione, qua Christus in Eucharistia constituatur formaliter *in statu victimae.*

Dicimus statum victimae induere Christum eo ipso, quod se constituit in statu et modo existendi sacramentali, in statu cibi ac potus, quem descripsimus (de Sacram. Euch. th. XI), ubi egimus de modo existendi corporis Christi in sacramento. Probabimus primum ita esse ex fontibus theologiae propriis; deinde ostendemus, in tali velut exinanitione ss. humanitatis formam intrinsecam veri et proprii sacrificii facile intelligi.

1°. Ipsis verbis institutionis, ut referuntur a S. Paulo 1. Cor. XI. 24; coll. Luc. XX. 19, declaratur diserte, corpus Christi sacrificari eo, quod ponitur in statu cibi; non solum quod haec duo sacrificatio et positio in statu cibi coniungantur ac simul fiant, sed quod *ipsa positio in statu cibi est sacrificatio.* Demonstratur enim ex collatione utriusque textus, locutionem: « corpus Christi pro vobis frangitur, » significare sacrificationem corporis Christi, et modum propriamque intrinsecam rationem sacrificationis esse in eo, quod corpus Christi ponitur in statu cibi. Nimirum locutio illa utrumque enuntiat, tum *sacrificationem,* ut demonstratur ex collatione cum verbis Lucae: « quod pro vobis datur, » tum *modum sacrificationis,* qui debet intelligi positio in statu cibi, ut ostendit iuxta communem usum biblicum propria in tali contextu verbi *frangere* significatio. Haec supra th. XI. p. 340. 341 satis demonstrata sunt.

2°. Patres et Liturgiae constanter in hoc sacrificio immolationem cum manducatione ac participatione sacrificii ita coniungunt, ut immolatio ordinetur ad participationem, et sit praeparatio cibi huius divini ac potus. « Omnipotenti

Deo ego omni die vivum sacrificium offero (θυσιαν ζωσαν αναφερω), non thuris fumum neque taurorum carnes ... sed Agnum immaculatum quotidie in altari crucis (quod est loco crucis) *Deo offero, cuius carnes postquam fidelis populus manducavit et eius bibit sanguinem,* Agnus immaculatus integer manet et vivus.... Postquam *immolatus et manducatus est* (μετα το θυθηναι και βρωθηναι), Agnus integer manet et immaculatus vivit in regno suo » S. Andreas Apost. in ep. Presbyt. Achaiae c. 6. (Galland T. I. p. 157). « Semel immolatus est Christus in se ipso (in propria specie), et tamen *in Sacramento omni die populis immolatur* » August. ep. 98. n. 9 ad Bonifac. « Reficit immolatus » Gaudent. Brix. Serm. 2. in Exod. « In semetipso immortaliter atque incorruptibiliter vivens tamen pro nobis iterum *in hoc mysterio immolatur. Eius quippe ibi corpus sumitur, eius caro in populi salutem partitur, eius sanguis non iam in manus infidelium sed in ora fidelium funditur. Hinc ergo pensemus, quale sit pro nobis hoc sacrificium* » Gregor. M. dialog. l. IV. c. 58. « *Immolatus Patri* panis vitae *distribueris* » Liturg. Arm. « Se ipsum *obtulit immolandum, ut carne eius et sanguine pascamur* » Missa Gelasian. « *Immolamus et sumimus* » Liturg. Ambros. « Quem Moyses vidit in rubo, ipse *ponitur in altari, et populi illum sumunt ut vivant* » Liturg. Syr. etc. cf. th. IX. Haec coordinatio immolationis et manducationis per se adhuc esset ambigua ad scopum praesentem, nisi simul Patres diserte docerent, ipsam immolationem positam esse in paratione corporis et sanguinis Christi in cibum ac potum. Itaque

3°. docent diserte, formalem rationem huius incruentae sacrificationis esse in actione, quatenus inducit statum cibi ac potus in Agno immaculato, et proinde formalem rationem victimae in termino esse hunc ipsum statum cibi ac potus, quem merito declarant incruentam mactationem et quandam Christi exinanitionem secundum humanitatem. Gregorius Nyssenus (De Resurrect. T. II. p. 821) ait, Christum in ultima coena praevertisse impetum Iudaeorum, et iam tum se obtulisse in sacrificium ac animam suam posuisse, non quidem moriendo (fatetur enim, Apostolos

cum corpore et sanguine Domini etiam animam unitam suscepisse), sed posuisse animam et se ipsum immolasse constituendo ineffabili modo corpus suum comestibile (βρωτον το σωμα), quo in statu desinunt connaturales functiones et actus vitales corporis una cum connaturali modo existendi, quatenus illi ab hoc pendent, atque adeo in relationibus extrinsecis corpus non aliter se habet pro illo statu, ac si esset revera inanimatum. « Tunc ergo, ait Gregorius, aperte ostendit Agni sacrificium iam esse perfectum; non enim esset corpus sacrificii ut comederetur idoneum, si animatum esset (εἴπερ ἐμψυχον ἠν i. e. si esset in connaturalibus functionibus et rationibus existendi corporis humani viventis). Quando ergo corpus edendum et sanguinem bibendum discipulis exhibuit (tamquam participationem victimae), iam ineffabili et (in se ipsa) inaspectabili ratione corpus erat immolatum (ἡδη το σωμα ἐτεθυτο), sicut potestati ipsius mysterium peragentis collibuerat. » Collocat ergo manifesto Nyssenus immolationem et rationem intrinsecam sacrificii incruenti in eo, quod Christus desinit pro illo statu esse modo existendi connaturali corpori viventi, dum eius corpus fit cibus, fit corpus comestibile et sanguis potabilis. Brevi sententia eandem rationem complexus est auctor homiliae de coena mystica inter Opera Cyrilli Alex. T. V. P. II. p. 375: « is qui typice manducatus est (τυπικως βρωθεις al. θυσιασθεις typice immolatus) in Aegypto (in agno paschali), *hîc (in Eucharistia) ultro se ipsum immolat .... cibum vitae ipse se ipsum continuo proponens* ἐκεισε ἑκουσιως ἑαυτον θυσιαζει .. βρωμα ζωης αὐτος παραυτικα ἑαυτον παραθεμενος. » Clarissime et ipso hoc vocabulo exinanitionis, quo Apostolus Phil. II. 7 usus est de incarnatione Verbi, quod non deponendo aliquid divinitatis sed assumendo naturam humanitatis se ipsum exinanivit, Dionysius Alexandrinus (seu quisquis est vetustus auctor Responsion. advers. Paul. Samosat. q. 7. Opp. ed. de Magistris p. 254 seq.) illustravit totam hanc formalem rationem intrinsecam sacrificii Christi in Eucharistia. « *Exinanivit semetipsum; quapropter sic (nomine exinanitionis) appellatur inenarrabile mysterium et novum Dei testamentum, quando se ipsum nobis dat in mystica coena.*

Non sicut illi secundum legem sacerdotii Aaronis carnem irrationalium animalium olim imponebant altari . . . nunc autem non ita, sed ipse Dominus et Deus Israël, Salvator noster ait: qui manducat me, et ipse vivet propter me ... accipite et dividete inter vos. Novum testamentum est: hoc facite. *Haec est Dei exinanitio ad nos, ut possimus eum capere. De hoc enim tremendo mysterio dicit Apostolus, quod se ipsum exinanivit.... Exinanitionem vocat Apostolus*, ut antea dixi, *capi a nobis mysterium vitae per manus eius incontaminatas et incorruptibiles et divinas, ut nempe possimus fideles eum capere et fieri mansio eius accipientes eum totum.* » Comparat deinde Dionysius hanc exinanitionem cum sacrificio agni paschalis, et concludit: « Exinanitio non significat mutationem in ipso (simpliciter et secundum modum existendi in specie propria), absit, sed nostram renovationem per exinanitionem, qua exinaniens se ipsum gratificatus est nobis. Effusus Spiritus Sanctus super omnem carnem manet plenus, et effuso sancto ac vivifico sanguine ex profunditate divini lateris manet plenus exinaniens se ipsum Iesus Christus, incorruptibilem et vivum et vitae datorem sanguinem suum in nos effundens. »

Si conferas testimonium Dionysii cum praecedentibus Nysseni et Cyrilli, videbis rem enuntiari eandem, sed modo paulum diverso. Illi directe agunt de sacrificii existentia, et ideo diserte appellant sacrificium et immolationem; formalem autem rationem intrinsecam ac essentiam exprimunt simpliciter per statum sacramentalem cibi ac potus sine ulteriori declaratione. Dionysius directe inquirit in essentiam sacrificii, et eam disertissime explicat per *exinanitionem* Christi Domini secundum humanitatem et sanctissimum suum corpus; non quod gloriam suam et suam perfectionem aliquam deposuerit, sed quod manens in sua plenitudine ac perfectione ad dexteram Patris, simul induerit in altaribus Ecclesiae militantis modum existendi sacramentalem ac statum cibi et potus; sicut ab Apostolo Verbum dicitur se exinanivisse non deponendo formam et maiestatem divinitatis, sed assumendo formam servi. Appellationem autem sacrificii explicite quidem Dionysius non adhibet, sed nominat « sanguinis

incorruptibilis effusionem in nos, » et explicat per comparationem cum sacrificiis typicis ac per connexionem cum sacrificio crucis.

Sine dubio igitur sententia, quam tuemur de intrinseca ratione sacrificii Eucharistiae, confirmatur ex modo loquendi Scripturae, ex explicationibus habitudinis inter immolationem huius sacrificii incruenti et inter manducationem cibi eucharistici praeparati per immolationem, ut constanter exhibetur penes Patres et in Liturgiis, ex diserta denique Patrum doctrina.

Ex auctoritate theologorum nostra explicatio est munitissima. Potest ea deduci ex iis, quae scribit Bellarminus l.V. c.27. (ad finem «Tertio per consecrationem» etc.); sed diserte eam defendunt Card. de Lugo disp. 19. sect. 5; secuti deinde Martinonus disp. 38. n. 43. 63, Francisc. de Lugo (frater natu maior Ioannis Cardinalis) De Missa c. 2. q. 2. n. 34, Ioannes Ulloa disp. 8. c. 1. n. 8, Simmonetus disp. 8. a. 4, Platellius n. 470, Muniessa disp. 33. sect. 4. n. 40, Viva disp. 5. a. 2, Antoine De Sacrif. q. 2, Wirceburgenses (Holzclau) De Euch. c. 4. a. 2. etc. Card. Cienfuegos eidem innititur fundamento, et sine dubio ex integro in hac sententia perstitisset, nisi novam aliquam et singularem opinionem superaddere voluisset, quae nescio utrum habuerit adstipulatores (1).

(1) Sententiam suam Cardinalis multis declarat et tueri conatur (Vita abscond. disp. 5. sect. 2 seq.). Summa est, quod putat, Christum Dominum, dum praesens fit per consecrationem, primum exercere aliquos actus vitae sensitivae modo non connaturali quidem per se huic statui sacramentali, sed quia humanitas elevatur virtute divina ad tales actus exercendos (de qua re vide de Sacram. Euch. th. XI. coroll. 2. p. 166 sq.). Tum vero, pergit auctor, ipse Christus hanc vitam sensitivam sacrificat et actus illos vitales suspendit, donec in commixtione specierum panis ac vini tamquam imagine resurrectionis eos actus iterum resumit. In hac igitur sacrificatione vitae sensitivae collocat ipse formalem rationem intrinsecam incruenti sacrificii. « Credimus scopum attigisse, inquit, per vitam actualem sensitivam aut a sensibus pendentem Christi Domini sub speciebus, quam tanto studio promovere conati sumus hac scriptione; non sane per illam existentem et perseverantem, ut planum est, sed per ipsam quâ ablatam aut impeditam, postquam exstitit actu, et subinde realiter sacrificatam .... Hanc vitam Christus ipse Dominus ut supremus sacerdos im-

III. In statu hoc et modo existendi sacramentali, in quo Christus Dominus summus sacerdos per consecrationem se constituit, intrinsecam formam sacrificii secundum conceptum ac definitionem communem non solum sufficienter reperiri, sed insigni modo eminere, mirum est aliquando potuisse et nunc adhuc posse in dubium vocari. Intrinseca ratio sacrificii proprie dicti, ut tum ex lege naturae tum ex universo cultu positiva revelatione instituto colligitur, consistit (significatione theologica) in expressione supremi Dei dominii simulque divinae iustitiae placandae; adeoque etiam (significatione morali) in expressione absolutae rerum omnium dependentiae a Deo, et simul debitae pro nostro reatu satisfactionis sive adhuc praestandae (ut in sacrificiis veteris Testamenti), sive quae actu praestetur (ut in sacrificio crucis), sive iam praestitae et nunc applicandae (ut in iugi sacrificio novi Testamenti); quae expressio fiat obiective in re ipsa oblata non quovis modo pro lubitu, sed per rei destructionem aptam ad talem expressionem et significationem (th. II. n. II.). Hoc sensu genuino debet intelligi formula Vasquezii: sacrificium est *nota existens in re* ad profitendum absolutum Dei dominium in vitam et mortem; *nota enim existens in re* non est aliud quam illa rei destructio apta ad hoc absolutum dominium et ad nostrum reatum modo declarato exprimendum. At ex hoc ipso intelligitur, destructionem illam non necessario debere esse physicam ita, ut res desinat esse; sed sufficere talem, quae *morali aestimatione* aequivaleat destructioni. Sacrificium enim institutum est pro hominibus, ut homines illud offerant Deo, et exprimant obiective agnitionem supremi dominii Dei; ideo expressio haec sufficienter reperitur in inductione

molat solus, et simul offert, quatenus actus vitales miraculose productos imperio suae voluntatis humanae suspendat sive removeat, decernatque non elicere ulteriorem ullum, sive non uti potentia instrumentaria productiva illorum pro libito ipsius, donec per quasi resurrectionem et commemorationem resurrectionis simpliciter, in mixtione corporis et sanguinis ad vivum repraesentatam et imitatione quadam exercitam, resumat vitam actualem usumque liberum virtutis instrumentariae » l. c. §. 1. p. 359. Certe sententia haec ita comparatu est, ut cautum theologum ipsa sua singularitate absterreat.

talis status in rem, qui *pro usu hominum et morali aestimatione* aequivaleat destructioni, licet non sit destructio physica aut omnino annihilatio, quae neque est in hominum potestate. Sic e. g. in libationibus continebatur sufficiens expressio in ipsa effusione, licet ea non esset physica destructio, sed solum inductio status moraliter et pro usu hominum aequivalens destructioni.

Iam consideretur, quaeso, status, in quo Christus Dominus summus sacerdos per consecrationem secundum ss. corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini sese ut victimam constituit. Primogenitus omnis creaturae, caput Ecclesiae, in omnibus primatum tenens (Coloss.I.15.18) dat se ipsum Ecclesiae suae per suos ministros sacerdotes constituendum corpore ac sanguine suo in tali modo existendi sub speciebus panis ac vini, ut vere sit in statu cibi ac potus; ut (formaliter quatenus constituitur sub his speciebus) desinat omnis actus connaturalis vitae corporeae pendens a sensibus; ut nihil secundum corpus possit agere connaturaliter; ut corpus eius ac sanguis, in quantum praesentia eius alligatur speciebus, permittatur quodammodo arbitrio creaturarum non secus, ac si esset res inanimata; in tali vero conditione se constituit, ut ipse summus sacerdos pro tota Ecclesia, cuius ipse est caput, et Ecclesia per ipsum (1) exprimat in corpore et sanguine sacratissimo supremum Dei dominium et absolutam dependentiam omnis creaturae, cuius ipse homo Iesus Christus est primogenitus, et simul exprimat et exhibeat satisfactionem pro reatibus olim consummatam in cruce huius ipsius corporis traditione et huius sanguinis effusione. Atqui talis « exinanitio » ad exprimendam maiestatem absoluti dominii Dei et satisfactionem pro reatibus nostris morte completam non solum satis intelligitur ut vere et proprie sacrificalis; sed etiam, excepto sacrificio cruento in cruce, nullam sublimiorem ac profundiorem rationem veri et proprii sacrificii concipere possumus. Non ergo est dubium, in ipso modo existendi sacramentali cor-

(1) « Quotidianum Ecclesiae sacrificium; cum ipsius corporis ipse sit caput et ipsius capitis ipsa sit corpus, tam ipsa per ipsum quam ipse per ipsam suetus offerri » S. Augustin. supra p. 347.

poris et sanguinis Christi aptitudinem et supposita institutione actualem significationem sacrificalem, et proinde rationem intrinsecam veri et proprii sacrificii non solum sufficienter sed etiam insigniter contineri.

Porro in principiis, quibus haec explicatio innititur et ex quibus deducitur, nihil est, quod non sit aut simpliciter de fide aut theologice certum. 1°. Est de fide, corpus et sanguinem Christi realiter constitui per consecrationem in statu cibi et potus. « Caro mea vere est cibus, sanguis meus vere est potus. » 2°. Est consequens ex ipso hoc statu sacramentali, et ex Patrum ac Liturgiarum sententiis atque ex diserta doctrina communi omnium theologorum veterum (exceptis forte Nominalibus) confirmatissimum principium, imo saltem ex parte, et quantum ad rem praesentem spectat, est omnino manifestum, quod hic modus existendi sub speciebus panis et vini comparate ad modum existendi connaturalem sit quaedam exinanitio, ut loquitur Dionysius Alexandrinus; vel, ut ait Card. de Lugo, positio « in statu decliviori. » 3°. Explicatio ipsa sacrificii ex his principiis deducta cum Patrum et Liturgiarum modo loquendi et cum diserta etiam Patrum doctrina de ratione intrinseca sacrificii eucharistici optime congruit; gravis theologorum auctoritas eam diserte tradit ac confirmat. 4°. Sententiae aliae, quatenus sunt probabiles, per hanc non excluduntur sed imo supplentur, nec ulla est quae, nisi suppleatur, non sit minus consona notioni communi sacrificii. Si qui enim negarunt, sacrificii essentiam perfici in ipsa consecratione, ii ex Patrum doctrina et manifestis rationibus refelluntur; qui vero sacrificii essentiam in consecratione collocandam esse fatentur, et rationem intrinsecam constituunt in repraesentatione sacrificii crucis, vel in mactatione mystica per distinctam consecrationem corporis et sanguinis sub diversis speciebus, vel in reproductione victimae seu rei principaliter oblatae in sacrificium; eorum sententias, quatenus affirmantes sunt et non excludentes, admittimus sed supplemus. Declaramus scilicet, quomodo sit sacrificium *in se ipso* id, de quo priores (Vasquez, Lessius) solum explicant relationem ad sacrificium crucis; at-

que declaramus, quis sit formalis status victimae, in quo posterior sententia (Suarez) dicit victimam reproduci. Est ergo haec nostra sententia, sin minus plenissima, certe ceteris plenior; et si non totam complectens veritatem in aliquo et ipsa deficit, certe in iis, quae affirmat, videtur omnino vera.

IV. Ad complendam nostram declarationem reliquum est, ut quaedam expediantur difficultates. *Prima* impetit ipsum fundamentum totius explicationis. Aiunt: ille modus existendi et status sacramentalis sub speciebus nihil realiter mutat in Christo ipso; manet enim cum tota sua perfectione in ipsa Eucharistia, et cum modo etiam existendi connaturali in coelo. « Si in mea cista, inquit Arriaga disp. 50. sect. 3, relinquatur mea pecunia cum tota quanta utilitate priori... si Deus miraculose dando illi secundum *ubi* (per replicationem) proiiceret in mare... quis poterit dicere eo casu mihi ullo modo destructam meam pecuniam... Ratio a priori huius evidentissimae veritatis ea est; nam actio pure pute positiva, quae nihil formaliter vel consecutive tollit de his, quae antea erant, non potest ullo modo dici destructio, sed omni omnino iure debet dici productio.»

Respondemus: mirum profecto est, argumentationem tam evidenter extra scopum potuisse promoveri a gravi theologo, et hanc unicam non paucis fuisse causam, cur sententiam Cardinalis de Lugo improbarent. Ut res fiat evidens, haec animadvertantur: Corpus Christi habet realiter duplicem diversum modum existendi, in coelo connaturalem, et alterum, quem induit sub speciebus panis et vini sacramentalem. Formaliter ut constituitur in sacramento, non solum prae nostra perceptione sed realiter et in se ibi constituitur modo inextenso, et ideo citra actus connaturales vitae corporeae et citra connaturalem facultatem ad tales actus, atque in statu cibi et potus, ac si res esset inanimata. Talis vero status corporis viventis in comparatione cum statu connaturali abunde sufficit ad rationem victimae, ut paulo ante declaravimus. Dicitur autem Christus poni in statu victimae et offerri sacrificio, non prae quovis eius modo existendi; sed unice quatenus formaliter constituitur sub spe-

ciebus panis et vini. His positis patet responsio ad obiectionem. 1°. Ille modus sacramentalis existendi nihil mutat realiter in Christo: nihil mutat in Christo, ut existit in coelo, secundum quem modum existendi propterea non est victima et non offertur sacrificio, *concedo;* nihil mutat in Christo, formaliter ut constituitur sub speciebus, *subdistinguo:* non transit ibi ab uno statu sub speciebus ad alium statum sub iisdem speciebus, *concedo;* non constituitur ibi per modum rei inanimatae, quantum pertinet ad connaturales actus vitae sensitivae, qui status prae statu connaturali est quaedam exinanitio, atque ideo ibi non constituitur formaliter ut victima, *nego.* 2°. Manet Christus in Eucharistia cum tota sua perfectione, *distinguo:* cum tota sua perfectione non pendente a modo existendi, *concedo;* cum tota perfectione quoad actus vitae corporeae, qui pendent a modo existendi, *subdistinguo:* illi non tolluntur a Christo simpliciter et spectato secundum modum existendi in coelo, *concedo;* non deficiunt iuxta connaturalem exigentiam huius modi existendi sacramentalis sub speciebus, ubi formaliter constituitur ut victima, *nego.* 3°. Manet cum modo existendi connaturali in coelo, *distinguo:* manet ibi cum modo connaturali et ideo ibi non est victima, induit autem alium modum existendi sub speciebus panis et vini, secundum quem formaliter constituitur ut victima, *concedo;* manet in coelo, et hunc connaturalem modum existendi habet unicum sine altero sacramentali, *nego.* 4°. Ad ridiculam comparationem pecuniae in cista et replicatae in profundo maris, nego paritatem. Auctor obiectionis probat, pecuniam in cista non desinere et aeque esse utilem suo possessori, si alibi replicetur; non autem probat, modum existendi sacramentalem saepe iam descriptum non sufficere ad rationem victimae, formaliter quatenus corpus Christi constituitur sub speciebus. Non enim dicimus, replicationem per se, ut quando Christus Dominus apparuit Paulo (Act. IX. 4, sqq.), sed talem statum et modum existendi sacramentalem, in quo corpus Christi replicatur, constituere rationem victimae. Ut comparatio aliquid valeret, auctor deberet quaerere, utrum verum fuisset sacrificium, si vinum e. g., quod erat in hydriis Canae, fuisset replicatum in

phiala, quam effundebat sacerdos in templo ad libationem; vel si proiectio pecuniae in mare fuisset instituta in sacrificium, ut certe non repugnasset, utrum fuisset sacrificium, si pecunia manens in cista, simul alibi replicata sacrificali ritu fuisset proiecta in mare. Ad quam quaestionem utramque sine ullo dubio respondendum esset, illarum rerum (vini, pecuniae) non quidem secundum statum in hydriis Canae et in cista, sed secundum statum effusionis in templo et proiectionis in mare futurum fuisse verum sacrificium.

5°. Ad rationem a priori respondemus: actio qua ponitur corpus Christi sub speciebus, certe non est corporis Christi destructio, sed est replicatio eius analoga productioni; at vero replicatur corpus Christi sub speciebus non secundum eundem modum existendi quem habet in coelo, sed in statu victimae citra connaturales actus vitae sensitivae dependentis a modo existendi connaturali. Ideo si corpus Christi iuxta modum existendi, prout replicatur sub speciebus, confertur secum ipso secundum modum existendi in coelo; per illam actionem replicationis non quidem aliquid aufertur quod erat prius, sed aliquid quod corpus habet in uno modo existendi in coelo, non reproducitur in altero modo existendi sub speciebus: et ideo comparato utroque diverso statu connaturali et sacramentali, potest dici in statu sacramentali aliquid tolli h. e. non reproduci, quod erat et est in statu connaturali. In forma respondetur: actio positiva quae nihil tollit de his, quae antea erant, non potest dici destructio, sed debet dici productio, *distinguo:* si agitur de nova productione rei prius non existentis, *concedo;* si agitur, ut in praesenti, de re praeexistente in uno statu et eiusdem replicatione in alio diverso statu, in quo non reproducitur totum esse accidentale, quod habet in statu priori, *subdistinguo:* non potest dici distructio rei simpliciter, *concedo;* non potest dici alicuius *esse* accidentalis aequivalens destructio, formaliter ut res est replicata in secundo statu comparatione facta cum priori statu, *nego.* Ceterum, ne lis sit de verbo, non dicimus destructionem, sed dicimus cum Dionysio Alexandrino exinanitionem modi existendi connatura-

lis corpori, et vitae sensitivae ab eo pendentis; atque hanc exinanitionem dicimus fieri non aliquid deponendo vel amittendo simpliciter, et quatenus est Christus in gloria Dei Patris, sed eo quod manens in suo statu glorioso induit simul statum sacramentalem sub speciebus panis ac vini; sicut Verbum se exinanivit non deponendo divinitatem, sed assumendo humanitatem.

Altera obiectio a theologo recenti, qui nostras lectiones manu scriptas viderat, promota est pariter negando ipsum fundamentum, sicut negaverat Arriaga, licet ratione diversa. Ait hic recentior, modum existendi sacramentalem esse perfectiorem modo existendi connaturali; unde in sacramento non solum nullum locum haberet illa, quam cum Dionysio Alexandrino diximus exinanitionem, sed imo esset ibi potius nova quaedam exaltatio corporis Christi ad modum existendi nobiliorem, quam sit status eius connaturalis ad dexteram Dei Patris.

Sed profecto nobis non est animus in huiusmodi rebus theologicis a communi doctrina Scholae veteris recedere, quae etiam auctoritate Patrum confirmatur. Hac vero communi doctrina de modo existendi sacramentali, quam satis declaravimus, admissâ, negari nulla ratione potest fundamentum explicationis sacrificii eucharistici, quam cum multis theologis defendimus. Quomodo quaeso modus existendi, vi cuius per se spectati omnes functiones vitales, quatenus a sensibus pendent, et omnes effectus sensibiles corporis glorificati in actu secundo naturaliter sunt impossibiles, et corpus Christi, quatenus praesentia eius a speciebus pendet, nostro arbitrio ad modum rei inanimatae connaturaliter subest; quomodo, inquam, talis modus existendi corporis in comparatione cum modo existendi connaturali eiusdem corporis in gloria potest negari esse quaedam exinanitio ipsius status connaturalis, formaliter quatenus corpus est sub speciebus alienis?

Nihilominus potest difficultas urgeri. Nam 1°. corpus Christi in Eucharistia existit per modum spirituum, ut ipsi superius declaravimus; modus autem existendi spiritalis est perfectior, quam modus corporalis. 2°. Hic modus

existendi sacramentalis pro ipso corpore glorioso, multoque magis pro corpore nondum glorificato, ut erat in ultima coena, est maxime supernaturalis; ergo censendus est continere maximam perfectionem pro ipso corpore ita existente. 3tio. Videmur nobis ipsis contradicere, et quod manu sinistra aedificamus, idem iterum manu dextera destruere; nonne enim in superioribus amplexi sumus sententiam, quae tenet, corpori Christi, ut est in Eucharistia, communicari etiam exercitium et actus sensuum externorum?

Respondemus ad 1um. Modus existendi corporum *spiritalis* potest intelligi dupliciter, primum *positive,* quatenus corpori tribuuntur perfectiones et qualitates quaedam supernaturales, analogae perfectionibus spirituum, ad tollendas imperfectiones connaturales corpori; cuiusmodi perfectiones sunt dotes corporis glorificati, de quibus Apostolus loquitur 1 Cor. XV. 42 sqq. Tum potest intelligi modus existendi *spiritalis* corporum *negative,* quatenus perfectiones connaturales quidem corpori, sed quae in spiritibus repugnant (sunt enim omnes perfectiones corporeae solum perfectiones *secundum quid*), vel simpliciter vel in actu secundo tolluntur aut suspenduntur. His suppositis prior ille modus existendi *spiritalis* sine dubio est perfectior, alter est imperfectior in comparatione cum modo existendi connaturali corporibus. Iam etiam apparet, quid sit dicendum de modo existentiae sacramentali. Existentia corporis Christi per modum spirituum, quatenus spectatur praesentia in multis locis, fortasse etiam quatenus consideratur solum per se et abstracte a consectariis, modus existendi inextensus, et hoc supposito praesentia totius corporis in toto symbolo et totius in singulis partibus; haec utique prae modo existendi connaturali possunt fortasse censeri perfectiones (accidentales). At vero si consideretur modus existendi inextensus cum negationibus, quae inde consequuntur quoad exercitium vitae sensitivae, et prout corpus et sanguis est in statu realis cibi et potus (vere est cibus, vere est potus; realiter manducatur et bibitur ad effectum utique spiritalem, non ad nutrimentum corporale), quae omnia iam saepe explicuimus; ita profecto modus existendi sacramen-

talis in comparatione cum modo existendi connaturali in coelo dicit pro corpore Christi, formaliter quatenus est in sacramento, quandam exinanitionem sufficientissimam (supposita institutione) ad rationem victimae.

Ad 2um. Magnum pietatis Sacramentum, ut Apostolus appellat mysterium Incarnationis, est fastigium omnium operum Dei supernaturalium; nihilominus de Filio Dei incarnato dicit idem Apostolus: cum in forma Dei esset.... exinanivit semetipsum. Ad rem, de qua nunc agitur, opus supernaturale potest spectari tripliciter, *a*) in se quatenus est opus divinae omnipotentiae; *b*) quatenus est opus divinae sapientiae, bonitatis, misericordiae ad aliquem finem; *c*) quatenus praecise dat perfectionem subiecto, in quo fit. Primo et secundo modo sicut in Incarnatione et in sacrificio cruento, ita in eius quadam velut continuatione et imitatione, in Eucharistia inquam, sunt infiniti thesauri mirabilium Dei omnipotentis, infinite sapientis et misericordis. Tertio modo in omnibus his tribus mirabilibus Dei est quaedam, licet aliter atque aliter, Filii Dei Iesu Christi exinanitio (quoad priora duo in Tract. de Incarnatione, quoad Eucharistiam hîc iam saepe explicata).

Ad 3ium. Imprimis illa communicatio quoad actus vitales sensuum externorum super et praeter existendi modum sacramentalem, atque ita velut in secundo aut tertio gradu supernaturalis non tollit in corpore et sanguine Christi, quatenus est in sacramento, statum veri cibi et veri potus; hic vero status abunde sufficit ad rationem victimae, ut Patres saepissime declarant. « Non enim esset corpus sacrificii ut comederetur idoneum, si esset per modum corporis animati (ἔμψυχον) »; « se ipsum immolat, cibum vitae ipse se ipsum proponens »; « in hoc mysterio immolatur, quia ibi eius corpus sumitur, eius sanguis in ora fidelium funditur »; « postquam immolatus et manducatus est (in statu sacramentali), Agnus integer manet et vivit in regno suo » etc. (vide supra p. 374-377). Imo in ipsis Scripturis quoad idem mysterium synonyma esse vidimus haec duo, quod corpus Christi ponitur in statu cibi (« quod pro vobis frangitur »), et quod pro nobis in sacrificium offertur (« quod

pro vobis datur »). Porro per illud ipsum quod dicimus, ab omnipotentia Verbi elevari corpus ad exercitium sensuum praeter et contra consequentiam connaturalem statui sacramentali, non solum non negatur, sed expressius affirmatur, modum existendi sacramentalem esse quamdam exinanitionem a *connaturalibus* functionibus vitae sensuum. Insuper quod praesentia corporis et sanguinis Christi lege constanti pendet a speciebus, et ratione specierum se permittit velut nostro arbitrio, et quod vi status sacramentalis omnes sensibiles effectus corporis ac nominatim corporis gloriosi suspenduntur, non quatenus forte nostri sensus impediuntur, sed quod revera corpus Christi ipsum constanti lege tales effectus et talia phaenomena connaturaliter exserere nequit; haec omnia maxime pertinentia ad exinanitionem sacramentalem, de qua loquimur, ibi realiter locum habent, et neque per elevationem hae consequentiae connaturales illius modi existendi ullatenus tolluntur.

Tertia difficultas esse potest, quod tota exposita exinanitio unice est in *corpore* et *sanguine* Christi, formaliter ut constituitur in statu cibi et potus; in sacrificium autem offertur totus Christus. Hanc obiectionem solum ponimus ad nostrae sententiae confirmationem. Revera enim sicut id, quod vi verborum et directe efficitur praesens, est corpus et sanguis Christi, et per concomitantiam consequenter fit praesens totus Christus; ita id quod directe et per se offertur in sacrificium, est corpus et sanguis Christi, formaliter ut constituitur sub speciebus, et consequenter per concomitantiam est totus Christus. Sicut enim Christus Redemptor sacrificatus est *per oblationem corporis sui* semel, et semel introivit in sancta *per proprium sanguinem* (Heb. X. 10; IX. 12); ita quotidie se offert ministerio sacerdotum sese constituens *per corpus et sanguinem suum* in statu cibi ac potus sub speciebus panis et vini. Cui catholicae doctrinae de corpore et sanguine Domini tamquam victimâ directe et per se oblatâ egregie consonat nostra explicatio intrinsecae notae et rationis sacrificii, quae formaliter est in corpore et sanguine Domini.

Quarta difficultas proponi solet, quae non tantum in nostra, sed in omni sententia explicanda est, si excipias illam singularem opinionem superius commemoratam Card. Cienfuegos, qui hanc ipsam difficultatem assumit tamquam argumentum ad suam novam explicationem essentiae sacrificii eucharistici confirmandam. Obiectio haec est: in sacrificio debet praesupponi res offerenda seu victima velut in termino *a quo,* et deinde actione sacrifica debet offerri ac induci formalis status *victimae* seu rei oblatae, qui potest dici victimae terminus *ad quem.* Iam si res offerenda in Eucharistia est corpus et sanguis Domini, et si iuxta nostram sententiam formalis ratio constituens victimam in termino *ad quem,* est ipsemet status sacramentalis saepe iam declaratus; res offerenda seu victima in termino *a quo* nulla erit in Eucharistia; sed vel debebit dici res oblata sine re offerenda, vel res offerenda et victima in termino *a quo* erit Christus, ut existit in coelo, quod utrumque videtur esse falsum.

Respondetur: distinctio illa termini *a quo* et termini *ad quem* in victima ita, ut dicitur in obiectione, tunc solummodo locum habet, quando actio sacrifica versatur circa victimam in termino *a quo,* et per aliquam mutationem inducit formalem statum victimae in termino *ad quem;* puta quando immolabatur agnus, vel quando Christus sese sacrificabat in morte crucis. At in sacrificio Eucharistiae praesupponitur quidem Christus in modo existendi connaturali, non tamen actio sacrifica circa Christum versatur, formaliter ut praeexistit in propria specie; neque enim aliquid efficit in corpore Christi, ut est in coelo, neque est *adductio* Christi de coelo; sed actio sacrifica ipsa aequivalenter producit, seu per transsubstantiationem panis et vini praesens facit corpus et praesentem sanguinem sub speciebus in formali statu victimae. Unde si quaeratur *terminus a quo,* circa quem actio sacrifica hic versetur, is non est res offerenda, sed est substantia panis et vini, quae desinit non tamquam res offerenda et oblata sacrificio, sed ut corpus et sanguis Christi in formali statu victimae, et proinde tamquam res oblata sacrificio producatur. Corpus autem Christi in pro-

pria specie praesupponitur quidem tamquam corpus, quod offerendum est, non tamen proprio sensu potest dici victima in termino *a quo*, quia circa illud, quatenus existit in propria specie, nulla actio sacrifica versatur. Illam tantummodo praesuppositionem corporis Christi Lessius intellexit, quando docuit (De Perfect. divin. l. XII. c. 13. n. 95), corpus Christi in coelo esse instar hostiae vivae et immolandae, corpus et sanguinem sub speciebus esse victimam nunc immolatam; Suarez vicissim impugnans hanc doctrinam (disp. 75. sect. 1) non aliud sibi vult, quam quod corpus Christi, quatenus existit in coelo in propria specie, non est terminus, circa quem versatur actio sacrifica.

In forma igitur respondetur: 1°. « in sacrificio requiritur victima primum ut terminus *a quo*, et dein ut terminus *ad quem* », *distinguo:* si victima in formali statu victimae non producitur, sed actio sacrifica versans circa victimam ut terminum *a quo*, inducit formalem statum victimae, *concedo;* si victima in formali statu victimae per replicationem aequivalenter producitur, ut in praesenti, *subdistinguo:* praesupponitur res offerenda, non tamen ut terminus actionis sacrificae, *concedo;* praesupponitur formaliter ut terminus actionis sacrificae, *nego*. 2°. « Erit res oblata sine re offerenda », *distinguo:* res replicabitur formaliter ut victima, quin actio versetur circa rem offerendam, prout praeexistit in priori statu, *concedo;* erit res oblata, quin praesupponatur existens ante oblationem, *nego*. 3^{io}. « Terminus *a quo* erit Christus ut existens in coelo, » *distinguo:* Christus in coelo existens praesupponitur, non tamen ut terminus actionis sacrificae, *concedo;* Christus in coelo erit formalis terminus *a quo*, circa quem versatur actio sacrifica, *nego*.

Quinta obiectio est, quam nostris lectionibus manu scriptis necdum editis opposuit theologus superius commemoratus sane miram. Ait, ex hac declaratione sacrificii eucharistici consequens fore, quod Christus adhuc nunc in singulis oblationibus sacrificii incruenti mereretur. Ignoro equidem, unde haec difficultas in mentem venire potuerit illi, qui legit etiam nostras declarationes (in superiori thesi XIII. et in Tract. de Incarnat. th. XLIV. L); nec in-

telligo, cur huic obiectioni obnoxia videri debeat magis nostra, quam alia quaecumque declaratio de ratione intrinseca veri et proprii sacrificii Christi Domini in altari. Sensum aliquem habet obiectio solummodo contra sententiam, qua dicitur ipse Christus summus sacerdos non solum remote vi institutionis, sed proxime sacrificium in altari (ut offerens principalis) iugiter offerre; atque ita tum contra Christi actualem interpellationem pro nobis in coelo, tum contra proximam et immediatam oblationem summi sacerdotis in altari Vasquez (de Euch. disp. 225) difficultatem hanc urgebat nominatim oppugnans doctrinam Suarezii (de Euch. disp. 77. sect. 1). Nos tum de actuali interpellatione in coelo tum de immediata oblatione sacrificii eucharistici per Christum sequimur quidem Suarezii et aliorum theologorum communem sententiam, sed ea ad praesentem quaestionem de intrinseca propria ratione sacrificii oblati seu victimae nihil pertinet.

Explicatio enim rationis intrinsecae sacrificii, de qua agimus, non repetitur *ex actione* Christi, quam nunc adhuc exerceat in oblatione sacrificii; sed ex *statu victimae,* in quo *ponitur* corpus et sanguis Christi, quaecumque sit actio, per quam in hoc statu et modo existendi constituatur. Salva omnino tota nostra explicatione (quoad intrinsecam formam sacrificii) posset quis statuere cum Card. Cienfuegos, eundem numero actum, quo Christus in ultima coena obtulit et instituit sacrificium perenne, nunc in singulis oblationibus efficacem esse. Quod sane sensu aliquo est certissimum (cf. th. XV. p. 362 in nota). « Quemadmodum vox illa: crescite et multiplicamini, semel quidem prolata est, pro omni vero tempore naturae nostrae vim praebet ad generationem; ita et haec vox (hoc est corpus meum) semel prolata, in Ecclesiis ad unamquamque mensam, ab illo tempore usque ad praesens et usque ad adventum eius, sacrificium operatur et perficit » Chrysost. hom. I. de prod. Iud. n. 6. Si itaque quaestio esset de *actione* sacrificali Christi summi sacerdotis, et cur in ea nunc non sit novum meritum; posset quis uti hac doctrina. Verum cum nobis persuasum omnino sit tum de *actuali* interpellatione Christi

pro nobis in coelo (Tract. de Incarnat.), tum de sacerdotali actu *immediato* sacerdotis in aeternum secundum ordinem Melchisedech ad sacrificium perenne, tum de aliis pluribus actibus humanis liberis Christi Dei hominis in statu gloriae ad dexteram Patris, sicut etiam de actibus multis liberis beatorum comprehensorum; illa doctrina verissima de efficacia perpetua actus sacerdotalis, quo Eucharistiae sacrificium est institutum, non potest sufficere ad explicationem, cur nec Christi capitis nec beatorum membrorum eius sit, aut in praesenti ordine esse possit ullum novum meritum. Ratio videlicet huius mysterii non est, quod in Christi Domini actibus (humanis) non sit infinita dignitas intrinseca, aut quod in iis omnibus sive libertas sive aliae *intrinsecae* conditiones meriti (in actu primo) desint. Sed ratio adaequata est, quia iam non est *in statu viatoris.* Quoniam scilicet iuxta divinam ordinationem totum meritum infinitum in relatione ad omnia praemia est consummatum in morte crucis; ideo ad plenitudinem iam nullum potest accedere incrementum (i. e. nullum novum opus ordinatum ad retributionem et ad praemium); quamvis ipsum meritum in cruce consummatum sit adhuc singulis applicandum per media a Christo ipso instituta, atque nominatim per saeramenta et per iuge sacrificium. Lege eximium Suarez de Incarnat. disp. 39. sect. 1. 3; de Gratia l. XII. cc. 15. 17.

Sexta obiectio contra sententiam a nobis defensam peti inde posset, quod ea admissa videretur sacrificium in consecratione unius tantum speciei aeque sibi constare ac in consecratione utriusque, quod sanae doctrinae repugnat. Responsio: Distingui debet aptitudo, ut aliquid institui possit in verum et proprium sacrificium, et supposita aptitudine actualis institutio. Non ideo, quia aliquid aptum est ad expressionem sacrificalem supremi dominii Dei, iam etiam actu est sacrificium, praesertim in hypothesi quod cultus divinus est positiva lege Dei ordinatus, et sacrificia itidem sunt divina institutione determinata. Huiusmodi enim institutio omnes alios actus religiosos licet per se et in actu primo aptos ad significationem sacrificalem a ratione veri

sacrificii excludit, de qua re diximus in thesi II. n. I. Iam vero institutio huius incruenti sacrificii a divino Redemptore facta est ita, ut ex intrinseca sua forma et modo oblationis sacrificium sit relativum ad sacrificium cruentum, et in consecratione distincta corporis ac sanguinis tamquam per effusionem mysticam repraesentet effusionem realem in cruce, ut probavimus th. XV. Unde concedimus, consecrationem etiam unius speciei, qua praesens fiat Christus in statu sacramentali, per se aptam esse, ut potuisset institui in verum et proprium sacrificium; at iuxta praesentem institutionem nec ratio sacrificii in se, nec effusio mystica sanguinis et repraesentatio sacrificii cruenti, quae huic sacrificio incruento essentialis est, per consecrationem unius tantum speciei absolvitur; adeoque per eam nec sacrificium relativum est nec sacrificium in se, sed solum inchoatio sacrificii (1) (cf. th. XV).

Corollarium 1. Species panis et vini non sunt res, quae formaliter offeruntur in sacrificium, sed per quas et sub quibus oblatio corporis et sanguinis Christi fit *visibile sacrificium.*

Substantia panis et vini pertinet ad hoc sacrificium ut terminus *a quo* desinens per actionem sacrificam terminantem ad corpus et sanguinem Christi in statu victimae. Non ergo panis et vinum sunt res, quae Deo offeratur in sacrificium; sed sunt res quae desinit, ut victima divina constituatur sub iisdem speciebus. Ita de termino *a quo* intelligendi sunt Patres, quando docent, in Eucharistia primitias ex creaturis Deo offerri, ut Irenaeus l. IV. cc. 17. 18, et quando sacrificium appellant panem, qui a fidelibus offerebatur ad sacrificium a sacerdotibus perficiendum, ut Cyprianus de Opere et eleemosyn. p. 242 ed. Baluz. Cf. Bellarmin. l. V. c. 27; Ysambert. in 3. q. 83. disp. II. a. 10.

Corollarium 2. Ex propria ratione huius sacrificii, ut in hac thesi n. II declarata est, consequitur, illud intrinsece ordinem includere ad participationem victimae; atque adeo

(1) De fabula Raphaëlis Volaterrani narrantis, Innocentium VIII. (non IV. ut alii scripserunt) concessisse Scandinavis, ut « calix sine vino consecraretur, » legi possunt Vasquez disp. 223. c. 3. n. 26. et alii.

secundum typum sacrificiorum pacificorum veteris Testamenti ita esse institutum a Christo Redemptore, ut, licet essentia sacrificii perficiatur in ipsa consecratione, participatio tamen victimae per sacerdotem offerentem pertineat ad sacrificii integritatem. Hanc doctrinam egregie confirmat canon V. Concilii Toletani XII ann. 681, ubi reprehenduntur sacerdotes, qui quoties celebrant sacrificium, non toties de sacrificio participant: « quasi non sit toties illi vero et singulari sacrificio participandum, quoties corporis et sanguinis Domini Nostri Iesu Christi immolatio facta constiterit..... Nam quale erit illud sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse cognoscitur? »

Inde porro, quod participatio sacerdotis pertinet ad complendam integritatem sacrificii, ulterius intelligitur, *a*) eam numquam licite omitti, et in casu necessitatis ab alio sacerdote esse perficiendam; *b*) ad servandam unitatem visibilis sacrificii in sua essentia et in sua parte integrante communionem sacerdotis requiri sub iisdem numero symbolis, sub quibus facta est consecratio; *c*) Missam praesanctificatorum, quae in Ecclesia latina die parasceves, in Ecclesia orientali in quadragesima quotidie, exceptis Sabbatis et Dominicis celebratur, posse considerari tamquam continuationem et consummationem sacrificii diei praecedentis. Qua quidem ratione satis explicantur formulae liturgicae in ea Missa occurrentes, quin opus sit ex eis cum nonnullis theologis inferre, essentiam sacrificii in communione sacerdotis vel praecipue vel aeque ac in consecratione constitutam esse.

Corollarium 3. Sacrificium non est tantum res oblata seu victima per se spectata nec actio offerendi abstracte sumpta, sed est in concreto victima quatenus actione sacrifica offertur. Hoc sensu concreto *quale* sit sacrificium (το ποιον), magis desumitur a re oblata et ab ordine sacerdotii destinati ad offerendum sacrificium (Heb. VIII. 3: 4; X. 23 etc.), quam a modo actionis sacrificae. Unde propter numericam identitatem victimae et sacerdotis principaliter offerentis in sacrificio crucis et in sacrificio Eucharistiae, affirmandum est, utrumque *simpliciter* esse *idem*

(specie) sacrificium; diversum vero dici debet non nisi cum addita restrictione et *secundum quid.* Est enim diversitas *a*) in modo offerendi seu in actione sacrifica, quae non solum numero sed specie differt in sacrificio cruento et incruento. Vide Chrysost. hom. 17. in Heb. Conc. Trid. sess. XXII. cap. 2. *b*) Est diversitas visibiliter offerentis. *c*) Est diversitas finis et effectus, cum in priori sit meritum et satisfactio Christi sacerdotis ad consummandam redemptionem, in altero non sit novum meritum et nova satisfactio principalis offerentis sed meriti et satisfactionis iam completae applicatio; quae tamen habitudo considerata sub alio et alio respectu exhibet unitatem vel diversitatem in utroque sacrificio. *d*) Potest considerari diversitas mutuae relationis, cum unum sit prototypon, alterum ectypon, unum absolutum quod nullius alterius sacrificii est signum et repraesentatio, sed immo est significatum et repraesentatum per omnia alia sacrificia, alterum vero sit relativum et repraesentatio prioris.

Si ulterius sacrificium Missae, quod a sacerdotibus ministris Christi offertur, comparetur cum sacrificio a Christo personaliter in ultima coena oblato, utrumque est *idem specie* non solum ratione victimae, sed etiam ratione actionis sacrificae et modi offerendi: « *hoc* facite in meam commemorationem ». Nihilominus sunt inter utrumque discrimina aliqua accidentalia, non solum temporis, loci, caerimoniarum etc., sed etiam est diversitas ex parte visibilis sacerdotis, ex parte meriti in principaliter offerente, ex parte victimae quae in uno erat adhuc mortalis, in altero iam est immortalis, et ex parte mysticae significationis. De reliquis commemoratis differentiis iam diximus in superioribus, vel res per se clara est; quoad significationem vero tum in ultima coena tum quotidie in altari sacrificium realiter repraesentat mortem Christi et sacrificium cruentum, in se quidem et ex formali significatione abstrahendo a tempore mortis adhuc futurae vel iam praeteritae. Nihilominus terminus repraesentationis in sacrificio perenni est quid praeteritum; sacrificium autem in ultima coena, si consideratur pro tempore, pro quo instituebatur perpetuo celebran-

dum, referebatur quidem ad terminum praeteritum (sacrificium commemorativum), sed in tali consideratione non tam sacrificium tunc oblatum in coena, quam potius omnia sacrificia celebranda post mortem Christi spectantur; si vero praecise spectetur pro tempore, quo offerebatur, terminus repraesentatus erat adhuc quid futurum. Haec porro omnia discrimina esse plane accidentalia et ipsi essentiae ac qualitati sacrificii extrinseca, facile patet; adeoque omnino idem specie sacrificium offertur quotidie in altaribus, quod offerebatur in coena.

Postremo si quaeritur de distinctione *numerica* sacrificiorum (το ποσον), ea potius desumitur ab actionis sacrificae quam a victimarum et sacerdotii distinctione. Hinc non modo sacrificium crucis, coenae, altaris, sed etiam sacrificia quotidiana in altari *simpliciter numero plura* et distincta dici debent, *unum* vero *numero* solum est dicendum cum addita declaratione, videlicet ratione victimae et sacerdotis principaliter offerentis. Cf. Suarez disp. 76. sect. 1.

Quae sunt reliqua ad sacrificium novi Testamenti spectantia, ea ad theologiam pertinent vel moralem vel liturgicam, vel ad theoriam et (quod est maximum) ad praxim asceticam, ut sit tota vita nostra, ut simus nos ipsi continuum sacrificium pro Christo, qui se perenni sacrificio pro nobis et nos sua membra in se ipso capite offert Deo Patri. « Quomodo enim Deo externum et visibile hoc sacrificium offerre audebimus magnorum mysteriorum antitypum, nisi magno et Deo et sacrificio et sacerdote Christo nos dignos effecerimus, exhibendo nos ipsos hostiam vivam, sanctam, rationabile obsequium?... qui quotidie cum angelis stamus, cum archangelis glorificamus, ad supernum altare sacrificia transmittimus, sub Christo sacerdotio fungimur, Dei imaginem in hominibus reparamus, pro superno mundo structores sumus.» Gregor. Naz. or. 2. apol. al. 1. n. 73. 95. Ad fovendam devotionem tantopere in adorando hoc mysterio necessariam iuvabit legisse Cardinalis Bona Tractatum asceticum de Sacrificio Missae inter alios multos libros refertos solida doctrina et pietatis documentis, quibus firmandis et illustrandis ut hic noster

tractatus dogmaticus aliquid conferat, a Deo Salvatore nostro, magno sacerdote et victima perenni spero et rogo in omnibus et pro omnibus per intercessionem Virginis Matris Filii Dei, qui consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae, appellatus a Deo pontifex iuxta ordinem Melchisedech (Heb. V. 9.).

A. M. D. G.

INDEX THESIUM

DE SACRAMENTO EUCHARISTIAE

DE SACRIFICIO



INDEX RERUM

A

B

C

D

E

F

G

H

I

L

M

N


P

Q

R

S

T



CAIETANUS TEDESCHI

PRAEPOSITUS PROVINCIAE ROMANAE SOC. IESU

Cum opus, cui titulus « Tractatus de Sacramentis in Genere » et « Tractatus de SS. Eucharistiae Sacramento et Sacrificio » a P. Ioanne Bapt. Franzelin nostrae Societatis sacerdote lingua latina conscriptum quatuor eiusdem Societatis theologi, quibus id commisimus, recognoverint ac in lucem edi posse probaverint, potestate ab A. R. P. N. Petro Beckx Praeposito Generali nobis ad id data facultatem concedimus, ut typis mandetur, si iis ad quos pertinet, ita videbitur.

In cuius rei fidem has litteras manu nostra subscriptas et sigillo nostri officii munitas dedimus.

Romae die 8 Septembris 1868.

L. S.

CAIETANUS TEDESCHI S. I.
Praep. Prov. Rom.

pagina	*linea*	ERRATA	CORRIGE
43	20	idolatria	idololatria
84	ult.	inseperabile	inseparabile
89	16	Christus	Christi
108	8	IV	VI
145	27	demonstatur	demonstratur
146	4	vim	vini
150	24	exitendi	existendi
159	33	Dens	Deus
221	5	termini	terminus
250	22	uadeat	audeat
"	27	theologis	theologicis
254	24	et	vel
336	23	ἐκχυρομενον	ἐκχυνομενον



IMPRIMATUR

Fr. Marianus Spada O. P. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Ioseph Angelini Archiep. Corinth. Vicesger.

